


798 WILLUGHBY (Fran.) Ornithologiæ Libri III., recognovit, digessit, supplevit J. RAIUS; *containing 77 fine plates of birds, including fowls, pigeons, &c.*, folio, *calf neat, scarce.* 12s 6d *Lond.*, 1676

799 —— De Historia Piscium, Libri IV., ex recognitione J. RAII; *containing a very large number of fine plates of fishes, shells, &c.*, folio, LARGE PAPER, *calf gilt, fine copy.* 25s *Oxon.*, 1686



VIRO NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO
D: GEORGIO CLIFFORTIO J. V. D.

CAROLI LINNÆI
FLORA LAPPONICA,

EXHIBENS

William Spence

PLANTAS

PER

LAPPONIAM

CRESCENTES,

SECUNDUM SYSTEMA SEXUALE,

COLLECTAS IN

Itinere Impenſis Soc. Reg. Scient. Upsaliensis,
Anno 1732 inſtituto.

ADDITIS

SYNONYMIS, ET LOCIS NATALIBUS OMNIUM, DESCRIPTIONIBUS ET FIGURIS RARIORUM, VIRIBUS MEDICATIS ET OECONOMICIS PLURIMARUM.

EDITIO ALTERA, AUCTA ET EMENDATA
Studio & Cura JACOBI EDVARDI SMITH.

LONDINI:
IMPENSIS B. WHITE ET FILIORUM.
TYPIS J. DAVIS.
1792.



VIRG. GEORG. iv. 517.

Solus hyperboreas glacies Tanaimque nivalem,
Arvaque Riphæis nunquam viduata pruinis
Lustrat.

ILLUSTRISSIMÆ

SOCIETATI REGIÆ

SCIENTIARUM

UPSALIENSI,

OLIM *SUECIÆ* APPELLATÆ,

NOVAM HANC EDITIONEM

OBSEQUIO QUO PAR EST

D. D. D.

J. E. SMITH,

Soc. Linn. Lond. Præses.

Londini, 1792,
Cal. Febr.

PRÆFATIO EDITORIS.

FLORA Lapponica, judicio omnium, inter celeberrima Linnæi opera obtinuit locum; non tantum propter ea quæ jure ſuo de Botanice meruit, ſed etiam propter curioſarum & novarum, quas in ſe habet, rerum varietatem. Sermone porro præjucundam ſeſe offert, tum ſtyli ſuavitate ornatiſſimam. Utrum verò ex venditione præter ſolitum amplâ, an ex paucitate exemplarium impreſſorum accidit, per annos plurimos proximè elapſos moleſtiam haud mediocrem librorum collectoribus adhibuit, quo prece vel pretio hoc opuſculum rariſſimum ſibi compararent. Interea pretium in majus quam quod res ſuadeat auctum eſt, adeò ut nova editio & multum rogata fuit, & ſane quaſi neceſſaria.

Quod autem Naturæ ſtudioſis gratiſſimum atque utiliſſimum, Dom. White & filius, bibliopolæ Londinenſes, viri de re literariâ optimè merentes, nuper tabulas æneas quas Linnæus ipſe pro Flora Lapponica excudi curavit, ex Hollandia deductas coëmerunt. De nova editione imprimenda illico in mentem venit. Ut hoc conſilium in melius ſe vertat, ipſe, quod potui, auxilium tuli. Notas quippe Mſſ. quas a Linnæo, ſuâ manu ſcriptas habeo, communicavi. Totum opus recenſui. Nomina trivialia & citationes Sp. plant. ed. 2dæ, tum nomina plantarum in Lapponiâ poſt editionem hujuſce operis primam inventarum, quæ ſane numerum 55 complent, addidi. Synonyma etiam perlegi. Citationes erroneas emendavi. Et quamvis de rerum Linnæanarum mutatione non parum ſollicitus fuerim, eſt tamen ubi ſynonyma quæ Linnæus ipſe falſa ſuſpecta habuit, planè omiſi; tum autem alia quædam quæ profectò dubia mihi viſa fuerint, in jus vocavi. Omnia hæc quidem illius ſunt qui opera inſignia, labe aliquâ hic vel illic contaminata, velit edere; attamen labori hujuſcemodi mentes editorum plerumque aut omnino impares, aut nimis otioſæ, repugnant improbæ. De novis ſynonymis adden-

addendis minùs ſollicitus fui; ſperabam ſcilicet utilitati non operis magnitudini inſervire. Multæ res utiles admodum & ingenioſæ in hâc editione conſpiciendæ ſunt, ex quibus non meus ſed honor potius amici ſummi Dom. Afzelii oritur. Egregius ille Botanices Demonſtrator Upſaliæ, in Angliâ morabatur cum hanc editionem aggreſſus ſum. Sæpius profectò illius animadverſionibus uſus fui; de fide enim viri, tum de intelligentiâ, tum de doctrinâ dudum expertus, ſatis compertum habeo.

Quo citationes editionis prioris ad hanc noſtram ritè quadrent, numeros Linnæanos mutare nolui. Quas autem ſpecies novas inſerui, hiſce numerum plantæ, qua fors tulerit, præcedentis, aſteriſco adjecto, dedi. Hinc qui paginas haſce vertet, facillime plantas novas quas inſerui deteget, ſimulque ſub omnibus ita inſertis, quâ ratione uſus inter priſcas Linnæanas inſerui, diſcet. Excipienda autem eſt planta numero 345 ſuppoſita; ſcilicet iſte numerus in priori editione geminus occurrit, & aſteriſco poſterior a Linnæo notatur ipſo.

Obſervationes quas ipſe auſus ſum inferre, meo nomine dedi, ne culpâ ingenii

noſtri Linnæi famam videar deterere. Libri citati, qui nunc primum catalogo auctorum Floræ noſtræ præfixo adduntur, aſteriſco diſtinguuntur. Hunc catalogum accuratiorem, uti ſpero, quam qui in prima editione elaboratus eſt, confeci. Non abs re alienum erit hoc loco memorare, quod operam perdidi dum ſane inveſtigarem quid Linnæus vellet innuere, aſteriſco (*) ad calcem characterum ſpecificorum quarundam in hoc libro plantarum adjecto, tum etiam ſigno (†) ad paucos alios. Hoc profectò ad numeros 223, 237, 267, 290, 301, 302, 308, 309, 328 ad 331, 390—394, 469, proſtat, vix ad unum aut alterum præterea. Epiſtolæ Bartſchii, cui primæ editionis dum adhuc imprimeretur cura commiſſa fuit, qui et epiſtolas quotidie de iis quæ in imprimendo opere acciderent, ab Amſtelodamo ad Linnæum, tunc temporis Hartecampi commorantem, miſit, ne quid lucis huic inveſtigationi dederint. In hâc novâ editione ſigna hæc omnia retinui ſummâ ſide. Piget ſane non potuiſſe omnia explicare; at ſi fungar vice cotis, & alium quempiam ad labores feliciores cogam, opera haud omnino inutilis videbitur.

Floram

Floram illam egregiam Dom. Villars, dum, quod ad Salices ſpectat, citabam, certa fundamenta in genere tam obſcuro ſpe omnino ſollicitâ quærens, ſpeciminibus originalibus ab illuſtri homine nominatis tantummodò fidem habui. Hoc ſanè genus, & profecto quodcunque in aliis aut obſcurum aut difficile fuerit tractanti, ſpecimina a Linnæo ipſo in Lapponiâ lecta, & ab eodem nominata, opem ſummam & certiſſimam tulerunt.

Denique neque tempori neque labori parcendum duxi, quo minus editionem hanc omnibus numeris abſolutam reddam. Opera ſane hujuſce viri illuſtris exemplaribus tam indignis, tum compilationibus adeo deformia facta ſunt, ut certe jam tempus eſt rem in melius reſtitui. Illi etiam editores queis ingenium ſummum fuerit & operi huic necquicquam impar, ceſſere tamen, quoniam ad Mſſ. Linnæana & ad herbarium aditus non patuit; tum autem, quoniam ſcientia plantarum practica, quas forſan vellent ſcribere, defuerit.

Si conatus hi noſtri, illorum quorum mens atque animus in hiſce rebus ſatis verſatus fuerit, judicio probentur, mox

novam quoque Syſtematis Vegetabilium editionem proferam. Neque hæc niſi ex ipsâ obſervatione proveniet, & ſtudio & diligentiâ ad ſummum quod potero limata. Talis editio jamdudum omnium in votis fuit. Haud tamen nimis propere hæc aggrediar, ne errori in aliquâ re quam effugiſſe licuerit, aliis fiam. Hoc enim animo ſemper uſus ſum

——*" Sat cito, ſi ſat bene."*——

Dabam Londini, 1792.

LECTORI

S.

AUTHOR.

TERRAM, quam regit ſumma Arctos, ipſius aquilonis ſedem, hyeme æterna ſepultam, incultam, ſterilem & inhabitabilem multi veterum credidere; longe tamen mitiorem eſſe, longe ſuaviorem beatioremque intellexere recentiores, ſuiſque & hanc ſuperbire naturæ dotibus ſingularibus ſibi ſoli propriis oſtendat Flora tandem Lapponica.

Prodeat itaque Flora Lapponica ſera licet, & neſcio quibus fatis tamdiu retardata, ſemetque Curioſis offerat, quæ diu ſatis in ultimo Europæ angulo latuit, cum jamdudum ſorores Europeæ famam virtutibus ſuis partam poſſideant ſummam. Erit igitur ut loco, ſic & tempore ultima Flora, immo & laudem ornamenta ejus expoſcent ultimam.

Ex Floræ Lapponicæ comitatu vix plantam vidit ullus ante Clar. *Rudbeckium* fil: qui anno 1695 mandato Sapientiſſimi Regis quondam noſtri p. m. CAROLI XI. ut quæ alma Natura in ſummo ſeptentrione produxerat, deſcriberet cumque orbe literario communicaret, Lapponiam adire tenebatur. Mandato obſequens adit, pervenit, peragrat, inquirit, invenit, obſervat, deſcribit, exit, redit totius orbis literarii ſummo cum deſiderio; in obſervatis his deſcribendis, limandis, illuſtrandis & parandis dies noctesque conſumit, nullum laborem, nullas impenſas parcens; abſolut & ad prælum parata Lapponiæ illuſtratæ imprimitur tomus primus, ſplendidus & curioſus, qui primos modo itineris dies enarrat, ſubſequentibus ſeptem exſpectantibus, ut ſubjiciantur prælo, quos prævenit ferale & fatale iſtud incendium Upſalienſe 1702, omniaque tantis impenſis, laboribus, periculis, itineribus, lucubrationibus comparata, collecta, adſervata & elaborata uno die cum florentiſſima urbe in cineres convertit; nec reliquit præter tabulas quaſdam manu pictas & brevem *catalogum rariorum plantarum* Act. lit. Suec. 1720 inſertum.

Præterlapſis ab itinere Rudbeckiano fere quadraginta annis, conjunctis & apud nos doctorum viribus & animis, inſtructa & in Suecia Societate erudita & curioſa, latentes in propria etiam patria naturæ theſauri ſolicitam mereri cœperunt curam, jactura Rudbeckiana magis magiſ-

magiſque a plurimis deplorata. Placuit itaque Inclytis Societatis Regiæ Literariæ & Scientiarum Membris (quorum primi hujus itineris auctores fuere A. Celſius, O. Celſius, & O. Rudbeck. fil. Profeſſores Upſalienſes per orbem clariſſimi) etiamnum aleam jacere, iterumque aliquem, Societatis impenſis ad loca diſſita Lapponiæ mittere. Obtigit ergo mihi ex eorum decreto hæc ſparta.

Rebus ita ordinatis Lapponiam inſequente anno a me viſitandam concluſum dum fuit, Upſalia diſcedo, inferiores Sueciæ provincias peto, adfines ſaluto, *Lundinum* in Scania ſimulque fideliſſimum quondam meum in rebus naturalibus Magiſtrum, Clariſſimum *Stobæum* Profeſſorem & Archiatrum inviſo, circa initium anni 1732. Diſcedente hyeme medio menſis Februarii & ego diſcedo ex Scania, *Smolandiam* etiamnum nive tectam accedo; permaneo cum hyeme in Smolandia ad medium Martii, cumque ea abeo, *Upſaliamque* ſub initium Aprilis nive adhuc albam attingo. Paratis neceſſariis ad iter, ſolus, relictis omnibus, quæ moram & impedimentum adferre poſſent, adſumo veſtimenta, capſulam coriaceam papyro penniſque refertam, baculum, qui inſculptas exhibebat menſuras, conſcendo equum, & ingredior iter Lapponicum die *decima tertia* Maii 1732, omnia dum Upſaliæ vernali tempore vigebant, florebantque; nec lente, nec curſu pernici pergo per Gewaliam & *Geſtriciam*, *Helſingiam* & Sundſvallem, *Medelpadiam*, ubi mon-

montem Norbyknylen adſcendo, mox Hudvikſvallem, *Angermanniam*, Hernoamque video, & cryptam in apice montis Skula intro cum vitæ licet diſcrimine; iter dein parum minus accelerandum ſuadet hyems ſuperiorem Angermanniæ partem adhuc infeſtans; tandemque *Umoam Weſtrobothniæ* pervenio.

Via publica hic decedo, devias ſylvas verſus occidentalem plagam introeo, tandemque terminos *Lapponiæ* ſaluto. Intro Lapponiam, *Lykſelam* pervenio, Lapponibuſque dein, qui morum linguæque barbarie tantum non horrorem excitare poterant, me ſolum committo; adverſo fluvio ad Alpes tendo, inde me trado flumini *Juktan*, cum quo luctatus ſum diu; tandem ſylvas & paludes glacie, nive, aquaque frigida refertas tranſire ſuſtineo,

Fata obſtant, triſtiſque palus, innabilis unda
Alligat & novies Styx interfuſa coercet.

Exhauſtus tandem viribus Weſtrobothniam repeto, mox *Pithoam* novam & antiquam inviſo, *Luloamque* novam & antiquam pertranſeo. Hic iterum via decedo, ſcaphaque vectus per flumen *Lulenſem Lapponiam* quæro; *Jockmockſenſe* & *Quickjockſenſe* templum linquo, montes, ſylvas & campos arenoſos per deſerta luſtro. Dein *Alpes Lapponicas* per montem Wallevari adſcendo, occidentalem plagam reſpiciens, inflexo verſus Lapponiam *Pithoenſem* auſtralem magis itinere meo pedeſtri; tum demum ſumma Alpium juga (*Dorſum Alpium* dicta) tranſcendo,

ſcendo, ex Alpibus in *Finmarkiam*, partem Norvegiæ maxime ſeptentrionalem, deſcendo, littora maris ſeptentrionalis perambulo, Roerſtadium & *Salleroeam* video; facilis deſcenſus Averni, ſed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras, hoc opus, hic labor erat, projectis licet viribus repeto Alpes, inflexo verſus *Lapponiam Tornoenſem* itinere, orientalem reſpicio plagam, tandem fame, ſiti, ſudore, itinere, æſtu, pluvia, nive, glacie, ſaxis, montibus, converſatione Lapponum ſatiatus diſcedo, viſaque bis *Tornoa* Oſtrobothniam menſe Septembri peto, cumque avibus me in Lapponiam comitantibus & ego Lapponiam dimitto; pervenio *Uloam*, *Braheſtadiam*, *Carlebyam* antiquam & novam, *Waſam*, *Chriſtinam*, inde Finlandiæ me committo, *Biærneburgum* & *Aboenſem* Academiam ſaluto, at urgente hyeme mox *Alandiam* mareque Alandicum trajicio in *Uplandiam*, tandem *Upſaliam* menſe Novembri redeo.

Peragravi itaque ſemeſtri anni hujus ſpatio Uplandiæ nemora, Geſtriciæ ſylvas, Helſingiæ colles, Medelpadiæ ſaltus, Angermanniæ montes, Weſtrobothniæ lucos, Lappmarkiæ deſerta, Alpium juga, Finmarkiæ littora, Oſtrobothniæ paludes, Finlandiæ ericeta, Alandiæ inſulas; totum adeoque circumvectus ſum ſinum Bothnicum, exinde vidi non certis paſſibus errans mare ſeptentrionale, eique adjacentem Finmarkiam.

Quidquid in hocce itinere ex quocunque Naturæ regno obſervare potui, fideliter notavi,

ex

ex hisce, quæ ad plantas pertinent, Amicorum suasu Floræ prodeunti committo, servans reliqua regna, nec non œconomicas ac physicas observationes futuris, si fata velint, otiis.

Doleo tamen me missum fuisse ad pauperrimam Floram fere totius orbis, quæ a fastu Africano aliena, more Lapponico paucis contenta vivit. Paucas tamen ejus copias mecum considerare non pœnitebit Curiosum, majorem certe & utilitatis & oblectamenti abundantiam vix prævisam adferet hæc simplex Flora, quam multæ aliæ alto fastu turgidæ Chlorides: jucunde enim colligere poteris, quænam plantæ facile vim frigorum hyememque sustinere queant, cum vix alias admiserit Flora nostra; quod si hæ plantæ tibi videantur viliores, ex istis scopulis, quibus erant infixæ, utinam eas petiisses ipse!

Prodit quidem sero Flora hæc, citius tamen, quam ut excipi posset ornatissima, sed quid fuco, quid cosmetico opus Lapponicæ, ubi impexi & intonsi, naturali contenti decore incedunt omnes: ecquis demum peregrinanti succenset vestitum; debuit enim Flora hæc mecum continuo obvolare, avis instar vagæ, anno 1733 ad varias fodinas Sueciæ; anno 1734 per Dalekarliam, partemque Norvegiæ: 1735 per magnam partem Sueciæ, Daniæ, Germaniæ, Belgii; & 1736 per Angliam.

Pigmenta Chloridi huic mutua dedit partim proprium musæum, partim Celsianum Upsaliæ, Sprekelsonianum Hamburgi, Bur-

mannianum Amſtelædami, Cliffortianum Hartecampi, Gronovianum Lugduni, Dillenianum Oxoniis, &c.

Ornamenta iſta picta & ſculpta grata mente reddit Flora hæc Privatæ, de qua ſibi gratulatur Amſtelædamum, *Societati* Virorum *Nobilium, Eruditorum, Curioſorum,* Amicorum meorum maxime colendorum. Vobis cum ſumma gratiarum actione offert Tabulas ſuas, quibus Veſtra Nomina immortalitati conſecrare ſtudebit Flora Lapponica.

Diſtribuit Flora hæc plantas ſuas, ſecundum methodum a *ſexu* datam. Vid. Syſtem. Nat. & Gen. Plant.

Synonyma Floræ huic obtulerunt, quæ ipſi ſororio vinculo junctæ *Suecicæ* ac vicinæ Chlorides, cum nihil ipſi commune ſit cum Africanis vel Indicis; ſemper tamen allegatos reperies vel certos *deſcriptores,* vel ſynonyma *Bauhini,* atque ejuſmodi nomina, quæ cuivis Botanico ſunt notiſſima, eo ſcopo, ut ſynonymis Botanicorum Suecicorum Floram hanc haud illuſtrantibus, hæc tamen diſtinctius explicaret illa.

Deſcribit breviter *Alpinas* ſuas plantas fere omnes, cum viderit alpinarum plantarum adumbratores tantum non omnes, viribus exhauſtos & itinere fatigatos, deſcriptiones ſuas propoſuiſſe valde mancas: his namque in locis non datur blanda commoditate, ut in hortis vel hybernaculis, deſcribere plantas, verum

obdurato

obdurato animo & corpore cœli ſuſtinere oportet injurias.

Hocce ergo ſplendore nitens Te, rerum juſte æſtimator, læta amplectitur Flora hæc & quæ aut tempus, aut caſus, aut locus vetarunt, authori ipſi ne imputes, ex Te rogat humaniſſime. Fruſtra deſiderabis, ut vanis anxie collectorum undique politiſſimorum verborum blandimentis animum tuum captare ſtudeat, quin potius veris obſervationibus ac ſimplici ſermone ſeſe Tibi commendare geſtiat Flora Lapponica, præferens ſemper ſimplex veri ſigillum. Vale. Dabam Hartecampi ex Horto Cliffortiano. VIIII. Kal. Jan. CIƆIƆCCXXXVII.

PRO-

PROLEGOMENA.

SOLUM NATALE plantarum Lapponicarum paucis pingere conabor, ut pateat Curiosis, quam matrem læte exosculentur plantæ descriptæ & enumeratæ.

1. *Lapponia* est provincia Scandinaviæ summe arctoa, sita inter Oceanum septentrionalem, sinum Bothnicum, Mare album, Sueciam & Norvegiam, ita ut Lapponiæ terminus *septentrionalis* sit Finmarkia Norvegica; *occidentalis* Norvegia borealis; *australis* Jemtia; *orientalis* Angermannia, Westrobothnia & Ostrobothniæ pars.

2. *Divisa* est Lapponia (1.) trifariam, uti tribus Imperantibus subjecta, in *Suecicam*, *Norvegicam* & *Russicam*, quarum Suecica maxima.

3. *Subdivisa* dein est Lapponia Suecica (2.) secundum adjacentes Sueciæ provincias in *Ostrobothniensem*, *Westrobothniensem*, *Angermannicam* & *Jemtiam*, quarum Westrobothniensis maxima & a nobis lustrata.

4. *Westrobothniensis* Lapponia (3.) dividitur in quatuor partes, si Zonæ ab oriente usque ad occidentem eam tenere concipiantur, in *Umensem*, quæ maxime australis, *Pithoensem*, *Lulensem* & *Tornoensem*, quæ maxime borealis est, secundum

dum flumina ex Lapponia decurrentia ad nominatas quatuor urbes Westrobothniæ.

5. Hanc divisionem (2, 3, 4) excipiat *distributio Naturalis*, secundum leges Regni vegetabilis, in *Desertum* & *Alpes*.

6. ALPES LAPPONICÆ (5) *Montes Fellici* Scheff. *Vari* Lapponibus. *Fiellen* Suecis, a mari albo excurrunt versus occidentem, inflexo dein versus austrum cursu, mari norvegico adpropinquant, usque dum tandem deliquescant Transtrandiæ in Dalekarlia cervice incurva occidentem versus; percurrunt sic longitudine sua plus quam 150 milliaria Suecica, latitudine 12-15 milliaria; cumque hæ ipsæ sæpe littora maris septentrionalis constituant, hinc terræ, quam regit Flora Lapponica, terminos in ipso mari demergi videbis ex collectis plantis maritimis, licet eam undique cingat Finmarkia interjacens.

7. *Alpes* (6) sunt montes tàm alti, ut in ipsam secundam regionem (Physicis dictam) atmosphæræ caput efferant. Hæ a Botanico facile ab aliis montibus distinguuntur, cum in his nullæ persistere possint Sylvæ; cum Arbores omnes, si quæ dentur, procumbant, nec erectæ surgant; cumque Nives in his aggestæ, variis in locis perennant indissolubiles. Tales sunt *Lapponicæ*, *Helveticæ*, montes *Pyrenæi*, *Walliæ*, *Olympus*, *Ararat*, *Baldus*, *Spitzberga*.

8. *Duplicis* generis Alpes (7) occurrunt. *Simplices* scilicet, quæ unico constant monte, ut Ararat, Baldus; vel *Compositæ*, quæ ex concate-

catenata montium ſerie protrahuntur, ut Lapponicæ, Spitzbergenſes, &c.

9. *Partes* Alpium lapponicarum (6) tres conſidero: *Latera*, *Montes* & *Convalles*.

10. *Latera* (9) Alpium admodum prærupta ſunt, adeo ut vix equus ea adſcendere queat, a radice ad cacumen communis ultra milliaris Suecici ſpatium adſurgunt; tecta plerumque ſunt nemoribus, Betula § 341. humoque atra pingui ſuccoſa continuo ex incumbentibus aquis humectata; cumque latera hæc meridionali plagæ objiciantur, radios ſolares colligunt, ut in his plantæ lætius creſcant, quam unquam alibi videre licuit. (§ 152. γ. 290. β.)

11. *Montes* (9) minus præcipites, ſed altiſſimi longiſſimeque protracti undique tegunt diſcum Alpium adeo, ut in his vix detur planities minima horizontalis; horum ſumma cacumina per æſtatem nitent nive, quæ quidem ſenſim ſenſimque attenuata diſparet, remanente tamen copia ejus haud parva uſque ad reditum hyemis. Nullæ hic arbores, ſed terra arenoſa rigida, humo fere omni deſtituta. In Alpibus *minus altis* læte provenit *Lichen* § 437. Betula § 342. Arbutus § 161. Empetrum § 379. ut in Alpibus Dalekarlicis. In *altioribus*, quæ plerumque lapidum teguntur fragmentis, paucas & valde a ſe invicem remotas vides plantas, uti Saxifragas § 172, 175, 176, 178, 179. Diapenſiam § 88. Azaleam § 90. Andromedas § 164, 165. Illæ vero Alpes, quæ caput ſuum inter priores efferunt, æterna veſtitæ ſunt

nive, ut in *dorſo Alpium* (Fiellryggen), quod partem occidentalem Alpium noſtrarum conſtituit & ſecundum totam longitudinem Alpium extenditur longitudinaliter, latitudine tria vel ſex milliaria Suecica occupat, ubi

Nix jacet & jactam nec ſol pluviæve reſolvunt;
Indurat Boreas perpetuamque facit.

12. *Convalles* (9) montibus (11) ubique interjectæ colligunt aquas, hic cernis rivulos, illic fluvios; hic vides cataractas, illic lacus; convalles has amant Salices § 366. In aqua fluente vel ſtagno ne minimum datur vegetabile, quaſi Ovidius hic recubans caneret

—— vides hic ſtagnum lucentis ad imum
Uſque ſolum lymphæ; non illic Canna paluſtris;
Non ſteriles Ulvæ, non acuta cuſpide Junci;
Perſpicuus liquor eſt, ſtagni tamen ultima vivo
Cæſpite cinguntur ——

ſaligneo. Aqua dein in hiſce alpinis lacubus communiter lactei coloris eſt ac frigidiſſima.

13. *Clima* in hiſce Alpibus (6) quale ſit, quivis facile intelligit, qui conſiderat altitudinem earum; poſitum harum ſumme arctoum ſub ipſo circulo arctico; ſolem non ſurgentem circa ſolſtitium hybernum; denique ipſam Alpium naturam, quodque nudæ ſint & ventoſiſſimæ, eaſque vexent continuæ procellæ; ut non mirum quod maxima viventium pars per hyemem

mem Alpes lapponicas relinquere cogatur § 342. 9. Circa folftitium æftivum nivis pars maxima liquefcit citiffime, diffluit, longamque tum hyemem excipit novum ver, quod nulla fequitur vel æftas, vel autumnus, fed redux ante finem Augufti hyems, folum itaque vernum tempus exhilarat Alpes has. Sol circa folftitium æftivum per noctes fe e confpectu non fubducit, fed longa luce exhilarat Lappones, id quod vel unica nocte fi contingeret meridionalibus orbis noftri habitatoribus, eis foret gratiffimum. Augetur tum calor in Alpium convallibus, cum per noctes fol caloris mater non petat lectum; crefcunt itaque plantæ in his quam citiffime, at in Dorfo Alpium (11) gelant frigora nocturna femper, tegitque illud nix fæpius ingens, dum convalles grata irrorat pluvia. Incipiunt itaque plantæ in Convallibus primum progerminare, quas excipiunt gradatim difcedente nive fuperiores, adeoque tempus florendi certum adfignari nequit.

14. *Plantarum*, quas Alpes vel remotiffimæ proferunt, pars maxima folas amans Alpes nunquam vifitat eas, quæ interjacent, regiones. Lapponicæ hinc Alpes plantas mihi obtulerunt plurimas in nullis reperiundas regionibus, nifi ubi occurrunt Alpes; fic in noftris crefcunt, quæ & in Alpibus

Helveticis: § 7. 25. 67. 90. 95. 115. 119. 132. 161. 184. 215. 233. 260. 267. 283.

283. 290, 291. 304. 307. 353. 355. 359. 378, &c.

Pyrenæis: § 185, &c.

Spitzbergensibus: § 175, 176, 178, 179. 233. 283, &c.

Walliæ: § 12. 132. 161. 283, &c.

Baldi: § 184. 246, &c.

Adeo, ut ex solis plantis missis ex *Groenlandia* determinare auderem Alpes ibidem dari, licet nunquam de eis audivissem antea, crescunt enim ibi fere eædem, quæ in Alpibus Lapponicis. Sic in monte *Ararat* crescunt eædem, quæ in nostris montibus plantæ § 287. 308, &c. licet in ambientibus eum regionibus, nulla illa illarum conspiciatur.

15. *Rariores* plantas Floræ nostræ omnes ex Alpibus decerpsi, speravi autem ejus divitiis plures me addere posse, dum 1734, jussu & impensis *Generosissimi Baronis* Nic. Reuterholm, *Magni Gubernatoris Dalekarliæ*, Alpium Lapponicarum australem partem adire licuit; sed licet septem cinctus Sociis Dalekarlicas Alpes diu pererraverim, nullam tamen in hisce me reperisse plantam, quam non viderim antea in Lapponia, fateri oportet.

16. *Conclusiones* ex loco & observatis.

α. *Plantæ alpinæ* prodeuntes florent cito, suaque semina maturant citissime.

β. *Plantæ alpinæ* ventorum impetus sustinent majores, quam aliæ.

γ. *Plantæ alpinæ* in loco natali vim frigoris summa sustinent constantia.

δ. *Plantæ alpinæ* in Alpibus communiter ſicciſſimis & aridiſſimis læte excreſcunt & vigent, extra Alpes delatæ omnes paluſtres ſunt.

ε. *Plantæ alpinæ* gaudent ſolo duro, ſabuloſo, ſterili, in loco natali, extra Alpes magis ſpongioſo.

ζ. *Plantæ alpinæ* in Alpibus humiles fœcundiſſimæ ſunt, ad duplo majorem extra Alpes communiter excreſcunt altitudinem.

η. *Plantæ alpinæ* maxima ex parte perennant.

ϑ. *Plantæ alpinæ* in ipſis Alpibus communiter procumbunt, extra Alpes maxima ex parte ſurgunt rectæ.

ι. *Plantæ alpinæ* aquaticæ apud nos vix ullæ dantur.

κ. *Plantæ alpinæ* corolla cærulea, purpurea aut rubra ornatæ, fere omnes mutato colore albos nobis exhibuere flores.

17. DESERTUM LAPPONICUM (5) Lapponia ſylveſtris, Lapmarkia, Lapmarken Suecis, vocatur pars iſta Lapponiæ, quæ Alpes Lapponicas (6) & Sueciam (1) interjacet.

18. *Deſertum* nomino (17) hanc Lapponiæ partem, cum fruſtra hic quæras urbes, oppida, municipia, vias, ſepes ac loca culta ulla, præterquam quod pauciſſimi extranei, *Novaccolæ* dicti natione plerumque Finnones, ab invicem longe remoti, ultimis ſeculis hinc inde ſuas fixerint ſedes.

19. *Prata* in deſerto (17) nulla, præter anguſta iſta a Novaccolis (18) culta, quæ brevi ante ſylvarum partes fuere, hinc nec tanta

amœniſſimorum, quanta ornari ſolent prata, condecorantur florum copia.

20. *Agri* apud Lappones nulli, quoniam nec ſementem faciunt, nec metunt; apud Novaccolas (18) pauci atque anguſti reperiuntur ad ripas lacuum fluviorumve extenſi, ut frigoris ſævitia per aquam miteſcat. In his intra ſegetem aliquot reperi plantas, quæ quidem Lapponiæ indigenæ a nemine dicerentur, cum hic vix matureſcant. § 220.

21. *Sylva* fere integram conſtituit Lapmarkiam, hic denſa & opaca, illic rarior, conſtans *Pino* § 346. *Abiete* § 347. *Betula* § 341. quibus ſe jungunt in locis magis humidis *Salices.*

22. *Campi*, in deſerto, glareoſi, vaſtiſſimi, plani, a parte præſertim Weſtrobothniæ, quaſi ex arte horizontales, quorum alter minor alteri majori hinc inde impoſitus valli refert ſpeciem; hi atra humo deſtituti *Lichene* § 437. obducti, paucisque *arboribus* § 346. inſtructi ſunt.

23. *Paludes* campis & montibus interjectæ frequentiſſimæ *Caricibus*, *Salicibus*, *Sphagno* § 415. & Scirpo § 20. tectæ.

24. *Flumina* omnium eorum, quæ vidimus, maxima, & *Lacus* vaſti, quorum fundus & littora nullam exhibent plantam, aquam enim nimis frigidam, perpetuo a nive Alpium diſcuſſa auctam vix ferunt plantæ, niſi rarius *Ranunculus* § 234. *Alopecurus* § 38. *Scirpus* § 18.

25. *Rudera*, quæ maxime amant plantæ rariores, ut ſepes, parietes, muri, viæ, ignota hic (17) ſunt omnia.

26. *Clima*

26. *Clima* & hic (17) ſingulare adeo, ut facile adfirmare auſim, quod nobilior aër mitiore hyeme & æſtate nimboſa tantum, quodammodo hic vernet vel autumnet; poſt paucos enim dies præceps eſt Ver, nec auſter pluvius diſceſſurum detinet Autumnum; hinc parca in Lapponia copia *Muſcorum*.

27. *Hyems* nova circa initium Septembris, cujus vis & ſævitia ex ſitu regionis ſeptentrionali & adjacentibus Alpibus cuique pateſcit; hinc quæ plantæ urenti reſiſtere nequeunt frigori, nec cum Lapponibus habitare poſſunt.

28. *Æſtas* licet ſat calida, nullo tamen tempore a gelu nocturno ſecurus dormit Ruricola (18), ſi venti ex Alpibus conſurgant; hinc plantæ, quæ frigus æſtivale non ferunt, nec colunt terram lapponicam.

29. Sol cum vix ruat in tenebras per mediam æſtatem, nec refrigeretur per noctem atmoſphæra, nec orientis ſolis calore, ut incaleſcat, opus habet; plantæ autem ex rarefacto per calorem ſolis humido, quod abſorbent vaſiſque ſuis continent, creſcere ſtatuantur; ſequitur, quod citius in his locis adſequantur maturitatem, quam in auſtralibus, dum his in locis dies viginti quatuor horarum, ubi in illis modo duodecim horarum: e. gr. in Purkyaur Lapponiæ Lulenſis anno 1732.

α. HORDEUM *polyſtichum vernum*. C. B. *Maj*. 31. ſerebatur, maturitatem adſequebatur *Jul*. 28.

Ergo maturum per *nycthemeras* 58.

β. SECALE *vernum vel minus*. C. B.
Maj. 31. ſerebatur, maturum diſſecabatur *Auguſti* 5.

Ergo maturuit per *nyεthemeras* 66. Ubinam ſimile exemplum in auſtraliori Europa?

30. *Plantas* eaſdem, quas profert Uplandia Sueciæ, exhibet Deſertum (17) Lapponiæ, vixque alias ullas, ſed minore longe ſpecierum copia, id quod demonſtrat Flora noſtra collata cum Cel. CELSII *Catalogo plant. circa Upſaliam naſcentium*; omnes enim plantæ, quæ intenſum frigus perferre brevique hac æſtate incrementi adſequi nequeunt terminum ultimum, illæ ex hac exulent patria neceſſe eſt; hinc plantis certis certi quaſi limites præfixi ſunt, quos ſua ſponte tranſcendere nequeunt. Id quod cum oblectamento videre licuit in itinere Lapponico, dum ſinum Bothnicum circumveherer; ex. gr.

α. *Fagus*. C. B. 419. in Scania & Smolandia integras conſtituebat & vaſtiſſimas ſylvas, ſubducebat vero ſe cum *Smolandia*.

β. *Quercus latifolia mas*. C. B. 419. Ultimam Quercum vidi ad limites Uplandiæ cum Geſtricia, juxta pagum *Hærnæs*, nec redibat in conſpectum, niſi poſtquam, e regione, *Bioerneburgum* Finlandiæ perveni.

γ. *Ulmus campeſtris*. C. B. 426. in ſummo ſeptentrione Geſtriciæ ad pagum *Hamronger*, ſolitaria creſcebat in admirationem omnium, putabat enim vulgus arborem eſſe novam, ex ſuperſtitione malam arborem incantatam, indeque

que ſterilem; heu quam rara! nec altiora vidiſſe loca obſervabatur.

δ. *Hepatica* ſupra Medelpadiam non occurrebat.

ε. *Alnus rotundifolia glutinoſa viridis.* C. B. non viſa fuit a *Carelbya antiqua* in ſeptentrionali plaga.

ζ. *Leonurus* qui *Cardiaca* Tournef. inſt. 186. ſiſtebat iter verſus ſeptentrionem *Waſæ.*

η. *Solanum ſcandens ſeu Dulcamara.* C. B. 167. cum præcedenti.

ϑ. *Campanula perſicæ folio.* Tournef. inſt. 111. ſiſtebat curſum *Chriſtinæ* in Oſtrobothnia.

ι. *Sedum,* quod *Telephium vulgare.* C. B. 287. iiſdem cum antecedenti circumſcriptum terminis.

κ. *Lathyrus ſylveſtris luteus, foliis viciæ.* C. B. 344. perſiſtebat Waſæ.

λ. *Acer platanoides.* Tournef. inſt. 615. in media via, inter Chriſtinam & Bioerneburgum.

μ. *Opulus* viſa fuit ad loca Gioelboel & Hwiſboſioel ſupra Bioerneburgum.

Hæ omnes α—μ vulgatiſſimæ ut ſunt, in Suecia, in locis auſtralioribus, ita verſus ſeptentrionem omnium rariſſimæ.

31. *Plantæ Lapponicæ* paucæ conveniunt cum exoticis, exceptis aquaticis, uti cum Americanis § 62. 207. 218. 219. cum Zeylanicis § 14.

32. Maxima florum familia in Lapponia nitet albo colore: uti § 22, 23. 65. 139. 143. 160. 280, &c.

33. *Plantæ Lapponicæ* pauciſſimæ oleraceæ;

paucæ

paucæ ſucculentæ; paucæ ſuaveolentes; paucæ aromaticæ; multæ ſempervirentes.

34. *Calidiſſimas* orbis partes regit ſuperba PALMARUM familia; terras *calidas* incolunt FRUTESCENTES plantarum gentes; *auſtrales Europæ* plagas numeroſa ornat HERBARUM corona; *Belgium, Daniamque* GRAMINUM occupant copiæ; *Succiam* MUSCORUM agmina; ultimam vero frigidiſſimamque *Lapponiam* pallidæ ALGÆ, præſertim albi Lichenes. En ultimum vegetationis gradum in terra ultima!

A U T H O R E S

IN OPERE ALLEGATOS DIVIDIMUS

IN

Exteros, Suecos, & propria Scripta.

---

† Libros deſignat a Linnæo in hoc opere citatos, quos ipſe vero in ſequentibus catalogis omiſit, quorumque titulos hoc loco inſeruit editor.

* Libros denotat ab editore tantum in hac editione citatos.

E X T E R I.

† *Act. Hafn.* BARTHOLINI *Thomæ.* Hafn. 1673, &c. 4to. Acta Medica & Philoſophica Hafnienſia.

† *Act. Par.* Memoires de l'Acad. des Sciences de Paris, 4to. 1666, & ſequ. *ob differt. Geoffroii, Reaumurii, & Marchantii.*

* *Act.*

* *Act. Soc. Linn.* Tranfactions of the Linnæan Society. Lond. 1791. 4to. tom. 1.

* *Ait. Hort. Kew.* AITONI *Gulielmi.* Lond. 1789. 8vo. tomi 3.
Hortus Kewenfis.

* *Allion. Fl. Ped.* ALLIONII *Caroli.* Aug. Taur. 1785. fol. tomi 3.
Flora Pedemontana, five Enumeratio methodica ftirpium indigenarum Pedemontii.
Cum figuris rariorum.

† *Barr. Ic.* BARRELIERI *Jacobi.* Par. 1714. fol. tomi 3.
Plantæ per Galliam, Hifpaniam & Italiam obfervatæ, iconibus æneis exhibitæ.

Bauh. Hift. BAUHINI *Johannis.* Ebrod. 1650. 1651. fol.
Hiftoria plantarum univerfalis. tomi tres.
ob defcriptiones fæpe & figuras.

Pin. BAUHINI *Cafpari.* Bafil. 1671. 4to.
Pinax Theatri Botanici.
pro fynonymis.

Prod. Prodromus Theatri Botanici. Bafil. 1671. 4to.
ob defcriptiones & figuras rariorum.

† *Befl. Eyft.* BESLERI *Bafilii.* 1613. fol. tomi 2.
Hortus Eyftettenfis.

† *Blair.*

† *Blair. Obs.* BLAIR *Patricii.* Lond. 1718. 8vo.
Miscellaneous Observations.

† *Boc. Mus.* BOCCONE *Pauli.* Venet. 1697. 4to.
Museo di Piante rare.
Icones valde rudes sunt.

Boerh. Lugdb. BOERHAAVII *Herm.* Lugdb. 1720. 4to.
Index alter plant. Horti Lugduno-Batavi.
ob nomina & systema.

† *Buxb. Cent.* BUXBAUM *Johannis Christiani.* Petrop. 1728. 4to.
Plantarum minus cognitarum Centuriæ I—V.
ob figuras & descriptiones rariùs citatur.

† *Cam. Hort.* CAMERARII *Joachimi.* Franc. 1588. 4to.
Hortus medicus & philosophicus.
ob figuras.

† *Clus. Hist.* CLUSII *Caroli.* Antw. 1601. fol.
Rariorum plantarum Historia.

Pan. Historia rariorum plant. per Pannoniam. Antw. 1583. 8vo.
ob descriptiones & figuras plant. Alpinarum.

Col. Ecphr. 1. COLUMNÆ *Fabii.* Rom. 1616. 4to.
Ecphra-

Ecphrafis minus cognitarum ftirpium. Pars prima.

Ecph. 2. Ecphrafis; Pars altera. Rom. 1616. 4to.

ob defcriptiones & figuras variorum.

† *Comm. Lit. Nor.* Commercium literarium focietatis Norimbergicæ. Norimb. 1731. &c. 4to.

† *Comm. Petrop.* Commentarium acad. fcient. imperialis Petropolitanæ. Petrop. 1726—46. 4to.

* *Dickf. Fafc. Crypt.* DICKSON *Jacobi.* Lond. 1785 & 1790. 4to.

Fafciculus plantarum cryptogamicarum Britanniæ, 1 & 2.

* *Dried Pl.* A Collection of dried plants, named on the authority of the Linn. Herbarium, fafc. 1 & 2.

Dill. Elth. DILLENII *Jo. Jac.* Lond. 1732. ch. max.

Hortus Elthamenfis.

ob defcriptiones & figuras optimas.

Giff. Catalogus pl. circa Giffam nafcent. Giff. 1719. 8vo.

pro fynonymis Mufcorum, Algarum & Fungorum.

App. Appendix ad præcedentem.

ob genera plantarum.

* *Mufc.* Hiftoria Mufcorum. Oxon. 1741. 4to.

Opus immortale.

Dod.

Dod. Pempt. DODONÆI *Remberti.* Antw. 1616. fol.
Pemptades ſeu Stirpium Hiſtoria.
ob figuras.

† *Ernd. Warſ.* ERNDTELII *Chriſtiani Henrici.* Dreſd. 1730. 4to.
Warſavia phyſicè illuſtrata.
ſemel citatur § 160.

* *Fl. Dan.* Flora Danica. Havn. 1764, &c. fol.
A Georgio Chriſtiano Oeder incepta, ab Oth. Frid. Muller & nuper a Martino Vahl continuata.

† *Fuchſ. Hiſt.* FUCHSII *Leonhardi.* Baſil. 1542. fol.
De hiſtoria ſtirpium commentarii inſignes.

* *Gærtn. Sem.* GÆRTNERI *Joſephi.* Stutgard. 1788. 4to.
De fructibus & ſeminibus plantarum.
Egregium opus.

† *Ger. emac.* GERARD *Johannis.* Lond. 1636. fol.
Herbal, or general Hiſtorie of Plants, enlarged and amended by Tho. Johnſon.

† *Geſn. Hort.* GESNERI *Conradi.* Col. 1561. fol.
Horti Germaniæ.

Ad

Ad calcem Val. Cordi Operum.
semel omnino citatur § 216.

Gottsch. Pruss. LOESELII *Johannis.* Regiom. 1703. 4to.
Flora prussica. Quam editionem auctiorem curavit Gottschedius.
ob figuras, quæ paucæ, sed bonæ.

* *Gunn. Norv.* GUNNERI *Johannis Ernesti.* Nidros. 1766. fol.
Flora Norvegica. Fasc. 1 & 2.

† *Heist. Helm.* HEISTERI *Laurentii.* Helmst. 1734. 8vo.
Catalogus Plantarum Horti Acad. Helmstadiensis ab anno 1730 ad anno 1734.

Helw. Flor. HELWINGII *Georg. Andr.* Gedan. 1712. 4to.
Flora quasimodogenita.
rarius allegatur in rarioribus.

† *Suppl.* Supplementum Floræ Prussicæ. Gedan. 4to.

† *Herm. Lugd.* HERMANNI *Pauli.* Lugb. Bat. 1687. 8vo.
Horti Academici Lugd. Batavi Catalogus.

† *Parad.* Paradisus Batavus. Lugd. Bat. 1698. 4to.
ob icones egregias.

† *Hort. Pis.* TILLI *Michaelis Angeli.* Flor. 1723. fol.

Catalo-

Catalogus Plantarum Horti Pisani.
ob Juncum spicatum a Michelio missum.

* *Huds. Angl.* HUDSONI *Gulielmi.* Lond. 1778. 8vo.
Flora Anglica. Ed. 2.

† *Johr. Hodeg.* JOHRENII *M. D.* Colb. 1717. 8vo.
Vade mecum botanicum seu Hodegus botanicus.
rarissime citatur.

† *Knaut. Meth.* KNAUT *Christiani.* Lips. 1716. 8vo.
Methodus plantarum genuina.

† *Kram. Tent.* KRAMERI *Johannis Georg. Henr.* Dresd. 1728. 8vo.
Tentamen botanicum.

* *Lightf. Scot.* LIGHTFOOT *Johannis.* Lond. 1777. 8vo. tom. 2.
Flora Scotica.
Anglice, cum figuris paucis.

† *Lind. Alsat.* Von LINDERN *Francisci Balthasaris.* Argent. 1728. 8vo.
Tournefortius Alsaticus.

† *Lob. Hist.* LOBELII *Matthiæ.* Antw. 1576. fol.
Plantarum seu Stirpium Historia.

Ic. Icones. Antw. 1581. 4to. obl.
figurarum caussa.

† *Mart. Spitzb.* MARTENS *Friderici.* Hamb. 1675. 4to.
Spitzbergische oder Groenlandische Reise Beschreibung.
figuræ rudes.

Matth. Comm. MATTHIOLI *Petr. Andr.* Venet. 1570. fol.
Commentarii in Dioscoridem.
ob figuras.

† *Mentz. Pug.* MENTZELII *Christiani.* Berol. 1682. fol.
Pugillus rariorum Plantarum. Appendicis loco Indici botanico polyglotto adjectus.
figuræ paucæ.

Mich. Gen. MICHELII *Petr. Ant.* Florent. 1729. fol.
Genera Plantarum.
ob nomina & figuras in Cryptogamia.

Moris. Hist. MORISONI *Roberti.* Oxon. 1680. 1699. ch. max.
Historia Plant. universalis. Tomus 2dus & 3ius.
ob systema & figuras.

† *Munt. Brit.* MUNTINGII *Abrahami.* Amst. 1681. 4to.
De vera Antiquorum Herba Britannica.
ob Rumicum figuras.

† *Phyt.*

† *Phyt.*	Phytographia curiosa. Amst. 1727. fol. *ob figuram Pisi maritimi* § 272.
† *Ol. Magn.*	MAGNI *Olai*. Edit. var. De Gentibus Septentrionalibus.
† *Park. Theatr.*	PARKINSONI *Johannis*. Lond. 1640. fol. Theatrum Botanicum.
† *Paul. Dan.*	PAULLI *Simonis*. Hafn. 1648. 4to. Flora Danica. *bis tantum citatur ob figuras ad calcem.*
† *Quadrip.*	Quadripartitum Botanicum. Argent. 1667. 4to.
Pet. Gen.	PETITI *Petri*. Namurc. 1710. 4to. Lettres d'un Medecin des Hôpitaux du Roi. *rarius allegantur.*
† *Petiv. Gaz.*	PETIVERI *Jacobi*. Lond. fol. Gazophylacium Naturæ et Artis.
† *Mus.*	Musei Petiveriani Centuria prima. Lond. 1695. 8vo.
* *Pharm. Ed.*	Pharmacopoeia Collegii Regii Medicorum Edinburgensis. Edin. 1783. 8vo. *ob Cursutam*, § 96*.
† *Plot. Ox.*	PLOT *Roberti*. Oxon. 1705. fol. The Natural History of Oxfordshire.

Pluk. Phyt. PLUKENETII *Leonhardi.* Lond. 1691. 4to. maj.
Phytographia.
ob figuras rariorum plantarum.

† *Alm.* Almageſtum Botanicum. Lond. 1696. 4to.

† *Pon. Bald.* PONÆ *Johannis.* Antw. 1601. fol.
Plantæ ſeu Simplicia quæ in Baldo monte, &c. reperiuntur, cum iconibus.
ad calcem Hiſtoriæ plant. Cluſii.

† *Pont. Anth.* PONTEDERÆ *Julii.* Patav. 1720. 4to.
Anthologia ſive de Floris Natura.

† *Comp.* Compendium Tabularum botanicarum. Patav. 1718. 4to.
rarius citantur.

Raj. Hiſt. RAII *Johannis.* Lond. 1686. 1704. ch. max.
Hiſtoria Plantarum, tomi tres.
ob deſcriptiones.

Syn. EJUSDEM a *Dillenio* emendata. Lond. 1724. 8vo. maj.
Synopſis Stirpium Britannicarum. Editio tertia.
ob ſyſtema.

Riv. Mon. RIVINI *Aug. Quir.* Lipſ. 1690. ch. max.
Ordines pl. flore irregulari monopetalo.

Tetr.

Tetr. Ordines pl. fl. irr. tetrapetalo ibid. 1691. ch. max.

Pent. ——— —- pentapetalo ibid. 1699. ch. max.

ob figuras nitidissimas.

**Rottb. Act. Hafn.* ROTTBOLL *Christiani Friis* in Actorum Hafniensium. vol. x. Hafn. 1770. 4to.

Rupp. Jen. 1. RUPPII *Henr. Bernh.* Francf. 1718. & 1726. 8vo.

Flora Jenensis. Editio prior.

Jen. 2. Flora Jenensis. Editio altera auctior.

ob systema.

Scheuch. Alp. SCHEUCHZERI *Joh. Jac.* Lugd. Bat. 1723. 4to.

Itinera alpina.

ob plantarum Alpinarum descriptiones.

Scheuch. Hist. SCHEUCHZERI *Johannis.* Tigur. 1719. 4to.

Historia Agrostographiae.

ob descriptiones optimas graminum & ob systema.

† *Schwenck. Siles.* SCHWENCKFELT *Caspari.* Lipf. 1600. 4to.

Stirpium & Fossilium Silesiae Catalogus.

ob descriptionem Trientalis europaeae.

† *Sibb. Scot.* SIBBALDI *Roberti.* Edinb. 1684. fol.

Scotia illuſtrata.
ob plantulam nomini auctoris conſecratam, § 111.

Siml. Alp. SIMLERI *Joſuæ.* Tigur. 1574. 8vo.
Valleſiæ Deſcriptio & Commentaria de Alpibus.
ob plantas alpinas.

**Smith. Plant. Ic.* SMITHII *Jacobi Edvardi.* Lond. 1789, 90 & 91. fol, faſc. 3.
Plantarum Icones hactenus ineditæ, plerumque ad plantas in herbario Linnæano conſervatas delineatæ.

** Spicil.* Spicilegium Botanicum. Lond. 1791. fol. faſc. 1.
iconibus pictis.

**Sowerb. Engl. Bot.* SOWERBEI *Jacobi.* Lond. 1790, &c. 8vo.
Engliſh Botany.
iconibus pictis.

Tabern. Hiſt. TABERNÆMONTANI *Jac. Theod.* Francf. 1625. fol,
Hiſtoria Plantarum. Partes tres.
ob figuras.

Tournef. Inſt. TOURNEFORTII *Joſ. Pitt.* Lugd. 1719. 4to.
Inſtitutiones Rei herbariæ.
ob ſyſtema.

Vaill. Act. VAILLANTII *Sebaſt.* Par. 1718. &c. 4to.
Memoires

Memoires de l'Acad des Sciences.
ob systema, præsertim in Syngenesia.

Paris. Botanicon Parisiense. Lugdb. 1727. ch. max.
ob nomina & figuras, præcipue muscorum & algarum.

† *Valent. Mus.* VALENTINI *Michael Bernhardi.* Frankf. 1704. fol. tom. 2.
Museum Museorum.

* *Villars Delph.* VILLARSII *M. D.* Gratianop. 1787. 8vo. tom. 3.
Histoire des Plantes de Dauphiné.
figuris paucis, observationibus bonis.

† *Volck. Norib.* VOLCKAMERI *Johannis Georgii.* Norib. 1700. 4to.
Flora Noribergensis.
semel citatur § 376.

SUECI.

Ad hunc ordinem refero omnes, qui plantas in Suecia natas defcripferunt, five fuerint natione Sueci, five non.

**Afzel. Act. Holm.* AFZELII *Adami.* Bot. Demonftr. Upfal.
Obfervationes circa Plantas Suecanas.
Holm. 1787, 88. Actis Holmenf. infertæ. Suecice. 8vo.

* *Obf.* AFZELII *Ejufdem.*
De Vegetabilibus Suecanis Obfervationes & Experimenta.
Upf. 1785. 4to.

Brom. Goth. BROMELII *Olai.* Poliathri Gothoburgi.
Chloris Gothica.
Gothob. 1694. 8vo. Latino-Suecic.
Primus e Suecis, qui plantis enumeratis addidit fynonyma.

Celf. Upf. CELSII *Olai,* Doct. & Prof. Theol. primarii Upfaliæ.
Catalogus Plant. circa Upfaliam nafcentium.
Upfal.

Upsal. 1732. Actis Lit. & Scient. Sueciæ insertus.

Nullus Suecorum accuratius species investigavit & determinavit. Rarius heic allegatur, cum nomina authorum semper adhibeantur, nec propria habeat; cumque ad me, absoluta jam Flora, sero nimis Amstelædamum perveniret, nec tempus iterum rescribendi librum superesset.

Frank. Spec. FRANKENII *Johannis.* Professoris Medic. Upsal.

Speculum botanicum renovatum.

Upsal. 1659. 4to. nominibus propriis.

Primus e Suecis in Botanicis clarus; editionem priorem non habuimus.

Lind. Wiks. LINDERI (Linderstolpe) Ioh. Archiatri Regii.

Flora Wiksbergensis.

Stockh. 1716. 8vo. Latino-Suecice.

Nomina C. Bauhini sæpius adhibet, nullum allegat, varietates enumerat.

Mart. Burs. MARTINI *Petri.* Prof. Med. extraord. Upsal.

Catalo-

Catalogus Plant. novarum e Burfero.
Upfal. 1724. Actis Lit. Suec. infertus.
Plantas, quarum fynonyma non allegavit Joach. Burferus in herbario proprio, Upfaliæ fervato, recenfet Martinus.

Petiv. Hort. PETIVERI *Jacobi.* Angli.
Hortus ficcus.
Lond. 1704. fol. max. Tomo 3tio. Hiftoriæ Raj. infertus.
Plantas paucas lapponicas per Rudbeckium habuit.

* *Retz. Obf.* RETZII *Andreæ Johannis.* Hift. Nat. & Oeconom. Prof. Lund.
Obfervationum Botanicarum Fafc. I—V.
Lipf. 1779—89. fol.

* *Prod.* RETZII *Ejufdem.*
FloræScandinaviæProdromus.
Holm. 1779. 8vo.

Rudb. Cat. RUDBECKII *Olai.* Patris. Prof. Bot. Upfal.
Catalogus Plantar. horti Upfalienfis.
Upfal. 1658. 12mo. Latine.
Botanices hic prima fundamenta in Suecia pofuit, Hortumque Academicum inftruxit Upfaliæ.

Hort.

Hort. RUDBECKII Patris.
Hortus Botanicus.
Upſal. 1685. 8vo. Latino-Suecice.
Eſt Catalogus prior, ſed auctior & emendatus.

Vall. RUDBECKII Patris, retento nomine.
Vallis Jacobæa ſeu Jacobſdaahl.
Upſal. 1666. 12mo. Latine.
Enumeratio eſt plantarum in horto Comitis de la Gardie, ſito olim in loco, qui jam vocatur Ulricſdaahl.

Elyſ. 1. RUDBECKII *Olai.* Patris & Filii.
Campi Elyſii. Tomus 1mus.
Upſal. 1702. fol. Latino-Suecice.
Splendidiſſimum ex operibus Botanicis Suecorum; continet ſynonyma & figuras nitidas Graminum: hujus tomi exemplaria, exceptis duobus tribuſve, periere ſub prælo in incendio Upſalienſi omnia.

Elyſ. 2. Campi Elyſii. Tomus 2dus.
Upſal. 1701. fol. Latino-Suecice.
Bulboſas iiſque adfines plantas continet; ſequentes tomi periere cum primo.

It.

It. RUDBECKII *Olai.* Filii. Prof. Botan. Upſal.
Lapponia illuſtrata. Tomus 1mus.
Upſal. 1701. 4to. Latino-Suecice.
Continet ejus iter Upſalia in Geſtriciam, cum peteret Lapponiam. Sequentes tomos conſumpſit flamma cum Campis Elyſiis.

Lap. RUDBECKII *Ejuſdem.* Archiatri Reg. Suec.
Index Plant. præcipuarum in itinere Lapponico collectarum.
Upſal. 1720. Actis Lit. Suec. inſertus.
Solus eſt e Botanicis, qui ante me, quantum novi, Lapponiæ plantas collegit; in hocce Indice non modo plantas alpinas Lapponicas, ſed & quaſdam alias in itinere ad Lapponiam directo obſervatas enumerat.

Scheff. Lapp. SCHEFFERI *Johannis.* Prof. Philoſ. Upſal.
Lapponia Illuſtrata.
Francf. 1674. 4to. Lat.
Plantas lapponicas paucas hinc inde recenſet, qui Lapponiam ipſe non vidit.

Schel.

Schel. Botn. SCHELLERN *Joh. Gerard.* Germani.
Itinerarium Lapponiæ & Botniæ.
Jen. 1727. 8vo. Germanice.
Paucissima nomina germanica plantarum in Westrobothnia vulgarium recensuit.

* *Sm. Rel. Rudb.* SMITHII *Jacobi Edvardi.* Angli.
Reliquiæ Rudbeckianæ, sive Camporum Elysiorum Rudbeckii Libri primi quæ supersunt.
Lond. 1789. fol.

* *Swartz. Act. Holm.* SWARTZII *Olai.* M. D.
Botaniske Anmærkningar, &c.
Holm. 1789. 8vo. in Actis Holmensibus. Suecice.

* *Nov. Act. Ups.* SWARTZII *Ejusdem.*
Musci in Suecia nunc primum reperti ac descripti.
Ups. 1784. 4to. in Novis Actis Upsaliensibus.

Till. Ab. TILLANDSII (Till lands.) *Eliæ.* Prof. Medic. Aboæ.
Catalogus Plant. circa Aboam nascentium.
Aboæ. 1683. 8vo. Latino-Suecice-Finnonice.
Solus, qui plantas Finlandiæ investigavit.

Ic.

Till. Ic. TILLANDSII *Ejusdem.*
Icones novæ.
Aboæ. 1683. 8vo.
Figuræ plantarum multæ novæ, plurimæ etiam mutuatæ ab aliis, paucæ rariores.

PROPRIA SCRIPTA.

Propria noſtra opuſcula diſtincta vides duabus modo literis allegata.

* Opera Auctoris poſteriora in hâc novâ editione citata denotat.

S. N. SYSTEMA NATURÆ, ſiveRegna tria Naturæ ſyſtematice propoſita per claſſes, ordines, genera & ſpecies.
Lugd. Bat. 1735. chart. max.

M. D. METHODUS, juxta quam accurate & feliciter concinnari poteſt hiſtoria cujuſcunque naturalis ſubjecti.
Lugd. Bat. 1736. pl. 1.

F. B. FUNDAMENTA BOTANICA, quæ tanquam majorum operum prodromi, Theoriam Scientiæ Botanicæ per breves aphoriſmos tradunt.
Amſt. 1736. 8vo.

B. B. BIBLIOTHECA BOTANICA, recensens libros ultra mille, de plantis hucusque editos, secundum Systema authorum naturale in classes, ordines, genera & species dispositos; additis editionis loco, tempore, forma, lingua, cum explicatione Fundamentorum Botanicorum: partis 1mæ.
Amstel. 1736. 8vo. editio prima †.

C. G. GENERA PLANTARUM eorumque Characteres Naturales, secundum Numerum, Figuram, Proportionem & Situm Fructificationis Partium omnium.
Lugd. Bat. 1737. 8vo. maj.

H. C. HORTUS CLIFFORTIANUS, 4to. cum figuris.
quem ex singulari Splendidissimi Possessoris in Historiam Naturalem favore exoptabunt sibi curiosi omnes.
(Amstelæd. 1737 in folio prodiit; specimen vero primi folii operis in quarto conservat Bibliotheca Linnæana. *J. E. Smith.*)

§ FLORA LAPPONICA (hæc) allegata quoad antecedentia.
Amst. 1737. (edit. prima.)

F. L. FLORULA LAPPONICA, quæ continet brevem catalogum plantarum per provincias Lapponicas Westrobothnienses; Umensem puta, Pithoensem, Lulensem & Tornoensem;

ſem ; obſervatarum in itinere lapponico, quod Soc. Reg. Lit. & Scient. ſtip. munitus perfeci 1732. Pars prior.

Upſal. 1732. in Actis Lit. Suec. a pag. 46—58.

M. C. MUSA CLIFFORTIANA florens Hartecampi 1736. prope Harlemum.

Lugd. Bat. 1736. 4to. cum figuris.

C. F. DISSERTATIO de Cauſa Febrium intermittentium.

Hard. 1735. 4to.

* *Am. Ac.* AMOENITATES ACADEMICÆ, ſeu Diſſertationes variæ antehac ſeorſim editæ nunc collectæ & auctæ.

Holm. 1749 & ſequ. 8vo. Vol. I.—X.

**Diſq. de Sexu.* DISQUISITIO DE SEXU PLANT. Præmio ab Acad. Imp. Petrop. ornata.

Petrop. 1760. 4to.

Anglice, cum notis *J. E. Smithii.*

Lond. 1786. 8vo. exinde Gallice, cura *P. M. A. Brouſſonetii,* prodiit.

* *Faun. Suec.* FAUNÆ SUECICÆ Edit. 2.

Holm. 1761. 8vo.

Ob appendicem de plantis nuper in Suecia detectis.

* *Fl. Suec.* FLORÆ SUECICÆ Editio 2.
Holm. 1755. 8vo.
Fl. Suec. Mſſ. Afzel. editionem futuram ſignificat ejuſdem operis curis Cl. Afzelii proditurам.

* *Mant.* MANTISSA PLANTARUM, 1 & 2.
Holm. 1767 & 1771.

* *Sp. Pl.* SPECIES PLANTARUM. (Ed. 2.)
Holm. 1762. vol. 2. 8vo.

* *Suppl.* SUPPLEMENTUM PLANTARUM.
Brunſv. 1781. 8vo.
A Linnæo filio editum.

* *Syſt. Nat.* SYSTEMATIS NATURÆ. Vol. 2. (Ed. 12.)
Holm. 1767. 8vo.
Editiones 13 & 14 vix unquam citantur.

FLORA LAPPONICA.

FERT UBI PERPETUAS OBRUTA TERRA NIVES.

CLASSIS I.

MONANDRIA.

MONOGYNIA.

1. HIPPURIS.* F. L. 46.
Hippuris vulgaris. Sp. pl. 6.
Pinaſtella ſurrectior. Rupp. jen. 2. p. 275. Dill. app. 168.
Limnopeuce vulgaris. Vaill. act. 1719. p. 15. f. 3.
Equiſetum paluſtre, brevioribus foliis, polyſpermum. Bauh. pin. 15. Rudb. elyſ. 1. p. 123. f. 4.
Equiſetum paluſtre. Brom. goth. 25.
Polygonum polyſpermum. Rudb. cat. 34.
Polygonum aquaticum. Frank. ſpec. 24. Rudb. hort. 91.
Polygonum femina. Till. ab. 34.

α. In paludoſis Lapponiæ ſylveſtris paſſim, in Alpibus vero nunquam conſpiciebatur.

β. *Hippuris* Dill. & *Chara* Vaill. ſunt ſynonyma, alii generi & ab hoc diverſo impoſita; alterum itaque eorum nominum in iſto genere excludi

 debet

debet (F. B. 216), receptiſſimum, quod Chara eſt, perſiſtat (F. B. 244), hinc Hippuris vocabulum ſupervacaneum erit, quo nomine utor ad deſignandum hujus plantæ genus (F. B. 242), cum *Pinaſtella* (F. B. 227) & *Limnopeuce* (F. B. 225) conſiſtere nequeant.

γ. Vix datur in herbis flos ullus hocce ſimplicior, utpote qui calyce & corolla omni deſtitutus eſt, ſtamine & piſtillo unico, unicoque modo ſemine ſubſequente, inſtructus.

δ. Singularis etiam eſt in planta hacce foliorum ſitus verticillatus, paucis Europæis vegetabilibus, præter Rubiam, Galium, Aparinem, Sherardiam, Medeolam & Brabejum, conceſſus.

DIGYNIA.

2. CORISPERMUM *foliis oppoſitis.* *

α. *Callitriche verna.* Sp. pl. 6.
Alſine aquatica minor & fluitans. Bauh. pin. 251.
Stellaria aquatica, foliis ſubrotundis. Celſ. upſ. 41.
Stellaria aquatica. Bauh. pin. 141. Dill. app. 119.

β. *Callitriche autumnalis.* Sp. pl. 6.
Stellaria paluſtris anguſtifolia, folio in apice diſſecto. Gottſch. pruſſ. 140. f. 38.
Stellaria aquatica, foliis longis tenuiſſimis. Raj. Syn. 292.

γ. *Callitriche verna.* β. Sp. pl. 6.
Stellaria minor & repens. Dill. giſſ. 120.
Stellaria minor, foliis ſubrotundis conjugatis. Rupp. jen. 1. p. 51.
Lenticula paluſtris bifolia, fructu tetragono. Bauh. pin. 362.
Callitriche Plinii. Columm. ecphr. 1. p. 316. fig. 8

δ. In fluviis Lapponiæ ſylveſtris ſæpe obvia fuit, licet parcius hic pronaſcatur.

ε. Variationes hujus ſpeciei tres α. β. γ. novimus, e quibus totidem diſtinctas ſpecies conſtituerunt Botanici.

Prima (α) folia elliptico-oblonga, aquis innatantia & integra gerit, quæ naturaliſſima eſt planta.

Secunda (β) foliis linearibus (parallelogrammis) in apice bifidis gaudet: planta enim communiter, in foſſis aqua pluviali impletis, occurrit, quæ per æſtatem calidiſſimam cum ipſa planta exſiccantur; foſſis iterum verſus autumnum aqua repletis, novos ſtolones exſerit radix plantæ, qui folia iſta linearia & emarginata gerunt; folia etiam ſimilia ſunt inferiora caulis in planta naturaliſſima (α), quæ ſemper ſub aqua latent, curioſo inquiſitori manifeſta.

Tertia (γ) planta eſt minima, caule repente, & foliis ſubrotundis; occurrit in locis ſiccioribus, ſeminibus tempore vernali, aqua tum leviter terram inundante, allatis, ubi quidem progerminat & excreſcit, repens tamen evadit herba, radiculis ad articulos exſertis, telluri arctius infixis, quam ut inde illas terram iterum circa autumnum inundans aqua tollere queat; parva autem eſt, ob defectum nutrimenti; plurimæ enim plantæ aquaticæ non modo radicibus, ſed etiam caulis ipſius poris humidum ſuum nutrimentum adtrahunt, quod cum hæcce ſola adſumere teneatur radice, minoris ſui incrementi rationem indicat ſufficientem.

ζ. Flores hujus ſpeciei admodum quoad ſtamina & piſtilla variant; alii enim maſculini ſunt, alii feminini, nunc in una eademque, nunc vero in diverſa poſiti planta, cum autem ſæpius hermaphroditi ſint, & altera ſpecies ſemper hermaphrodita ſit, ad Monandriam potius, quam ad Polygamiam refero præſentem plantam.

 η. Genus

h. Genus *Stellariæ* Dillenii, & *Corifpermi* Juffiei, conveniunt omnino floribus (F. B. 176), præprimis autem corollis (F. B. 173), ab omnibus aliis diverfiffimis (F. B. 171), adeoque ad idem genus pertinent, licet fructus in illa quatuor feminibus, in Corifpermo Juffiei vero femper unico conftet.

g. Perinde itaque erit, five retineamus *Corifpermi*, five *Stellariæ* vocabulum, ad defignandum hocce genus. Pofterius difficilius admitterem, quod facile confunditur cum Stellaria (F. B. 228) Dillenii; Corifpermum itaque adfumo (F. B. 244).

i. Cum altera fpecies Corifpermum Juff. dicta, foliis gaudeat alternis, noftra autem oppofitis, nec aliæ fpecies notæ fint, nomen fpecificum recte conftructum effe exiftimo, dum hæc dicitur *Corifpermum foliis oppofitis*, illa vero *Corifpermum foliis alternis*. Confer F. B. 257, 258. 277. 282. 289. 291. 292. 300.

CLAS-

CLASSIS II.

DIANDRIA.

MONOGYNIA.

3. CIRCÆA *calyce colorato.* *
Circæa alpina. Sp. pl. 12.
Circæa minima. Columm. ecph. 2. p. 80.
Circæa Suevorum minor. Rudb. hort. 29.
Lappula incantatoria minor alpina. Pluk. alm. 206.

α. Ad latera Alpium Lapponicarum rarius occurrit.

β. Calyx hujus plantæ coloratus, ut corolla, deciduus, adnexus petalis leviſſimo margine, & florem monopetalum mentitur.

γ. *Circæa lutetiana.* Lob. ic. 266. Rudb. lapp. 97. *Circæa.* Rudb. cat. 12. hort. 29. *Solanifolia, circæa dicta, major.* Bauh. pin. 168. Moriſ. hiſt. 2. ſ. 5. t. 34. f. 1. *Lappula incantatoria dipetalos ſpicata major.* Pluk. alm. 206. Hæc a Nobil. *Rudbeckio* inter plantas in itinere Lapponico viſas recenſetur; nobis autem nec in Lapponia, nec in ulla alia Sueciæ parte hactenus obvia fuit.

(In Suecia proculdubio inventa eſt. Conf. Fl. Suec. ed. 2. p. 3. *J. E. Smith.*)

4. VERONICA *caule erecto, ſpicis pluribus, foliis lanceolatis ſerratis.* *

Veronica maritima. Sp. pl. 13.
Veronica ſpicata longifolia. Tournef. inſt. 143.
Veronica ſpicata longifolia, ſpicis florum candidiſſimis. Helw. ſuppl. 65. t. 3.
Veronica ſpicata major recta cærulea. Moriſ. hiſt. 2. p. 317. ſ. 3. t. 22. f. 1.
Lyſimachia ſpicata cærulea. Bauh. pin. 246.

α. Ad fines Alpium Lapponicarum juxta mare ſeptentrionale ſæpius conſpicitur; in toto itinere nullibi copioſior viſa eſt, quam in maritimis Tornoenſibus. Calyx quadrifidus.

5. VERONICA *caule repente, ſcapis ſpicatis, foliis ovatis ſerratis ſtrigoſis.* *
Veronica officinalis. Sp. pl. 14.
Veronica mas ſupina & vulgatiſſima. Bauh. pin. 246.
Veronica major ſeptentrionalium. Lob. hiſt. 250.
Veronica mas. Rudb. cat. 42. hort. 117. Till. ab. 67. Brom. goth. 120.
Veronica ſerpens. Lind. wikſ. 39.
Veronica. Frank. ſpec. 30. Till. ic. 97. Riv. mon.
Ærenprys Suecis.

α. In deſertis Lapponiæ rarius obſervatur.

β. In Suecia homines, qui proximo gradu ſupra vulgus ſapiunt, ad imitationem Franki in Veronica theezante, infuſum hujus plantæ maximi faciunt, & religioſe potant loco theæ; durum ſane ſuccedaneum, & ſapore diverſiſſimum, ne dicam, delicias ſanis ingratas.

6. VERONICA *floribus ſparſis, foliis ovatis crenatis glabris.* *
Veronica ſerpyllifolia. Sp. pl. 14.
Veronica pratenſis ſerpyllifolia. Bauh. pin. 247.
Veronica femina. Rudb. hort. 117. Till. ab. 67.
Alſine minima multiflora, foliis ſerpylli. Frank. ſpec. 3.

α. In deſertis ſubhumidis rarius obvenit.

β. In

β. In locis glareoſis repens eſt, in agris vero erecta, facieque diverſiſſima exſurgit.

7. VERONICA *caule floribus terminato, foliis ovatis crenatis.* * Tab. IX. fig. 4.
Veronica alpina. Sp. pl. 15.
Veronica alpina, bellidis folio, hirſuta. Bauh. pin. 247. prod. 116. Scheuch. alp. 51.

α. In Alpibus noſtris, præſertim ad latera earum, frequentiſſima eſt planta, ut in Wallivari & alibi.

β. Bauhini nomen allegatum verum eſſe hujus plantæ ſynonymon, docuit Burſerus in Herbario ſicco, qui hanc plantam Bauhino miſit, & a quo eam ſe accepiſſe fatetur Bauhinus in prodromo: Burſeri fere magis noſtra villoſa eſt, ſed cum reliquæ partes utriuſque conveniant inter ſe in omnibus, eaſdem a ſe invicem ſeparare nefas eſſet,' confirmante idem Bauhino. (Falſum tamen ſynonymon eſt, Veronicæ bellidifoliæ Linn. proprium. *J. E. Smith.*)

γ. Deſcriptionem hujus herbæ addimus, cum nulla apud authores nobis ſatisfaciat.

Radix fibroſa, filamentoſa, perennis.

Caulis annuus eſt, prope baſin tamen perennat infima ejus pars, quæ depreſſa procumbit. Ex hiſce perennantibus fragmentis ad genicula exeunt caules erecti, tetragoni, ſimplices, ſpithamæi vel digitales, in octo vel novem internodia diſtincti.

Rami nulli, caulis ſumma pars leviſſime villoſa vel ſcabra evadit.

Folia infima elliptica, media ovata, ſuperiora lanceolata, ſumma fere linearia; infima & media oppoſita, ſuprema autem alterna ſunt; omnia ſeſſilia, unica alterave crena utrinque notata, præſertim majora.

Fructificationes duæ ad quinque uſque, caulem terminant, ſingulæ pedunculo breviſſimo, e ſinu foliorum ſummorum ſolitarie egreſſo, inſidentes, calyce quadrifido, ſcabro, pilis articulatis fere

 ciliato,

ciliato,. & corolla fere plana violacea instructæ. Capsula emarginata.

δ Parum abest, quin persuasus sim *Veronicam serpillifoliam omnium minimam Ponæ Bald.* apud *Clus.* 337. descriptam & depictam eamdem omnino esse speciem, licet illa glabra sit; nunquam tamen pedalem adquirit altitudinem in Lapponia, qualem *Clusius* eidem adtribuit.

8. VERONICA *foliis cordatis sessilibus oppositis, ramis laxe floriferis.* *
Veronica Chamædrys. Sp. pl. 17.
Veronica pratensis latifolia. Riv. mon.
Chamædrys spuria minor rotundifolia. Bauh. pin. 249.
Chamædrys spuria latifolia. Bauh. hist. 3. p. 286.
Chamædrys spuria. Frank. spec. 9.
Pseudo-chamædrys. Till. ab. 56. ic. 50.
Teucrium Chamædryoïdes assurgens. Lind. wiks. 37.
Teucrium pratense. Rudb. hort. 109.

α. In Lapponia Umensi satis rara fuit, alibi vix unquam intra terminos Lapponiæ a me observata.

β. Cum hæcce species minus adstringens & amara sit, loco veronicæ antecedentis (§ 5. β.) pro infuso theæformi in actis Berolinensibus commendatur. Lapponibus vero nec placet externis balneis debilitare fibras corporis, nec internis ventriculi & omnium viscerum frivole minuere robur. Inter illos enim frustra, quibus gentes aliæ superbiunt, quæsiveris mores, ea tantum modo, quæ natura dictitat, eorum mensæ adposita deprehensurus.

γ. Purgat & vires habet Gratiolæ eadem dosi propinata, frequenti usu apud Gebenses. *Sauvages.* Calyx quadrifidus. Caulis bifariam pilosus.

9. VERONICA *foliis alternis cordatis quinquelobatis, floribus solitariis.* *
Veronica hederifolia. Sp. pl. 19

Veronica

Veronica flosculis singularibus, Hederulæ folio, Morsus gallinæ minor dicta. Raj. Syn. 280.
Veronica cymbalariæ folio, verna. Tournef. inst. 145.
Veronica folio hederæ. Riv. mon.
Alsine folio hederæ. Rudb. vall. 2.
Alsine foliis hederæ. Rudb. hort. 5.
Alsine hederulæ folio. Bauh. pin. 250.

α. A Nobil. *Rudbeckio* inter plantas Lapponicas recensetur; a me in Lapponia observata non fuit, nec per totam Sueciam eam videre licuit, præterquam in Scania campestri, ubi sat frequens est planta; ut Lundini & Malmogiæ.

β. Raro sane in plantis obtinet, quod aliæ species foliis oppositis, aliæ vero alternis gaudeant, uti in hocce, nec non Corispermi videre est genere.

10. VERONICA *foliis lineari-lanceolatis integris, ramis laxe floriferis.* *
Veronica scutellata. Sp. pl. 16.
Veronica aquatica, angustiore folio. Tournef. inst. 145.
Anagallis aquatica angustifolia scutellata. Bauh. pin. 252.
Anagallis aquatica altera tenuifolia. Rudb. hort. 7.

α. In Lapponiæ campis arenosis, simulque subhumidis, copiose occurrit.

β. Singulares sunt rami hujus plantæ, qui veri pedunculi communes sunt, crassitie setæ, aliis pedunculis minoribus alternis instructi, in quibus fructus capsula pendet.

11. PINGUICULA *nectario cylindraceo longitudine petali.* *
Pinguicula vulgaris. Sp. pl. 25.
Pinguicula Gesneri. Bauh. hist. 3. p. 546. Tournef. inst. 167.
Pinguicula Gesneri, flore calcari donato. Till. ab. 52.
Pinguicula. Frank. spec. 23. Rudb. cat. 33. hort. 89.

Sanicula montana, flore calcari donato, folio punctato Lind. wikf. 35.

Tættgræs Weftrobothnienfibus. *Sættgræs* aliis ibidem.

α. In humidis deferti frequens, copiofior tamen in Alpibus eft.

β. Variationem fpeciofam hujus fpeciei *corolla violacea, labiis albis*, obfervavimus in deferto Lulenfi, inque rivulo lapideo (Stenbæcken) inter Jockmock & Pajarim, verfus occidentem a monte ifto altiffimo Kofkefvari, ibique in maxima copia.

γ. *Pinguicula flore amplo purpureo, cum calcari longiffimo* Raj. hift. 1. p. 752. a fpecie recenfita differre dicitur: Loco natali alpino; Floris magnitudine & calcari prælongo; Colore floris purpureo, qui in tradita violaceus eft. In Alpibus noftris fæpius obfervatur planta varians & magnitudine & colore floris, frequenter colore ad rubedinem accedente confpicua; diftincta tamen fpecies non eft, & forte eadem cum hacce Raji.

δ. Singularis in hocce plantarum genere eft pinguedo illa foliorum, fere ut in Drofera. (§ 110. γ.)

ε. Vires hujus plantæ & præfertim pinguedinis iftius foliorum pauciffimis Medicis notæ funt, examinandam itaque hancce plantam commendo Phyfices & Therapeutices Myftis; forte nec pœniteret indagationis! Qui confiderat obfervationes fequentes ζ. η. ϑ. ι. facile divinare poteft, qua ratione ex planta noftra ufus hauriant maximos.

ζ. *Lac compactum hyperboreorum* feu Tætmiœlk, aliis Sætmiœlk, eft lactis fpecies apud Novaccolas Lapponiæ, fed præfertim apud Weftrobothnienfes & fere per totam Norlandiam ufitatiffima, quæ fequenti modo conficitur: Folia nonnulla Pinguiculæ, cujufcunque demum fpeciei, recentia & nuper lecta filtro imponuntur, quibus lac nuper emulctum & naturaliter calens adfunditur, quod citiffime filtratum per unum alterumve diem ad quietem, ut acefcat, reponitur;

reponitur; unde lac iſtud longe majorem & tenacitatem & conſiſtentiam, quam alias accidit, adquirit, nec ſerum præcipitatur, ut alias contingit; contra vero palato maxime gratum redditur, licet cremor ipſe ſit parcior. Tali modo ſemel hocce lacte præparato, non opus nova pro novo proceſſu adhibere folia, ſed modo cochlear dimidium præcedentis lactis ut miſceatur cum recenti, neceſſe eſt, ſic eamdem adquirit naturam & aliud lac ſimili modo in ſuam naturam, fermenti inſtar, mutare valet; etiamſi in infinitum procederet hæcce mutatio, ab indole ſua ne minimum tamen deflectere videtur vis ultima. Si nimis diu adſervatur tale lac, tranſit mora in *Serum Syra* dictum, quod deſcripſimus in C. F. § 28.

η. *Bauhinus* in *hiſtoria:* Paſtores in Alpibus ſucco foliorum pingui fiſſuras mammarum in vaccarum uberibus litu curant. Idem medicamentum domeſticum Lappones adhibere poſſent, quorum pecora (Rangiferi feminæ), fiſſuris vitiatis uberibus, loco lactis ſæpe ſanguinem exhibent.

ϑ. *Rajus* dicit plebem Wallicam ſyrupum vel decoctum ex ea conficere, quo ſe ſuoſque purgant.

ι. *Cluſii* in pannon. 362. verba audienda ſunt; refert enim plantam hanc a meridionalibus Anglis White-rot vocari; quod oves interficiat, ſi, ob cibi penuriam, illa veſcantur.

κ. *Pinguicula* eſt etiam nomen Inſecti, ideoque excludi deberet (F. B. 230), cum vero Inſectum illud ſit vera ſpecies Acari, in Zoologicis excludatur velim, ideoque retineatur in Botanicis (F. B. 239); Synonymon Pinguiculæ *Liparis* dictum, loco Pinguiculæ ſubſtitui nequit, cum Liparis ſit nomen piſcis.

12. PINGUICULA *nectario conico petalo breviore.* * Tab. XII. fig. 3.
Pinguicula alpina. Sp. pl. 25.

Pinguicula

Pinguicula flore albo minore, calcari breviſſimo. Raj. hiſt. 1. p. 752.

α. In Alpibus Lapponicis frequentiſſima eſt planta, extra Alpes autem vix unquam deſcendit.

β. Planta hæc etiam veteribus, ut Bauhino & aliis, nota fuit, licet eam ab antecedenti diſtinguere non intellexerint. Varietatem præcedentis ex ſolo alpino credit Ludov. Gerard; quod vix probandum.

γ. Simillima etiam eſt antecedenti plantæ in omnibus, exceptis floribus; ab illa namque differt: *Corolla* alba, quæ in præcedente violacea; *macula* villoſa flava in palato corollæ, quæ in illa cinerea eſt; *nectario* in hac conico, in illa cylindraceo; in hac petalo breviore, in illa vero petalum quoad longitudinem æquante.

δ. In figura noſtra nectarii formam conicam indicare voluimus, reliqua ſecundum plantam ſiccam exaravit ſculptor.

13. PINGUICULA *ſcapo villoſo.* * Tab. XII. fig. 2.

Pinguicula villoſa. Sp. pl. 25.

Pinguicula Laponum vel alpina minima, flore purpureo, foliis ad radicem ternis rotundis. Rudb. lapp. 99.

Pinguicula flore minore carneo. Raj. Syn.* 281.

Pinguicula cornubienſis, flore minore carneo. Raj. hiſt. 1. p. 752.

α. Unico modo in loco a me lecta fuit ſphagno inſidens, prope Pajarim, in parœcia Jockmoccenſi.

β. Plantæ omnes, quas vidi, defloratæ erant, & capſula cordata, compreſſa, bivalvi inſtructæ, excepta unica debili herba, cujus flos erat pallide violaceus, calcari exſerto; folia conſpiciebantur ſubrotunda, antecedentibus ſimillima, ſed minora; flos eſt minor reliquis, ſcapus teneritate & levi villoſitate differens. (Synonyma Raii excludenda. *J. E. Smith.*)

14. UTRI-

14. UTRICULARIA *nectario conico.* *
Utricularia vulgaris. Sp. pl. 26.
Lentibularia. Riv. mon. Dill. app. 115.
Lentibularia major. Vaill. act. 1719. p. 22.
Millefolium aquaticum lenticulatum. Bauh. pin. 141.
Millefolium aquaticum, flore luteo galericulato. Bauh. hist. 3. p. 775.
Filipendula aquatica minor. Frank. spec. 14.
Filipendula aquatica, sive Millefolia lenticulata. Rudb. hort. 43.

α. In fluvio Margaritifero Calatz-elfwen dicto, prope Purkyaur & alibi visa fuit.

β. Singulares admodum in hocce genere sunt vesiculæ istæ pellucidæ unico foramine perviæ, radiculæ adpensæ, unde nomen utriculariæ huic generi aptissime datur.

γ. *Lentibulariæ* nomen confunditur cum Lenticula & Lenticularia Mich. (F. B. 228), ne dicam, quod fere diminutivum sit Lenticulæ (F. B. 227), hinc excluditur, & vacuum vocabulum Utriculariæ, Nepenthes synonymon (F. B. 215), speciebus hujus generis conveniens (F. B. 240), in Lentibulariæ locum substituitur.

CLAS-

CLASSIS III.

TRIANDRIA.

MONOGYNIA.

15. VALERIANA *ſylveſtris major.* Bauh. pin. 164.
Valeriana officinalis. Sp. pl. 45.
Valeriana ſylveſtris. Dod. pempt. 349. Till. ab. 67. Rudb. vall. 35. hort. 115.
Valeriana foliis anguſtioribus. Riv. mon.
Valeriana. Till. ic. 55.
α. In ſylvis ſubhumidis Lapponiæ vulgaris eſt.
β. Odor radicis hujus admodum ſingularis & vix cum alio comparandus eſt; proxime accedit ad radicis Pæoniæ fragrantiam, ut etiam ejus effectus.

16. IRIS *paluſtris lutea, ſeu Acorus adulterinus.* Bauh. hiſt. 2. p. 732.
Iris Pſeudo-Acorus. Sp. pl. 56.
Iris latif. major paluſtris, flore luteo. Rudb. hort. 57.
Iris vulgaris, ſive Gladiolus paluſtris. Till. ab. 36.
Iris latifolia major paluſtris. Lind. wikſ. 19.
Acorus adulterinus. Bauh. pin. 34.
α. In Lapponia eſt planta omnium rariſſima, in adjacenti Weſtrobothnia non adeo frequens, in Oſtrobothnia vero omnium copioſiſſima.
β. Hydrops (cui hæc planta, ſi quæ alia, eſt medicina), eodem

eodem modo in Lapponia omnium rariſſimus, nec frequens in Weſtrobothnia, in Oſtrobothnia autem ſuperiori, proh dolor! nimis vulgaris inter plebem, quæ lethalis iſtius ſpiritus frumenti copiam ingurgitando illum provocat.

γ. Flos Iridis ſtructura ſingulari ab omnibus in univerſum plantis primo intuitu diſtinguitur; ſtigma enim in hacce familia foliaceum ipſa petala ſæpius æquat, adeo ut novem petala pro paucioribus numerârint nonnulli.

δ. Spathæ florum imbricatæ Iridem Palmis valde adfinem eſſe dictitant, nec contradicit flos, nec ſtructura plantæ. Confer *Muſam Cliffortianam*, p. 16.

17. SCHŒNUS *floſculis faſciculatis.* Hort. Cliff. 22.
Schœnus albus. Sp. pl. 65.
Cyperus paluſtris hirſutus minor, paniculis albis. Moriſ. hiſt. 3. 239. ſ. 8. t. 9. f. 39.
Cyperella paluſtris, capitulis florum umbellatorum compactis, primum albis, deinde fulvis. Mich. gen. 53.
Juncus paluſtris glaber, floribus albis. Vaill. pariſ. 118.
Gramen luzulæ accedens glabrum in paluſtribus proveniens, paniculatum. Pluk. phyt. 34. f. 11.
Gramen cyperoides paluſtre leucanthemum. Scheuch. hiſt. 503. t. 11. f. 11.

α. In omnibus paludibus muſcoſis & cæſpoſis vulgaris eſt.

18. SCIRPUS *paluſtris altiſſimus.* Tournef. inſt. 528. Scheuch. hiſt. 354.
Scirpus lacuſtris. Sp. pl. 72.
Juncus maximus, ſive Scirpus major. Bauh. pin. 12.
Juncus flore conglomerato. Lind. wikſ. 19.
Juncus vulgaris, ſeu Scirpus. Till. ab. 37.

α. In fluviis & lacubus Lapponiæ ſylveſtris paſſim obſervatur, nullibi tamen in magna copia.

β. In

β In Suecia ſuperiori diſſecatur pro pabulo boum, quod in Gothia inferiori negligitur; Novaccolis Lapponiæ, ob inopiam hujus Scirpi, in hunc uſum cedere nequit.

γ. E ſpicis hujus ſpeciei, peracta floreſcentia, alba quædam filamenta excreſcunt, quæ non piſtilli partes, ſed filamentorum ex ſtaminibus rudimenta ſunt.

δ. Cum culmi ſint ſpongioſi, facillime diſſecti in aqua natant; hinc pueri in Suecia eos in faſciculos colligant, quibus, ne demergantur, ſeſe ſublevant, dum artem natatoriam addiſcere volunt. Quod Lappones non curant, qui nec balnea naturalia aquarum dulcium & frigidarum, nec artificialia calefactarum unquam intrarunt: priora illis haud concedit aqua per æſtatem etiam nimis frigida; poſteriora defectus domiciliorum & inſtrumentorum huic negotio inſervientium; neutra autem conſuetudo nunquam introducta in gentem induratam gelu permittit.

19. SCIRPUS *equiſeti capitulo majori.* Tourneſ. inſt. 528. Rudb. elyſ. 1. p. 107. f. 1. Smith Rel. Rudb. 27. Scheuch. hiſt. 360.
Scirpus paluſtris. Sp. pl. 70.
Juncus capitulis equiſeti major. Bauh. pin. 12.
Juncellus cyperoides, capitulo ſimplici. Gottſch. pruſſ. 131. f. 36.

α. In aquoſis rarius obſervatus eſt.

β. A Nobiliſſ. *Rudbeckio* inter plantas Lapponicas recenſetur *Scirpus multicaulis equiſeti capitulis minoribus*, Rudb. lapp. 100. elyſ. 1. p. 107. Sm. Rel. Rudb. 28. quem pro variatione, non diſtincta ſpecie habemus.

20 SCIRPUS *folio culmi unico.* *
Scirpus cæſpitoſus. Sp. pl. 71.
Scirpus foliatus paluſtris, capitulo equiſeti brevi. Rudb. lap. 100.

Scirpus

Scirpus parvus paluſtris, cum parvis capitulis equiſeti. Pluk. phyt. 40. f. 6. Rudb. elyſ. 1. p. 107. f. 3. Sm. Rel. Rudb. 28.

Scirpus montanus, capitulo breviore. Tournef. inſt. 528. Scheuch. alp. 427.

Juncus parvus montanus, cum parvis capitulis luteis. Bauh. hiſt. 2. p. 523.

α. Ubique in deſerto ad ſcaturigines fontium & in humidis ac ſpongioſis locis obvius eſt, etiam in alpibus noſtris frequentiſſimus.

β. Deſcriptionem brevem hujus plantæ addam.

Radix filamentoſa, multiplex, tenuis, haud ramoſa, undulata, digitalis longitudinis, perennis.

Squamæ plures, oblongæ, acuminatæ, imbricatæ, laxæ, in faſciculum veluti congeſtæ, perennes, fuſcæ, culmi & radicis baſin tegunt.

Culmi ſimplices, plures, digitum longi, ſolidiores, tenaces, ſtriati, virides.

Folium unicum, tenuiſſimum, linearis longitudinis vaginæ veſtienti ſatis longæ inſidens.

Spica unica, terminalis, minima, linearis longitudinis, fuſca, conſtructa glumis monophyllis, imbricatim poſitis, tribus vel quatuor, quarum infima maxima eſt.

γ. Cum culmus ad radicem quotannis ponat novas ſquamas ſupra antecedentes inferiores & perennantes, inter quas ſeſe exſerunt radices, ſequitur has & totam plantam tandem elevari ſupra terram, tophumque (Tuf.) conſtituere, cæſpitis facie & uſu, niſi quod laxior ſit, citiuſque ab igne conſumatur, qui præter ea in denſiſſimis ſylvis admodum copioſus. Tophi adeoque in paludibus maxima ex parte huic Junco ſuam debent originem, nec non Polytricho Dillenii. Vide Cryptogam. Muſcorum.

δ. Tophi hi (γ) in paludibus maximum negotium faceſſunt Novaccolis Lapponiæ; quod ſi enim aqua e paludibus fodiendo educitur, marceſcit quidem planta, at per plures annos non putreſcit, ſed ſterilis

persistit rustico detestabilis; deberent itaque plantæ palustres post paracenthesin urendo vel suffocando extirpari, & semina vegetabilium pratensium eorum loco terræ committi, si læta pascua desiderentur; plantæ enim paludosæ indolem non mutant, neque unquam luxuriant, nisi sufficiens potus adsit.

21. SCIRPUS *magnitudine aciculæ.*
Scirpus acicularis Sp. pl. 71.
Scirpus minimus, spica breviore squamosa spadicea, Scheuch. hist. 364.
Scirpus omnium minimus, capitulis equiseti. Rudb. elys. 1. p. 107.
Juncellus clavatus minimus, capitulis equiseti. Moris. hist. 3. p. 234. s. 8. t. 10. f. 37.
α. Reperitur subinde in fluviis Lapponiæ sylvestris.
β. Communiter sub ipsa aqua crescit, longitudine unius tertiæ partis digiti.

22 ERIOPHORUM *spicis pendulis.* *
Eriophorum polystachion. Sp. pl. 76.
Linagrostis panicula ampliore. Scheuch. hist. 306. Vaill. paris. tab. 16. f. 1.
Gramen eriophoron. Dod. pempt. 562.
Gramen tomentarium. Frank. spec. 16. Till. ab. 32.
Gramen tomentosum. Rudb. hort. 49. Lind. wiks. 17.
Gramen pratense tomentosum, panicula sparsa. Bauh. pin. 4. Rudb. elys. 1. p. 36. f. 2.
Geechen nivo. Lappis. *Myrkullen* Westrobothniensibus.

α. Nonnulli, quibus res angusta domi, in quibusdam Sueciæ tractibus pulvinaria sua, plumarum loco, pappo hujus graminis replent, unde Suecice pulvinar pauperum (*Fattigmans Oerngott*) nominatur, qui tamen usus Lappis vel Novaccolis nostris non innotuit, quorum hi pellibus leporinis, illi vero rangiferinis lectum sternunt.

β. In

β. In humidis graminosis & cultis, tam desertis, quam alpinis locis ubique conspicitur.

γ. Variat spicis amplioribus & angustioribus, hinc duæ variationes pro totidem distinctis speciebus venduntur.

δ. *Eriophorum* dixi ab ἔριον & φόρον, quasi ferens lanam, quod selectum est nomen (F. B. 240) synonymon (F. B. 244) & antiquum (F. B. 242): *Linagrostis* T. autem male componitur e Lino & Agrosti (F. B. 224).

23. ERIOPHORUM *spica erecta, caule tereti.* *
Eriophorum vaginatum. Sp. pl. 76.
Eriophorum spica lanis involuta. F. L. 47.
Linagrostis spica singulari, alopecuroides. Vaill. par. 117.
Juncus alpinus cum cauda leporina. Bauh. hist. 2. p. 514. Scheuch. alp. 41.
Juncus alpinus, capitulo tomentoso majori. Scheuch. hist. 304. prod. t. 7. f. 2.
Juncus alpinus, capitulo lanuginoso seu Schœnolaguros. Bauh. pin. 12. prod. 23. fig. Rudb. elys. 1. p. 108. f. 1. Sm. Rel. Rudb. 29. Scheuch. hist. 302. prod. tab. 7. f. 1.
Gramen tomentosum alpinum & minus. Bauh. pin. 5. prod. 10. Rudb. elys. 1. p. 36. f. 3.
Gramen juncoides lanatum alterum danicum. Moris. 3. p. 224. s. 8. t. 9. f. 6.

α. In humidis, incultis tantum, tam alpinis, quam sylvestribus locis frequens est.

β. Conjungo hic duas authorum species, a Bauhino in prodromo 23 & 10 descriptas, quæ tamen unius ejusdemque sunt speciei. Quamnam sub priori nomine intellectam velit plantam Bauhinus omnibus in aprico est; posterior dubium movit, quam se a Bursero habuisse monet; Burserus in herbario Upsaliæ adservato omnino eandem cum priori sub isto nomine

nomine habet plantam, eamque miſſam fuiſſe ad Bauhinum fatetur.

24. ERIOPHORUM *ſpica erecta, caule triquetro.* *
Eriophorum alpinum. Sp. pl. 77.
Linagroſtis alpina minima, caule triangulari, capitulo parvo, pappo rariore. Mich. gen. 54.
Linagroſtis juncea alpina, capitulo parvo, tomento rariore. Scheuch. hiſt. 305.
Juncus alpinus bombycinus. Bauh. pin. 12. prod. 6. Scheuch. prod. tab. 8. Scheuch. alp. 337.
α. Ubique in udis, ſabuloſis, alpinis & ſylveſtribus locis viget.
β. Flores examinare haud licuit; caulis vero triqueter, omnino nudus, ſpicæ facies, &c. dictitant longe minorem hujus cum Eriophori genere eſſe convenientiam, ac quidem vulgo creditur.

D I G Y N I A.

25. PHLEUM *ſpica ovali-cylindracea.* *
Phleum alpinum. Sp. pl. 88.
Gramen typhoides alpinum, ſpica nigra brevi. Rudb. clyſ. 1. p. 31. f. 8. Mart. Burſ. 498.
Gramen typhoides alpinum, ſpica brevi denſa & veluti villoſa. Scheuch. hiſt. 64. prod. f. 3.
α. In Alpibus noſtris frequentiſſime, in ſylvis Lapponiæ rariſſime obvium.
β. Folii ſupremi ipſi culmo adhærentis vagina triplo longior eſt ſuo diſco, qua nota a ſequenti abunde diſtinguitur, ubi inverſe diſcus folii triplo longior eſt ſua vagina. Spica plerumque nigreſcit.

26. PHLEUM

26. PHLEUM *ſpica longiſſima cylindracea.* *
Phleum pratenſe. Sp. pl. 87.
Gramen typhoides aſperum alterum. Bauh. pin. 4. Rudb. elyſ. 1. p. 29. f. 4.
Gramen typhoides aſperum alterum majus. Rudb. ibidem.
α. In Alpibus & deſerto frequentiſſima eſt hæc ſpecies.
β. Abſoluta floreſcentia, hujus ſpica cinerea eſt, antecedentis autem nigra.

27. BROMUS *culmo paniculato, ſpicis compreſſis.*
Bromus arvenſis. Sp. pl. 113.
Bromos herba. Dod. pempt. 540.
Feſtuca avenacea ſterilis elatior. Bauh. pin. 9.
Feſtuca avenacea ſterilis elatior circa Upſaliam. Rudb. elyſ. 1. p. 87. f. 7. Sm. Rel. Rudb. 15. *opt.* (Linn.)
Gramen avenaceum panicula ſparſa, locuſtis majoribus & ariſtatis. Tournef. inſt. 526. Scheuch. hiſt. 258.
α. In agris Novaccolarum rarius obſervatur.
β. Hæc ſpecies videtur cum frumento in Lapponiam delata omnium primo a Novaccolis, nec Lapponiæ ſuos debere natales.

28. FESTUCA *culmo paniculato, ſpicis compreſſo-ovatis.*
Bromus ſecalinus. Sp. pl. 112.
Feſtuca avenacea ſpicis habitioribus, glumis glabris. Raj. ſyn. 414.
Gramen avenaceum ſegetale majus, gluma turgidiore. Moriſ. hiſt. 3. ſ. 8. t. 7. f. 16.
Feſtuca graminea, glumis glabris. Bauh. pin. 9.
Feſtuca graminea, glumis hirſutis. Bauh. pin. 9. Rudb. elyſ. 1. p. 84. f. 1. Sm. Rel. Rudb. 14.
α. Adhuc rarius deprehenditur, quam antecedens, ſimulque varians ſpicis glabris & hirſutis.

 β. Quod

β. Quod etiam hæc, ut Lolii famofiffima fpecies, copiofe frumento mixta & affumpta temulentiam inducat, per totam Succiam affeverant ruftici.

29. FESTUCA *culmo alternatim fpicato, fpicis teretibus.* *
Bromus pinnatus. Sp. pl. 115.
Gramen fpica brizæ majus. Bauh. pin. 9. prod. 19. Rudb. elyf. 1. p. 80. f. 1. Sm. Rel. Rudb. 11.
α. Ad ripas inter plantas vegetiores in Lapponiæ fylvis ubique reperitur.

30. AVENA *feminibus bafi hirfutis.* *
Avena fatua. Sp. pl. 118.
Avena nuda. Rudb. elyf. 1. p. 161. f. 3. hort. 15. cat. 6. Frank. fpec. 5.
Avena fatua. Till. ab. 7.
Feftuca utriculis lanugine flavefcentibus. Bauh. pin. 10.
Gramen avenaceum utriculis lanugine flavefcentibus. Tournef. inft. 525.
α. In agris Novaccolarum cum feminibus cerealium huc allata rarius confpicitur.
β. Deteftabile eft hocce gramen agricolis, dum enim femel in agro fuas egit radices, vix inde eliminari poteft, quoniam femina fua prius terræ infpergit, quam feges reliqua, unde hanc fuffocat.

31. AVENA *fpicis erectis, calyce fpicis breviore.* *
Avena pratenfis. Sp. pl. 119.
Gramen avenaceum montanum fpica fimplici, ariftis recurvis. Raii fyn. 405. t. 21. f. 1. *J. E. Smith.*
α. In nemoribus graminofis raro.

32. LOLIUM *fpicis compreffis, radice perenni.*
Lolium perenne. Sp. pl. 122.
Phœnix feu Lolium murinum. Dod. pempt. 540.
Gramen

Gramen loliaceum, angustiore folio & spica. Bauh. pin. 9. Sm. Rel. Rudb. 13.

Gramen loliaceum, spica simplici, vulgare. Moris. hist. 3. s. 8. t. 2. f. 2.

α. In sylvis graminosis & pratis agricolarum commune est.

33. TRITICUM *radice repente, foliis viridibus.*

Triticum repens. Sp. pl. 128.

Gramen caninum arvense, sive Gramen Dioscoridis. Bauh. pin. 1.

Gramen caninum longius radicatum. Lind. wiks. 16.

α. In agris Novaccolarum agricolis infestissimum est.

34. TRITICUM *radice repente, foliis rigidis.*

Elymus arenarius. Sp. pl. 122. ex sententia amici mei plurimum colendi Cl. Afzelius. *J. E. Smith.*

α. Ad littora maris Septentrionalis & ad sinus maris Bothnici copia ejus datur maxima.

35. MILIUM *glumis diphyllis.*

Milium effusum. Sp. pl. 90.

Gramen sylvaticum, panicula miliacea sparsa. Bauh. pin. 8. Moris. hist. 3. s. 8. t. 5. f. 10. Rudb. elys. 1. p. 76. f. 1. Sm. Rel. Rudb. 8.

α. In desertis sylvestribus Lapponiæ vulgare est.

β. Inter Tornoam, Kemi & Uloam nullum gramen erat vulgatius hocce, cujus staturam, magnitudinem vel suavem odorem, si quis consideret, inter gramina præstantissima locum huic concedat.

γ. Solent Puellæ Lapponicæ, dum rangiferos in pascua ducunt, reportare fasciculum foliorum hujus graminis, eumque in eadem cum tabaco sarcina, ante pubem pendula, reservare; nescio an magis sint sollicitæ de grato odore tabaco, an sibimet ipsis conciliando.

36. MELICA *floribus sub culmo pendulis.*

Melica nutans. Sp. pl. 98.
Gramen montanum avenaceum, locuſtis rubris. Bauh. pin. 10. prod. 20.

α. In ſylvis paſſim.

β. Culmus in ſummitate nutat, cui flores ſolitarie pedunculis tenuiſſimis adnectuntur, ita ut omnes flores ſub culmo penduli ſint.

γ. Characterem hujus generis breviſſimis exhibeo.
Cal. Gluma uniflora, bivalvis; *valvulis* ovatis, concavis, fere æqualibus.
Cor. Gluma bivalvis; *valvulis* ovatis, muticis, quarum altera concava, altera vero plana.
Sem. ovatum, a gluma corollæ demittitur.

37. ALOPECURUS *ariſtis gluma longioribus.*
Alopecurus geniculatus. Sp. pl. 89.
Gramen aquaticum geniculatum ſpicatum. Bauh. pin. 3. Rudb. elyſ. 1. p. 8. f. 2.

α. In convallibus & pratis ſubhumidis frequens eſt; eundem etiam non raro in collibus ſicciſſimis læte florentem legi.

38. ALOPECURUS *ariſtis glumæ æqualibus.*
Alopecurus geniculatus. β. Sp. pl. 89.
Gramen fluviatile album. Tabern. hiſt. 1. p. 512. figura.

α. In lacubus Lapponiæ ſylveſtris, ut Purkyaur & alibi.

β. Hæc præcedenti quoad faciem externam adeo ſimilis eſt, ut quivis mox eandem eſſe plantam adſeveraret; judicium meum ſuſpendo, ob defectum obſervationum. Sequentia autem diſtinctionem urgent.

1. *Hæc* [38] ex humanæ profunditatis aqua evehitur & excreſcit.
Illa [37] in aquoſis vix ſemipedalis perſiſtit.
2. *Hæc* folia longiſſima ſuper aquam natantia exſerit. *Illa* vero erectis gaudet & brevibus foliis.

3. *Hæc,*

3. *Hæc*, ſi ſcirpus vel arundo, &c. adſtet, amplectitur haſce plantas circumvolvendo folia ſua.
Illa non item.
4. *Hujus* ariſtæ glumis haud exiſtunt longiores.
Illius vero duplo longiores ſunt glumis.
5. *Hæc* nunquam a me obſervata in Suecia, ubi
Illa copioſiſſime pronaſcitur.

39. ANTHOXANTHUM.
Anthoxanthum odoratum. Sp. pl. 40.
Gramen anthoxanthon ſpicatum. Bauh. hiſt. 2. p. 466.
Gramen pratenſe, ſpica flaveſcente. Bauh. pin. 3. Rudb. elyſ. 1. p. 24. f. 3.
α. In locis graminoſis paſſim obſervatur.
β. Prima æſtate viride & ſuaveolens floret, circa finem Julii flavum & exſuccum perſiſtit.

40. NARDUS *ſpica lineari.*
Nardus ſtricta. Sp. pl. 77.
Spartum noſtras parvum. Lob. ic. 90.
Gramen ſparteum juncifolium. Bauh. pin. 5. Rudb. elyſ. 1. p. 39. f. 6. mala.
Gramen ſparteum, capillaceo folio, minus, erectum, Batavicum & Anglicum. Moriſ. hiſt. 3. ſ. 8. t. 7. f. 8. opt.
Lapphar Lulenſibus. i. e. Crines Lapponum.
Kaffskiægg Smolandis. i. e. Barba ſenum.
α. In Alpibus & ſylvis communis eſt.
β. Nomenclatura Lulenſis impoſita huic gramini deſumpta eſt a ſimilitudine, quæ intercedit folia copioſiſſime in hacce undique prominentia atque arrectos circumquaque Lapponum capillos, quum vix unquam pectine deducant crines.
γ. Gramen hoc fœnimeſſoribus Novaccolis infenſiſſimum eſt, falcem, niſi peracuta ſit, facile eludens.
δ. Nardi nomen huic gramini impoſui, dum genere convenit cum Nardo ſpuria Narbonenſi Bauhini.— Hic omnino hallucinatus eſt egregius auctor; Nardus

dus enim ſpuria Narbonenſis (diverſa a Nardo gangite *Linn.*) eſt Feſtuca ſpadicea, Syſt. nat. ed. 12. 732, cujus etiam ſynonyma ſunt Anthoxanthum paniculatum *Linn.* & Poa Gerardi *Allionii. Conf. act. ſoc. Linn. v.* 1. *p.* 111. *J. E. Smith.*

41. ARUNDO *vulgaris.* Bauh. hiſt. 2. p. 485. Rudb. elyſ. 1. p. 131. Frank. ſpec. 5. Lind. wikſ. 4.

Arundo phragmites. Sp. pl. 120.

Arundo vulgaris ſeu phragmites Dioſcoridis. Bauh. pin. 17.

Arundo. Till. ab. 6.

α. In aquoſis Lapponiæ ſylveſtris ſæpius ſeſe offert, nullibi autem copioſiorem hujus proventum, quam in Oſtrobothnia ad ſinus maris, vidi.

β. Famoſiſſimum iſtud & vaſtiſſimum pratum Limmingenſe, quantum ex via videre licuit, arundine hacce totum tectum conſpiciebatur. Pratum hocce tribus Oſtrobothniæ pretioſiſſimis naturæ donis adnumeratur, quæ ſunt: Kemi piſcatura Salmonum, Limmingenſe pratum, & Norkyreæ agri.

γ. Mulieres ruſticæ hujus Arundinis panicula pannos ſuos flaveſcente viridi colore tingunt.

42. ARUNDO *culmo ramoſo.* *

Arundo Calamagroſtis. Sp. pl. 121.

Arundo ſylvatica elatior, panicula molli candida & ſerici modo lucenti. Moriſ. hiſt. 3. p. 218. ſ. 8. t. 8. f. 2. (vix. *J. E. Smith.*)

Arundo vulgaris ſeu Calamagroſtis. Vaill. par. 16.

Gramen arundinaceum panicula molli ſpadicea majus. Bauh. pin. 7.

Gramen panicula arundinacea. Rudb. elyſ. 1. p. 16.

α. In paludibus cæſpoſis Lapponiæ ſæpius conſpicitur.

β. Gramen hocce humanam altitudinem adquirit, & ramos ex alis foliorum ſimplices promit, id quod in graminum familia rarum omnino eſt.

γ. Syno-

γ. Synonyma, opinor, recte adpoſita ſunt, licet cum libris & deſcriptionibus illud conferre non potuerim, periit enim in naufragio una cum variis naturalibus aliis, nobis per flumina Lapponiæ deſcendentibus.

43. ARUNDO *foliorum lateribus convolutis, acumine pungente.* *
Arundo arenaria. Sp. pl. 121.
Gramen ſparteum ſpicatum, foliis mucronatis longioribus, vel ſpica ſecalina. Bauh. pin. 5.
Spartium ſpicatum oceanicum pungens. Bauh. hiſt. 2. p. 511.

α. Ad littora maris Septentrionalis circa fines Alpium Lapponicarum, ubi Boream verſus terminantur, rarius viſa.

β. Locus ejus natalis ſæpius eſt in maritimis, ſemper etiam in glareoſis læte exſurgit, ubi latis ſuis cæſpitibus & valde confertis atque oblique ſpargentibus ſeſe radicibus terram arenoſam (dictitante natura) firmiorem reddit & colligit in aggeribus, ne tam facile divellantur injuria cæli.

γ. Naturam optime imitari norunt Belgæ, in tumulis ſuis arenoſis hoc ſerentes, ne arena obruat adjacentia. Si aliquam œconomiæ curam experti lætarentur aliquando campi arenoſi Lapponiæ, hujus graminis notitia haud parum illis adferret utilitatis.

44. ARUNDO *culmo enodi, panicula contracta.*
Agroſtis arundinacea. Sp. pl. 91.
Gramen arundinaceum enode majus montanum. Bauh. pin. 7. Sm. Rel. Rudb. 31. *malè.*

α. In ſylvis inter lapides & frutices ſæpius comparet.

β. Ruſtici in Suecia culmo hujus graminis longiſſimo & enodi fiſtulas ſuas tabacarias, ex nimio uſu repletas oleo, purgant; id quod Lapponi, fiſtula breviſſima ſemper contento, cognitu minus neceſſarium eſt.

Arundinis

Arundinis ſpeciem facit Scopoli. *Mſs. Linn.*

45. AGROSTIS *panicula tenuiſſima.*
Agroſtis capillaris. Sp. pl. 93? Sm. plant. ic. t. 54.
Gramen montanum, panicula ſpadicea delicatiore. Bauh. pin. 3. prod. 12. Scheuch. hiſt. 129.
α. In Alpibus vulgare eſt gramen.
β. Panicula hujus eſt omnium tenuiſſima.

46. AGROSTIS *panicula inferne verticillatim laxa, ſuperne contracta.*
Agroſtis rubra. Sp. pl. 92.
Gramen ſerotinum arvenſe, panicula contracta pyramidali. Raj. hiſt. 1288. Scheuch. hiſt. 148.
α. Ad ripas lacuum, tempore autumnali rufeſcens, occurrit.
β. Panicula, dum floret, ſecundum verticillos explicatur horizontaliter patens; contracta ſuperius, in eadem nondum florente.

47. AIRA *panicula ſpicata, pedicellis floſculis brevioribus.* *
Aira ſpicata. Sp. pl. 95.
Gramen alopecuro ſimile, cum pilis longiuſculis in ſpica, Onocordon. Bauh. hiſt. 2. p. 475.
Gramen phalaroides majus, ſeu Italicum. Bauh. pin. 4.
Gramen phalaroides. Lob. ic. 8.
α. In ſolis Alpibus occurrit hæc ſpecies, nec infrequens ibidem eſt.
β. Character hujus generis conſiſtit in ſequentibus:
Cal. Gluma biflora, bivalvis; *valvulis* ovato-lanceolatis, acutis, inæqualibus.
Cor. Gluma bivalvis, calyci ſimilis, altera valvula ariſtam ad baſin vix duplo longiorem flore exſerens.
Sem. tecta.
γ. Synonyma proculdubio falſa ſunt. *J. E. Smith.*

48. AIRA *panicula rara, calycibus albis.*
Aira flexuosa. Sp. pl. 96.
Gramen nemorosum paniculis albis, capillaceo folio. Bauh. prod. 14. Moris. hist. 3. p. 300. s. 8. t. 7. f. 9.
Gramen alpinum nemorosum paniculatum, foliis angustissimis, locustis splendentibus aristatis. Scheuch. hist. 218.
α. In nemoribus Alpium Lapponicarum commune est gramen.

49. AIRA *panicula rara, calycibus fuscis.*
Aira montana. Sp. pl. 96.
Festuca avenacea alpina, angustissimis junceis foliis, locustis parvis purpureo-argenteis splendentibus aristatis, in spicam collectis, petiolis tamen longis & tenuissimis insidentibus. Scheuch. alp. 455. f. 15.
Gramen avenaceum paniculatum alpinum, foliis capillaceis brevibus, locustis purpureo-argenteis splendentibus & aristatis. Scheuch. hist. 216.
α. Cum antecedenti vulgatissima est.
β. Panicula in hac magis contracta, calyces præsertim ad basin atro-rubentes, locustæ angustiores, ac in præcedente.

49.* AIRA *foliis subulatis, panicula densa, flosculis basi pilosis aristatis : arista brevi.*
Aira alpina. Sp. pl. 96. Fl. suec. 2. n. 73. Vahl. flor. dan. t. 961.
α. In Alpibus Lapponicis frequens.

50. AIRA *panicula longissima tenui.*
Aira cæspitosa. Sp. pl. 96.
α. In paludibus frequens, longitudine corporis humani, panicula cubitali angusta, flectitur obsequio a vento curvata.
β. Duæ variationes hujus obviæ fuere, quarum altera

locustis

locuſtis niveis; altera fuſcis, ſeu cæruleo-rufeſcentibus conſpicua.

50.* POA *panicula diffuſa ramoſiſſima, ſpiculis ſexfloris cordatis.*
Poa alpina. Sp. pl. 99. Fl. ſuec. ed. 2. n. 79.
α. In Alpibus Lapponicis paſſim.

51. POA *ſpiculis ovatis compreſſis muticis.*
Poa pratenſis. Sp. pl. 99.
Gramen pratenſe paniculatum majus, latiore folio, ποα Theophraſti. Bauh. pin. 2.
Gramen pratenſe paniculatum majus. Scheuch. hiſt. 177.
α. Per totam Lapponiam in maxima excreſcit copia.
β. *Gramen alpinum paniculatum majus, panicula ſpecioſa variegata.* Scheuch. hiſt. 186. prod. t. 3. Ubique in Alpibus noſtris obvium, & quod pro varietate potius, quam diſtincta ſpecie exhibemus; licet ſpicæ ejus parvæ, magis coloratæ, & duplo majores ſint, quam in planta naturali.

52. POA *ſpiculis ovato-oblongis, foliis ſubulatis.*
Poa anguſtifolia. Sp. pl. 99.
Gramen pratenſe paniculatum majus, anguſtiore folio. Bauh. prod. 6. pin. 2. Scheuch. hiſt. 178.
α. Ubique proſtat per Lapponiam antecedenti intermixta.

52.* POA *panicula patula ſecunda, ſpiculis ſubtrifloris, floſculis acuminatis baſi pubeſcentibus, foliis ſubulatis.*
Poa glauca. Vahl. flor. dan. t. 964.
α. Ad pedes montium in Finmarkia rarius. *Vahl.* Ex Scotia in horto Chelſeiano cultam vidi. *J. E. Smith.*

53. POA *ſpiculis bifloris cordatis.*

 Holcus

Holcus odoratus. Sp. pl. 1485.
Gramen mariæ borussorum. Gottsch. pruss. 111. f. 26.
Gramen paniculatum odoratum. Bauh. pin. 3.
α. Ad ripas fluviorum per deserta Lapponiæ copiose occurrit.
β. Odoris suavitate vix cedit Milio (§ 35) descripto.

54. POA *spiculis subulatis, panicula rara contracta.*
Aira cærulea. Sp. pl. 95.
Melica cærulea. Mant. 325.
Gramen nodosum pratense, panicula fusca nigricante. Rudb. elys. 1. p. 7. f. 16.
Gramen paniculatum autumnale, panicula angustiore e viridi nigricante. Tournef. inst. 521.
Gramen pratense serotinum, panicula longa purpurascente. Moris. hist. 3. p. 201. f. 8. t. 5. f. 22.
α. In locis subhumidis, nec non in agris frequens.
β. Panicula sua angustissima nigro-cærulea ab omnibus aliis distinctissima est.

55. POA *spiculis ovato-angustis aristato-acuminatis.*
Festuca ovina. Sp. pl. 108.
Gramen foliis junceis brevibus minus. Bauh. pin. 5.
Gramen cristatum, radiculis nigricantibus. Gottsch. pruss. 110. f. 24.
Gramen sparteum maritimum, spica cristata Upsaliensium. Rudb. elys. 1. p. 40. f. 13.
α. In sylvis & Alpibus frequens est.

56. POA *spiculis ovato-angustis acutis, vivipara.*
Festuca ovina. β. Sp. pl. 108.
Gramen sparteum alpinum, panicula spadiceo-viridi, uno plerumque versu disposita. Scheuch. alp. 457. f. 20.
Gramen paniculatum sparteum alpinum, panicula angusta spadiceo-viridi, proliferum. Scheuch. hist. 213. t. 1. fig.

α. In

α. In Alpibus noſtris vulgatiſſima eſt.
β. Loco ſeminum folia anguſta, flore longiora protrudit, hinc inſtar ovi in ipſa planta germinat, more animalium viviparorum.
γ. Vix ulla graminis paniculati ſpecies in Alpibus obvia fuit, quæ non aliquando floribus ejuſmodi viviparis luſiſſet.

TRIGYNIA.

57. MONTIA. *
Montia fontana. Sp. pl. 129.
Montia aquatica minor. Mich. gen. 18. t. 13. f. 2.
Cameraria arvenſis minor. Dill. giſſ. 46.
Cameraria, ſeu Portulaca arvenſis exigua Camerarii. Rupp. jen. 1. p. 108.
Portulaca arvenſis. Bauh. pin. 288.
Alſinoides annua verna. Vaill. par. t. 3. f. 4.
Alſineformis paludoſa tricarpos, floribus albis inapertis. Pluk. phyt. 7. f. 5.
Alſine parva paluſtris tricoccos, portulacæ aquaticæ ſimilis. Raj. ſyn. 352.
α. In locis muſcoſis ad ſcaturigines aquarum frigidarum per Lapponiæ deſerta ſæpius conſpicitur, per Weſtrobothniam omnium vulgatiſſima eſt.
β. Authores duplicem conſtituunt ſpeciem, ego autem unicam magnitudine mire ludentem obſervavi. Si vero altera ſemper gerat flores ex alis, ut hæc e ſummitate conſpicuos, quemadmodum clariſſimus Michelius pingit, diverſa eſt; alias non.
γ. Flos hic numero partium variat, vide C. G. 58.

δ. Nomen

ↄ. Nomen *Montiæ* retinemus (F. B. 238). *Alſine* (F. B. 214), *Alſinoides* (F. B. 226) ſunt nomina erronea. *Cameraria* excluditur, quoniam hoc aliud indicat genus (F. B. 216), a Plumiero dudum conſtitutum (F. B. 218), quod ſi erroneum demonſtrari poteſt, male impoſitum erit nomen *Montiæ*; alias non.

CLASSIS IV.

TETRANDRIA.

MONOGYNIA.

58. APARINE *paluſtris minor pariſienſis, flore albo.* Tournef. inſt. 114.
Galium uliginoſum. Sp. pl. 153.
Mollugo minor. Rudb. cat. 28. hort. 75.
α. Ubique ad ripas fluviorum per totam Lapponiam ſylveſtrem reperitur.
β. Caulis huic tenuis, undique diffuſus, ramoſiſſimus: folia lineari-lanceolata, rigida, vix ſcabra, acumine terminata; plura, quam quatuor, ad genicula verticillatim poſita: ſemina vix adhærent villis uncinatis.

59. GALIUM *caulibus diffuſis, foliis quaternis verticillatis.*
Galium paluſtre. Sp. pl. 153.
Gallium paluſtre album. Bauh. pin. 335.
Aſperula quadrifolia paluſtris. Rupp. jen. 1. p. 6.
Cruciata paluſtris alba. Tournef. inſt. 115.
Mollugo major. Rudb. cat. 28. hort. 75.
α. Ad ripas fluviorum & rivulorum Lapponiæ ſylveſtris ſæpius prodit.

β. *Ruppius*

β. *Ruppius* retulit hanc plantam ad *Asperulas* (C. G. 66), cum autem corolla tubo isto cylindraceo destituatur, ab iis distingui debet (F. B. 171).

Tournefortius proprium ei assignat genus *Cruciatæ*, desumens characterem e foliis, cum in fructificatione notam nullam, quæ eam a *Galio* distingueret, reperire posset; quod vero repugnat omni certitudini, omni theoriæ in Botanicis receptæ (F. B. 159. 164).

Rajus Molluginis genus, a *Galio* distinctum voluit, ad quod antecedens & sequens planta amandari posset; cum autem nec istud e fructificationis certo principio, sed a sola facie externa desumptum sit, illud haud admittere debemus.

Nos itaque plantam hanc ad *Galium* referimus, licet Molluginis istud Rajanum genus facie a Galiis videatur satis diversum, donec demonstratum sit contrarium.

60. GALIUM *caule erecto, foliis quaternis verticillatis lanceolatis trinerviis.*

Galium boreale. Sp. pl. 156.

Gallium album. Lind. wiks. 15.

Gallium album quadrifolium erectum. Cels. ups. 22.

Gallion flore albo. Rudb. cat. 17. hort. 45. Till. ab. 30.

Mollugo montana erecta quadrifolia. Raj. syn. 224.

Cruciata glabra, folio nervoso rigido, bacca gemella sicca hispida, flore lacteo. Boerh. lugd. 1. p. 148.

Rubia pratensis lævis, acuto folio. Bauh. pin. 333. prod. 145.

Rubia erecta quadrifolia. Bauh. hist. 3. p. 716.

Mattara. Finnonibus.

α. In Lapponia rarissima est planta; per totam Sueciam vero vulgatissima.

β. Corolla floris plana (non vero tubulata) est; fructus villis erectis hispidus, non vero uncinatus aut adhærens, tectus cortice coriaceo, tamen bacca cum

 Clarissimo

Clarissimo Boerhaavio dici debet fructus, quoniam pulpa mollis differt tantum gradu a duriori.

γ. Nomen C. Bauhini loc. cit. genuinum esse hujus synonymon, a Bursero in herbario edocti sumus.

δ. Radices sunt filiformes & rubræ, quibus mulierculæ Finlandiæ lanas & e lanis confecta tingunt.

61. GALIUM *caule erecto, foliis plurimis verticillatis linearibus.*

Galium verum. Sp. pl. 155.
Gallium luteum. Bauh. pin. 335.
Gallium flore citrino luteo. Frank. spec. 15.
Gallium. Till. ic. 72.
Gallion flore luteo. Rudb. cat. 17. hort. 45. Till. ab. 30. Lind. wiks. 15.

α. Planta hæc, quantumvis per Sueciam sit omnium vulgatissima, in superiori tamen ejus parte adeo rara est, ut modo unicam in cœmeterio Kemensi, & alteram admodum parvam in Lapponia Lulensi ad marginem agelli cujusdam reperire licuerit.

β. Galium dixere veteres a γάλα, quod lac coagulet, hinc cum simplici λ potius, quam duplici scribimus.

γ. Odor florum hujus speciei, ut & totius generis, singularis est & fragrantissimus; flores tamen hujus plantæ debiliores sunt, quam in præcedenti.

δ. Flores lutei. Antheræ deflorate fuscæ sunt.

62. PLANTAGO *scapo spicato, foliis ovatis.* *

Plantago major. Sp. pl. 163.
Plantago latifolia sinuata. Bauh. pin. 189.
Plantago major latifolia. Frank. spec. 23.
Plantago maxima. Rudb. cat. 33. hort. 89. Lind. wiks. 29.
Plantago. Till. ic. 96.

α. *Plantago latifolia glabra minor.* Bauh. pin. 189.
Plantago latifolia minor. Lind. wiks. 29.

β. In pinguioribus sylvestribus, inque locis casis Lapponum

ponum proximis & circumjacentibus, ſtercore rangiferino ſaturatis, interdum naſcitur.

γ. Mire variat hæc ſpecies, quoad magnitudinem : vidimus enim perfectam plantam ungue breviorem, vidimus etiam eandem ſpeciem, cujus caulis habuit humanam altitudinem ; prior in petroſis & aridis naſcebatur, poſterior in pinguibus ſpongioſis locis ; ſpecie tamen non magis differunt, quam altus Helſingus & humilis Lappo, quam giganteus Cajanus & Pygmæus Annel. Hinc plantago minor (α) ab hac planta ſeparari non debet.

δ. Folia in hac planta, dum pumilis deprehenditur, integerrima exſiſtunt ; quando vero ad majorem ſurgit altitudinem, ſerrata ſunt, ſerraturis diſtantibus & a ſe invicem remotis.

63. PLANTAGO *ſcapo ſpicato, foliis linearibus ſubtus convexis.*

Plantago maritima. Sp. pl. 165.

Plantago maritima major tenuifolia. Tournef. inſt. 127.

Coronopus maritimus major. Bauh. pin. 190.

Coronopus maritima noſtras. Bauh. hiſt. 3. p. 511.

Coronopus marinus. Rudb. hort. 33.

α. *Plantago maritima major tenuifolia punctata.* Celſ. upſ. 36.

Plantago marina. Lob. hiſt. 163.

β. Ad littora maris Finmarkiæ adjacentis vulgatiſſima eſt.

γ. Folia ſuperne punctis nigris, Orchidis inſtar, ſæpius conſpiciuntur notata (α).

64. PLANTAGO *ſcapo unifloro.* *

Plantago uniflora. Sp. pl. 167.

Littorella lacuſtris. Mant. 295.

Plantago paluſtris, gramineo folio, monanthos pariſienſis. Tournef. inſt. 128.

Caryophyllus marinus pumilio reptans. Mart. Burſ. 507.

Gramen junceum minus, capitulis longiſſimis filamentis donatis. Moriſ. hiſt. 3. p. 230. ſ. 8. t. 9. f. ult. optima:

Gramen junceum ſeu Holoſteum minimum paluſtre, capitulis quatuor longiſſimis filamentis donatis. Plukn. phyt. 35. f. 2. opt. Rudb. elyſ. 1. p. 46. f. 1. tranſpoſita.

α. Cum antecedenti, ſed parcius occurrit. In Sueeia etiam ſatis rara eſt; vidimus illam tantummodo in Smolandia ad templum Stenbrohultenſe, in Sudermannia ad acidulas Wikſbergenſes, in Uplandia ad littora nonnulla lacus ejuſdem Mælaren.

β. Singularis eſt hæcce plantaginis ſpecies, utpote quæ unico modo gaudet flore, cum in reliquis ſpeciebus nobis notis ſemper plures collocentur in eodem ſcapo. Hinc nomen ſpecificum noſtrum reliquis præferemus, Tournefortii enim *paluſtris* (F. B. 264), *gramineo folio* (F. B. 261), *monanthos* (F. B. 295) *Pariſienſis* (F. B. 264), nimis longum eſt (F. B. 292. 291).

γ. Corollæ laciniæ depreſſæ; filamenta quatuor omnium longiſſima, ſtyloque longiora, in plantaginis genere notam eſſentialem conſtituunt.

65. CORNUS *herbacea.** Tab. V. fig. 3.

Cornus ſuecica. Sp. pl. 171.

Cornus pumila herbacea, Chamæpericlymenum dicta. Dill. elth. 108. t. 91. fig. opt.

Oſſea altera Suecorum. Rudb. fil. in tabulis pictis.

Herba paris flore magno polycoccos edulis. Rudb. it. 11.

Meſomora alba, baccis in corymbo rubris. Rudb. Lapp. 98.

Chamæpericlymenum. Ger. emac. 1296. Park. theatr. 1461. Raj. hiſt. 1. p. 655. ſyn. 261.

Chamæ-

Chamæpericlymenum prutenicum. Cluſ. pan. 88.
Chamæpericlymenum tenerius aliud. Cluſ. hiſt. 60.
Periclymeno accedens planta monanthos noſtras. Moriſ. hiſt. 3. p. 535.
Periclymenum tertium minus. Tabern. hiſt. 2. p. 583.
Periclymenum parvum prutenicum Cluſii. Bauh. hiſt. 2. p. 108.
Periclymenum humile. Bauh. pin. 302.
Periclymenum humile norvegicum. Bauh. pin. 302. Buxb. Comm. petrop. 3. (1728) 268.
Alſine baccifera Succorum. Frank. ſpec. 3. Rudb. hort. 5. Brom. goth. 4.
Alſine baccifera. Lind. wikſ. 2.
Hoenſebær & Smoerbær. Suecis.
Hoenſon. Smolandis.

α. Locus hujus plantæ natalis univerſa eſt Lapponia, in Alpibus ſcilicet reperitur ſæpius inter ſalicta, in deſertis eam nemora ſolo ſpongioſo gaudentia frequenter exhibere vidi. In Smolandia ad templum Stenbrohultenſe, in Norvegia ubique, præſertim in Finmarkia; in Norlandia omni, ut in Geſtricia, Helſingia, Medelpadia, Angermannia, Weſtrobothnia, Oſtrobothnia & Finlandia vulgaris eſt. Nullibi autem illam per totum terrarum orbem copioſius quam in ſeptentrione noſtro, & quidem in Weſtrobothnia, exiſtere, non ſine cauſa dicimus. Cum itaque in ſummo ſeptentrione primario creſcat, & frigidiſſima calidis locis præferat, brevem ejus adumbrationem dabo.

β. *Deſcriptio* plantæ noſtræ hæc eſt.

Radix filiformis, repens, perennis, lignoſa.

Caulis ſimplex, integer, rectus, tetragonus, glaber, vix ſpithamæus, quinque vel ſex internodiis diſtinctus.

Folia ovata, integerrima, apice fere acuta, glabra utrinque, quinque nervis inſtructa, erecto-patula, ſeſſilia, oppoſita, longitudine ultimi articuli

 pollicis,

pollicis, latitudine ejusdem pollicis; quorum maxima ad exortum pedunculi posita, inferiora vero, quo propiora radici, eo minora.

Florum *Umbella* unica pedunculo ex apice caulis descripti egresso insidet, cujus

Involucrum tetraphyllum, maximum, foliolis ovatis, concavis, obtuse acutis, patentibus, niveis, deciduis, æqualiter longis; duobus vero interioribus, oppositis angustioribus.

Flosculi sedecim ad triginta duos numerantur, involucro breviores, pediculis brevissimis intra involucrum adfixi, quorum *Perianthium* minimum, quadridentatum, persistens, germen oblongiusculum coronans. *Corolla* petalis quatuor, nigris, æqualibus, planis, oblongis, acutis, parvis. *Stamina* quatuor, alba, erecta, longitudine corollæ. *Pistilli germen* nigricans; *stylus* longitudine staminum, simplex, niger; *Stigma* simplex.

Rami duo oppositi, eodem tempore, quo florum umbella, ad basin pedunculi prodeunt, singuli ex singula ala foliorum ultimæ scilicet oppositionis, simplices, longitudine fere caulis. Vid. Tab. V. fig. 3. lit. d. d.

Folia ramorum antecedentibus simillima, sed paulo angustiora maximis.

Fructus pedunculo sensim protracto, ad dimidium breviori ramis, insidet, involucro deciduo parum inclinatus, constans baccis plurimis in corymbum digestis, quarum singulæ sunt

Drupæ globosæ, magnæ, nudæ, calyce vix manifesto notatæ, rubræ, pulpa alba aquosa leviter dulci refertæ.

Semen est Nucleus cordatus bilocularis.

γ. *Figuram* plantæ

Fructum ferentis dedit primus Clusius in pannonicis, quam suam sibi fecit deinde descriptorum vulgus.

Florentis autem exhibuit primus Clariss. ROBERG (Professor

(Professor Medicinæ in Academia Upsaliensi Celeberrimus) in Disp. de Græsœa. Post eum optimam exhibuit excellentissimus Botanicus D. D. Dillenius in Horto Elthamensi.

Quam autem *nos* sistimus, illa exhibet plantam in primis pubertatis suæ diebus lectam (Tab. V. f. 3. lit a.), quæ deinde excrescit, antequam defloreat, ad eandem magnitudinem, qua a D. Dillenio repræsentatur, cadente autem flore fructum fert, qualem lit. b. demonstrat.

δ. Attributa singularia hujus plantæ plurima sunt, Ex. gr.

Ramis duobus tantum, iisque simplicibus instrui plantam, singulare est in omnibus mihi notis. Non tamen nego, quod duorum aliorum rudimenta inferius, inque alis proximæ oppositionis foliorum latitasse, nunquam tamen prodiisse, observaverim.

Sterilem vero plantam nullos ramos producere, mirum est.

Folia ubique opposita esse: quatuor autem apicem caulis, ubi sterilis est planta; vel apices ramorum, ubi fertilis, coronare; singulare est.

Involucrum esse niveæ albedinis, flosculis autem (exceptis staminibus) omnino nigris, rarum est; communiter enim petala calyce coloratiora esse solent, & petala nigra sunt omnium rarissima.

Umbellæ singulos radios in flore simplices esse, ex eadem basi communis receptaculi exsertos, absoluta vero florescentia in corymbum, mira metamorphosi, transmutatos, notabile est.

Plenos flores a petalis componi, commune est in plurimis plantarum familiis; perianthium florem plenum constituere in paucissimis adnotavimus (ut Caryophyllo Sinensi dicto); involucrum autem plenitudinem efficere, vix audivi unquam. In hac autem planta florem sæpius plenum in

Westro-

Westrobothnia legi, qui tum sæpius, foliorum instar, viridis, crassus & persistens erat.

Ossiculum biloculare esse, ut in *Xanthio*, *Cordia*, &c. in Corno quoque notabile est; alterum autem ossiculi loculamentum vacuum, alterum vero nucleo fœtum notasse curiosum est; ex centum enim ossiculis, una vice dissectis, duo tantummodo utraque cavitate prægnantia observavi, reliquis omnibus in alterutra vacuis. Ideo ex uno semine unicam plantam communiter provenire, necesse est, quod etiam de Xanthio adnotavit Ruppius. Vid. Tab. V. fig. 3. lit. c.

Folia circa autumnum decidere ad modum arborum, licet caulis minime lignosus sit, & paulo post pereat, in herbis notatu dignum.

ε. *Periclymenum humile flore flori innato* Kyllingii in A. D. 2. p. 346. est hujus plantæ variatio flore prolifero, quam non semel in Finmarkia legi.

ζ. *Pyrola alsines flore Brasiliana.* Bauh. pin. 191. prod. 100. in herbario Burseri adeo similis est huic, ac ovum ovo; excepto involucro, illius luteo, nostræ albo; hinc easdem, ut species, conjungere non audeo, albus enim color raro mutatur in flavum; & forte aliæ adhuc essent notæ in loco natali potissimum conspectui obviæ. Forsan eadem est cum illa, quam depinxit Pluk. phyt. 26. f. 3.

η. *Species* nostra differt ab Europæis congeneribus notissimis in hisce potissimum, quod

a. sit *herba*, reliquæ arbores;
b. *Umbellam* obtineat unicam;
c. *Involucro* gaudeat flosculis duplo longiori.

Convenit autem cum congeneribus arboribus

a. *Caule* tetragono articulato;
b. *Foliis* oppositis, ovatis, nervosis, deciduis;
c. *Ramis* oppositis, tetragonis;
d. *Tempore florendi*, sic ut primum folia erumpere incipiant;
e. *Solo natali* succoso, umbroso, pingui.

θ. *Floret*,

ϑ. *Floret*, quamprimum e terræ ſinu progerminat, in Smolandia ſcilicet primo Maji, in Weſtrobothnia circa finem Junii, in Alpibus lapponicis ad finem Julii. Per Weſtrobothniam iter facientes Cornum hanc nivea ſua involucrorum albedine florentem vaſtiſſimas tegere ſylvas & nemora jucundo ſpectaculo admirabamur ſummopere.

ι. *Moriſonus* plantam noſtram ad *Bacciferas* § *ſeminibus pluribus* refert, cum noſtra unico tantum gaudeat oſſiculo.

Rajus florem unicum huic plantæ tribuit, niſi vero florem aggregatum intellexerit, involucrum certe pro corolla ſumpſit.

Rivinus Cornum refert ad *Tetrapetalos ſimplices*, & quidem ex ſancita methodi ſuæ lege ſatis bene; hæc autem planta ſecundum adſumpta ejus principia ad flores *compoſitos ex regularibus tetrapetalis in ambitu, & tetrapetalis in medio* pertinet.

Tournefortius & alii Cornum ad *arbores* referunt, hæc autem herba eſt.

Hinc ut & ex infinitis aliis liquet, quid ſentiendum ſit de diviſione iſta receptiſſima plantarum, in herbas & arbores, & an tanti ſit, quanti illam fecere; & cur Plumierus, ſectator accuratiſſimus Tournefortii, in hac re fere ſola ab eo receſſerit; nec non quod in calidioribus locis plures ſpecies arboreſcentes in ſingulo genere reperiantur, quam in Europæis frigidioribus.

κ. Uſus baccarum parcior eſt, communiter enim ab incolis negligitur, niſi puerorum palatis arrideat; noxias tamen, ut putarunt veteres, eſſe baccas hujus ſpeciei omnino nego; vidi enim pueros, qui tres quatuorve pintas baccarum harum adſumſerunt ſine incommodo; ad hæc nec ſapor, nec genus, nec principia conſtitutiva, nec obſervationes eas venenatas pronunciant. Viris minus placent baccæ, cum aquoſæ & dulces ſint, his enim acria & ſolidiora ut præbeas, neceſſe eſt.

CONVALLARIÆ *speciem* 113. vide sub Hexandria Monogynia.

66. ALCHEMILLA *foliis simplicibus.*
Alchemilla vulgaris. Sp. pl. 178.
Alchimilla vulgaris. Bauh. pin. 319.
Alchimilla sive pes leonis. Rudb. vall. 2.
Alchimilla. Dod. pempt. 140. Frank. spec. 2. Rudb. hort. 3. Till. ab. 2. ic. 38. Lind. wiks. 2.
α. *Alchimilla perennis viridis minor.* Moris. hist. 2. p. 195.
Alchimilla minor. Tournef. inst. 508.
β. *Alchimilla perennis viridis major, foliis ex luteo virentibus.* Moris. hist. 2. p. 195.
Alchimilla alpina pubescens minor. Pluk. phyt 240. f. 2.
γ. In desertis siccioribus & graminosis Lapponiæ reperitur.
δ. Ex hac planta etiam duas (α, β) distinctas species conficiunt Botanici recentiores, quæ tantummodo variationes sunt. Prior (α) est planta naturalissima, erectior, villosa & viridis. Posterior (β) autem caule procumbente rufescente, foliis glabris flavescentibus ; hæ tamen variationes a solo loco, a sola naturali cultura oriuntur, nam in locis spongiosis pinguibus & graminosis ubique reperitur prior (α); in montosis, glareosis, siccioribus, calidioribus & exsuccis posterior (β).
ε. Canonem istum Botanicum, *Nullum dari stylum, qui non e medio floris, ex medio embryone, qui medium floris occupat, oriatur, cuique tyroni notissimum. Dill. respons. ad Riv.* 6. fere per totum regnum vegetabile obtinere, solo hocce excepto genere, cui accedit Aphanes & Icosandria polygynia cum Sibbaldia, intelleximus: in omni enim Alchemilla inseritur stylus basi germinis & deinde juxta latus ejusdem erectus adscendit.

67. ALCHE-

67. ALCHEMILLA *foliis digitatis.*
Alchemilla alpina. Sp. pl. 179.
α. *Alchimilla alpina quinquefolia.* Bauh. pin. 320. Scheuch. alp. 29.
Alchimilla alpina minor. Tournef. inſt. 508.
β. *Alchimilla alpina, quinquefolii folio ſubtus argenteo.* Tournef. inſt. 508.
Tormentilla alpina, folio ſericeo. Bauh. pin. 326.
Pentaphyllum ſeu potius Heptaphyllum argenteum, flore muſcoſo. Bauh. hiſt. 2. p. 398. f.
γ. In Alpibus frequentiſſime, in ſylvis nunquam videtur.
δ. Etiam ex hac unica duas ſpecies (α, β) confecerunt nonnulli, quarum prior (α) folia radicalia caulinis minora; contra vero poſterior (β) inverſe folia radicalia caulinis majora exhibet, uti etiam tota planta major, ſed hujus differentiæ cauſæ itidem a loco derivantur; cum enim in Alpibus tempore vernali frigido excreſcant folia radicalia, a frigore coercita, permanent minora (α): ſi autem curæ hortulani committitur, majora excreſcunt folia radicalia contra frigidi cœli injurias munita, & ſæpe ſeptem luxuriant foliolis (β).
ε. Vidi Holmiæ hortulanos plantam hanc in fictilibus per totam hyemen in hybernaculis a frigore defenſam conſervaſſe; qui vero locum natalem conſiderat, eam prope Holmiam frigore non perituram, facile credet.
ζ. Synonyma Bauhini & Tournefortii perperam, ni fallor, ad varietatem ſuam α retulit Linnæus; pertinent certe ad Alchemillam pentaphylleam, quæ nunquam in Lapponia inventa fuit. *J. E. Smith.*

DIGYNIA.

GENTIANÆ *ſpeciem* § 94. vide ſub Pentandria Digynia.

TETRA-

TETRAGYNIA.

68. POTAMOGETON *foliis oblongo-ovatis natantibus.* *
Potamogeton natans. Sp. pl. 182.
Potamogeton rotundifolium. Bauh. pin. 193. Lind. wikſ. 30.
Potamogeton. Fuchſ. hiſt. 651. fig. optima.
α. In fluviis Lapponiæ ſylveſtris paſſim occurrit.
β. Hæc eſt unica ſpecies, quam novi, cujus folia aquarum ſuperficiei innatant, Nymphææ ad inſtar.
γ. Si creſcat in loco, qui per æſtatem exſiccatur, mire mutat faciem, et erecta, ut plantago parva, excreſcit.

69. POTAMOGETON *foliis cordatis amplexicaulibus.*
Potamogeton perfoliatum. Sp. pl. 182.
Potamogeton rotundifolium alterum. Gottſch. pruſſ. 205. f. 65. bona.
Potamogiton perfoliatum. Raj. ſyn. 149.
α. Cum antecedenti, rarius licet, uti in fluvio margaritifero Calatz-elſwen dicto, conſpiciebatur.

70. POTAMOGETON *gramineum latiuſculum, foliis & ramificationibus denſiſſime ſtipatis.* Raj. ſyn. 149. t. 4. f. 3.
Potamogeton gramineum. Sp. pl. 184.
α. In fluviis paſſim, præſertim in minoribus.

CLAS-

CLASSIS V.

PENTANDRIA.

MONOGYNIA.

71. PERSICARIA *mitis.* Bauh. hist. 3. p. 771.
Polygonum Persicaria. Sp. pl. 518.
Persicaria mitis maculosa & non maculosa. Bauh. pin. 101.
Persicaria mitis maculosa. Frank. spec. 23.
Persicaria maculosa. Rudb. cat. 32. hort. 87. Lind. wiks. 28.

α. In agris Novaccolarum Lapponiæ, cerealibus immixta, cum seminibus eo allata, occurrit; locus ejus natalis vero proprie non est in Lapponia.

β. Variat foliorum disco maculato & non maculato, species hæc unica. Variat etiam spicis albis & rubris, tamen eadem est.

γ. Sexus partes in hocce genere numero diverso, in distinctis speciebus, sese offerunt: *Hæc* enim stamina sex & pistilla duo; *Persicaria urens* dicta, stamina sex & pistillum bifidum; *Persicaria foliis nicotianæ* nota, stamina octo & pistilla tria sæpius profert. Hinc facile crederem florem ultimæ speciei maxime naturalem esse, confirmante id seminis figura, & summa ejus, quoad faciem externam, convenientia cum Bistorta, Helxine, Polygono in Octandria trigynia exhibitis.

72. GLAUX

72. GLAUX *foliis elliptico-oblongis.*
Glaux maritima. Sp. pl. 301.
Glaux maritima. Bauh. pin. 215. Rudb. hort. 47. Till. ab. 31. ic. 137.
Alsine bifolia fructu coriandri, radice geniculata. Gottsch. pruss. 13. fig. 3.
α. Ad littora maris septentrionalis, quæ Alpes lapponicas terminant, reperitur; copiosior tamen ad littora sinus Bothnici.

73. LITHOSPERMUM *arvense, radice rubra.* Bauh. pin. 258.
Lithospermum arvense. Sp. pl. 190.
Buglossum arvense annuum, lithospermi folio. Tournef. inst. 134.
Anchusa angustifolia procumbens, lithospermi facie. Boerh. lugd. 1. p. 189.
Echioides flore albo. Riv. mon.
α. In agris Novaccolarum vidi aliquoties plantam hanc cum segete casu satam; num autem ad maturitatem hic perveniat, numve semina frigus brumale perferre possint, me latet.
β. Rationem video nullam, cur maxima Botanicorum pars hanc e Lithospermi genere excludere audeat; eadem enim & facies & fructificatio, nisi a colore seminum distinguere velint.
γ. In itinere observavi puellas elegantiæ studiosas per Norlandiam, præsertim autem per Helsingiam, radices recentes, leviter lotas, adhibere loco cosmetici, sic faciem pingentes grato rubore, ut rosarum amœnissimo adspectui vix cedens illarum vultus procorum oculos in se convertat teneatque defixos, qui fucus lapponicarum virguncularum faciem, fuligineam fere (rarius pice liquida lacte mixta inunctam, præcipue apud Novaccolas, ne culices devastent integram), inquinat nunquam.

74. MY-

74. MYOSOTIS *hirſuta arvenſis major.* Dill. giſſ. 55.
Myoſotis ſcorpioides. α. Sp. pl. 188.
Myoſotis minor arvenſis. Rupp. jen. ed. 1. p. 10.
Lithoſpermum arvenſe minus. Tournef. inſt. 137.
Heliotropium minus anguſtifolium arvenſe ſeu hirſutum. Boerh. lugd. 1. p. 190.
Echium ſcorpioides arvenſe. Bauh. pin. 254. Lind. wikſ. 11.
Echium ſcorpioides. Till. ab. 24. ic. 22.
Echium vulgare, flore cæruleo. Rudb. cat. 15. vall. 12. hort. 37.
α. In Lapponia Umenſi rarius illam obſervavi.

75. MYOSOTIS *glabra pratenſis.* Dill. giſſ. 67.
Myoſotis ſcorpioides. β. Sp. pl. 188.
Myoſotis paluſtris major. Rupp. jen. 1. p. 9.
Lithoſpermum paluſtre minus, flore cæruleo. Tournef. inſt. 137.
Heliotropium minus anguſtifolium paluſtre, ſeu glabrum. Boerh. lugd. 1. p. 191.
Echium ſcorpioides paluſtre. Bauh. pin. 254.
α. In Lapponia, tam deſerta, quam alpina floret menſe Julio.
β. Quæro, numne hæc ſpecies conveniat cum antecedenti planta & tantummodo ſit variatio a loco aquoſo & ſuccoſo producta, qui plantæ magnitudinem augeret, hirſutiem deſtrueret, & corollam expanderet? Ita a priori facile videretur! qui vero hæc certo determinare cupit, conſulat effectus culturæ.
γ. Genus hoc a Knautio fil. Scorpiurus dictum, dato autem a Cl. Dillenio perfectiori charactere vocatum fuit Myoſotis, & in locum Myoſotidis Ceraſtii nomen hocce introductum, ſuperfluo itaque facto Scorpiuri nomine utor ad deſignandum Scorpioidis Tournef. ſeu Campoidis Rivini genus (F. B. 226), cum ſiliqua repræſentet formam caudæ ſcorpionis convolutæ.

76. ASPERUGO.*
Aſperugo procumbens. Sp. pl. 198.
Aſperugo vulgaris. Tournef. inſt. 135.
Buglоſſum ſylveſtre caulibus procumbentibus. Bauh. pin. 257.
Alyſſon echioides Germanorum. Rudb. hort. 5. Till. ab. 3.
Alyſſum Germanorum. Frank. ſpec. 3.
Aparine major. Lind. wikſ. 3.

α. In Lapponiæ deſertis, præſertim ad caſas Lapponum, non infrequenter obſervatur.

β. Cum unica modo ſpecies hujus generis mihi nota ſit, differentiam adponere inutilis eſſet vanitas; quis enim diſtinctionem facere poſſet, inter aliquod exiſtens, & aliquod incognitum, ubi nulla datur idea rei diſtinguentis? (F. B. 293)

77. LYCOPSIS *foliis lanceolatis, calycibus fructuum erectis.*
Lycopſis arvenſis. Sp. pl. 199.
Echioides. Riv. mon. Dill. app. 100.
Bugloſſum ſylveſtre minus. Bauh. pin. 256. Tournef. inſt. 134.
Bugloſſum arvenſe echioides minus. Frank. ſpec. 7.
Borrago ſylveſtris echioides, flore cæruleo. Rudb. cat. 8. hort. 17. Till. ab. 10.

α. In agris Novaccolarum Lapponiæ copioſe provenit.

β. Eſſentialis hujus generis character lepide in tubo corollæ incurvo conſiſtit. Vide C. G. 106. Dill. app. tab. 3.

γ. *Echioidis* nomen nolo (F. B. 226), cujus locum potius occupet ſuperfluum quoddam, inque hac familia ſemper ſynonymon, nec certa ſede antehac fixum *Lycopſis* dictum (F. B. 242).

78. ANDROSACE *calyce fructus parvo.*
Androſace ſeptentrionalis. Sp. pl. 203.

Andro-

Androſace montana, flore minore. Buxb. A. R. (citatio mihi obſcura. *J. E. Smith.*)
Androſace vulgaris latifolia annua. Celſ. upſ. 10.
Alſine minor, Androſaces alterius Matthioli facie. Bauh. pin. 251. prod. 113.
Alſine verna, Androſaces capitulis. Bauh. pin. 251. prod. 118.
Alſine affinis, Androſace dicta minor. Bauh. pin. ibidem.

α. Plantam hanc in Lapponia rariſſime, in Alpibus bis tantum vidi.

β. Quantum ex deſcriptionibus & Burſeri Herbario colligere licet, videtur Bauhinum eandem plantam ter in pinace deſcripſiſſe.

79. PRIMULA *floribus erectis faſtigiatis.*
Primula farinoſa. Sp. pl. 205. Sowerb. Engl. Bot. t. 6.
Primula veris rubro flore. Tournef. inſt. 124.
Primula veris flore purpureo. Rudb. cat. 34.
Primula veris umbellifera minor flore purpureo. Rudb. hort. 93.
Verbaſculum umbellatum alpinum minus. Bauh. pin. 242.
Cæſar inter herbas, aut Regulus. Siml. alp. 130. b.

α. Hæc Primula, quæ per campos Scanenſes, Uplandiæque prata primo vere tranſeuntium oculos fulgenti florum ſuorum purpura in ſe convertit, non prodibat in conſpectum per totum iter, niſi poſtquam Alpes lapponicas conſcenderem, ubi parciſſime proveniens floribus duobus tribuſve modo inſtruebatur, iiſque admodum pallidis, adeo ut in Alpibus lapponicis nec mereatur nomen Cæſaris, nec Reguli: Caulis tamen plantæ hic locorum ad ſpithamæ unius longitudinem & ultra adſcendebat; id quod vix alibi in Suecia obſervare licet.

β. Quod Primula veris & Auricula urſi ejuſdem ſint generis plantæ, docet convenientia omnium partium

fructificationis, præterquam quod fructus in altera brevior, in altera vero oblongus magis reperiatur; & quod limbus corollæ in altera sit turbinatus, in altera vero planus, in alia specie concavus: sed hæ notæ in omnibus speciebus distinctis differunt, hinc ut specificæ, non vero ut genericæ considerari debent.

γ. Conjunctis generibus hisce duobus (β), nomina ambo excludo, ne quis sub alterutro retento nomine unam modo ex iis intelligat plantam, cum præterea ambo per se erronea sint (F.B. 221). Ne vero nimis novum in antiqua planta nomen fingam, *Primulæ* vocabulum, excluso veris epitheto, retineo. (F. B. 242.)

79.* PRIMULA *foliis integerrimis glabris oblongis, calycibus tubulosis obtusis.*

Primula integrifolia. Sp. pl. 205. Œd. Dan. t. 188.

α. In Alpibus Lapponiæ Norvegicæ. *Am. acad.* v. 7. 475.

80. MENYANTHES *foliis ternatis.* *

Menyanthes trifoliata. Sp. pl. 208.

Menyanthes palustre latifolium (& angustifolium) triphyllum. Tournef. inst. 117.

Acopa. Moris. hist. 3. s. 15. t. 2.

Trifolium palustre. Bauh. pin. 327.

Trifolium aquaticum. Frank. spec. 29. Lind. wiks. 38.

Trifolium fibrinum. Till. ab. 66. ic. 157.

Boskaps-Missne. Westrobothniensibus.

α. In paludosis deserti locis sæpius, in Alpibus lapponicis rarius, in Westrobothnia autem omnium copiosissime crescit.

β. Rationem sufficientem video nullam, ob quam *Nymphoidem* Tournef. ab hocce genere distinguant, ne quidem ullam a facie externa; cum illam Americanam foliis Nymphææ genuinam Menyanthis esse speciem, dubitet nemo.

γ. Novac-

γ. Novaccolæ in Lapponia, ut & Weſtrobothnienſes radices hujus plantæ in rivulis copioſe pronatas effodiunt, eaſque pecoribus in penuria fœni ac pabuli exhibent, quæ eaſdem conſumunt totas.

δ. Sic urgente annonæ ſævitia radices ſiccatas pulveriſataſque miſcet cum parva quantitate farinæ cerealium, & inde conficit miſerum Novaccolarum vulgus panem, qui admodum amarus eſt & deteſtabilis, modum, quo panem hunc conficiunt, pete ex Elfwingi diſſ. de Trifolio aquatico, Aboæ habita, licet ille Menyanthen pro Calla habuerit; quam vide ſub Gynandria polyandria.

ε. Ruſtici quamplurimi per Weſtrogothiam folia hujus plantæ amara, deficientibus conis Lupuli (Humuli), pro conficienda cereviſia adhibent, quod balſamandi artificium æque ab aceſcentia defendit, ac unquam Lupulus vel amara Gentianella (vid. *Bromelius in Lupulologia*), cum amara omnia alcalina & acidis contraria ſint.

ζ. Bartholinus, Sim. Paulli & alii plurima de ſcorbuto ſeptentrionalium a frigore, deque copia plantarum antiſcorbuticarum in regionibus hyperboreis exclamarunt, inter quas huic plantæ locum fere primum concedunt. Adſevero tamen, me nullum unquam in tanto Lapponum numero, qui Lapponiam inhabitant, ſcorbuto obnoxium, vidiſſe, vel audiviſſe, licet in climate omnium frigidiſſimo habitent, licet nullum vegetabile pro cibo ordinario, ne quidem panem, unquam adſumant. Contra vero populos undique adjacentes nullo morbo frequentius, quam ſcorbuto laborantes vidi. Rationem alio in loco reddere animus eſt.

81. LYSIMACHIA *foliis lanceolatis, caule corymbo terminato.*
Lyſimachia vulgaris. Sp. pl. 209.
Lyſimachia lutea major. Bauh. pin. 245. Lind. wikſ. 22.

Lysimachia lutea vulgaris. Rudb. cat. 26.
Lysimachia lut. vulg. perennis. Rudb. hort. 69.
Lysimachia vulgaris lutea spicata. Till. ab. 41.
Lysimachia. Till. ic. 125.
Nummularia erecta Rivini. Rupp. jen. 1. p. 18.

α. In desertis, juxta fluvios, aliquando in conspectum prodit.

β. *Rivinus* & *Ruppius* nomen Lysimachiæ, quod antiquissimum (F. B. 241), a Rege, plantarum amatore (F. B. 237), citra noxam scientiæ impositum (F. B. 239), adeoque optimum, male expungere tentarunt; inque locum ejus *Nummulariæ* vocabulum, quod pejus est (F. B. 231, 234), & contraria (F. B. 232) nititur metaphora, substituerunt.

γ. Tingit luteo colore. *Lind. tinct.* 35.

82. LYSIMACHIA *ex alis foliorum thyrsifera.* *
Lysimachia thyrsiflora. Sp. pl. 209.
Lysimachia bifolia, flore globoso luteo. Bauh. pin. 245.
Lysimachia in alis foliorum florens. Lind. wiks. 22.
Lysimachia salicaria. Rudb. cat. 26. hort. 69. Till. ab. 41.

α. Ad rivulos in desertis Lapponiæ passim.

β. Corolla hujus plantæ fere ad basin usque divisa est, ut vix conspicuo ungue cohæreat.

83. CAMPANULA *foliis radicalibus reniformibus, caulinis linearibus.*
Campanula rotundifolia. Sp. pl. 232.
Campanula minor. Till. ab. 12.
Campanula minor rotundifolia. Lind. wiks. 6.
Campanula minor rotundifolia vulgaris. Bauh. pin. 93. Tournef. inst. 111.
Campanula minima, flore cæruleo. Rudb. cat. 9. hort. 21.
Campanula, vel Campanella minor. Frank. spec. 7.

α. *Campanula minor rotundifolia vulgaris, floribus candidis.* Tournef. inst. 112.

Campanula

Campanula minima, flore albo. Rudb. hort. 21.

β. Ubique in defertis occurrit.

γ. Variat corolla alba (α), & vix ullam vidi plantam corolla cærulea, rubra, aut purpurea, quæ non in albam aliquando mutata fuiffet. Patet curiofo rerum phyficarum fcrutatori:

Cur in fummo feptentrione, in fummo frigore, color albus frequentior fit in floribus, in Lichenoidibus, nec non per hyemem in Tetraone Lagopo, in Lepore, Muftela, Sciuro, nive & glacie, immo in ipfis corporibus atque cute incolarum;

Cur contrarium in regionibus calidis;

Cur omnes fere plantæ, lapides & animalia in fuperficie foli objecta coloratiora fint, quam in oppofita;

Cur flores fpeciofiores in calidis, quam in noftris frigidis locis.

84. CAMPANULA *alpina linifolia cærulea.* Bauh. pin. 93.

Campanula rotundifolia. γ. Sp. pl. 232.

Campanula alpina rotundifolia minor. Bauh. prod. 34. figura.

Campanula alpina, caule foliofo. Bocc. muf. tab. 103.

α. Paffim legi plantam hanc circa finem Julii florentem in Alpibus lapponicis, extra quas ea nunquam nobis obvia fuit.

β. Faciem antecedentis primo intuitu fatis exacte refert; foliis tamen pluribus inftruitur caulis, & e fummitate plures prodeunt flores. Utrum fit variatio, an vero diftincta fpecies, facile fuiffet dictu, nifi folia radicalia ante jam deftructa fuiffent, quam eam videre licuit.

85. CAMPANULA *caule unifloro.* Tab. IX. fig. 5, 6.

Campanula uniflora. Sp. pl. 231.

 α. In

α. In Alpibus noſtris rariſſima eſt planta, quæ floret circa initium Julii; fructum vero in ſine ejuſdem menſis producit.

β. Plantam hanc novam eſſe puto, cum apud Botanicos nullam hujus obſervaverim deſcriptionem, vel figuram; hincque brevem ejus deſcriptionem exhibeo, & eandem repræſento (fig. 5.) florentem, (fig. 6.) autem fructu maturo gravidam.

γ. *Radix* fibroſa, annua.

Caulis ſimpliciſſimus, digiti longitudine, oblique erectus, teres, integer.

Folia caulina ſex vel ſeptem alterna, quorum infima verticaliter ovata; media lanceolata; ſumma linearia; ex hiſce ultimum flori ſupponitur.

Flos unicus caulem terminans, nutans, corolla campanulata, verſus baſin contracta, cærulea, cetera cum § 83. conveniunt.

Fructus turbinato-ovatus (pyriformis vulgo), ratione plantæ maximus, leviter inclinatus, tribus foraminibus prope conjunctionem capſulæ cum coronante calyce pervius.

86. POLEMONIUM.*

Polemonium cæruleum. Sp. pl. 230. Sowerb. Engl. Bot. t. 14.

Polemonium vulgare cæruleum. Tournef. inſt. 146. Rudb. lapp. 99.

Vulneraria alata, blattariæ flore cæruleo. Moriſ. hiſt. 3. p. 605.

Valeriana cærulea. Bauh. pin. 164.

Valeriana græca. Frank. ſpec. 22. Till. ab. 67.

Valeriana græca, flore cæruleo. Rudb. vall. 35. hort. 115.

α. *Polemonium vulgare album.* Tournef. inſt. 146. Rudb. lapp. 99.

Valeriana græca, flore albo. Rudb. vall. 35. hort. 115.

β. In

β. In Alpibus lapponicis Tornoenſibus rarius occurrit, quam alias per totam Sueciam exhibent horti.
γ. Vidi ex eadem radice caules plures enatos, horumque alios floribus cæruleis, alios albis ſuperbire; radicem effoſſam ex uno eodemque corpore conſtare convictus fui. Utinam adfuiſſent, quorum ex ſententia color diſtinctas conſtituit ſpecies!

87. HYOSCYAMUS *vulgaris vel niger.* Bauh. pin. 169. Frank. ſpec. 17.
Hyoſcyamus niger. Sp. pl. 257. Rudb. cat. 21. hort. 55. Lind. wikſ. 19.
Hyoſcyamus. Riv. mon.
α. Unica modo vice eam legi in Lapponia Umenſi, ad templum Lykſele.
β. Pithoæ, quæ Weſtrobothniæ urbs, hæcce planta a Conſule, hortuli ſui amatore, mihi tanquam rariſſima, ejuſque cura educata monſtrabatur.

88. DIAPENSIA.* Tab. I. fig. 1.
Diapenſia lapponica. Sp. pl. 202.
Androſace alpina perennis anguſtifolia glabra, flore ſingulari. Tournef. inſt. 123.
Sedum alpinum gramineo folio, flore lacteo. Bauh. pin. 284.
Sedum alpinum III, lacteo flore. Cluſ. pan. 490.
Sedum minimum alpinum muſcoides. Park. theatr. 736.
α. Per omnes Alpes noſtras vulgatiſſima eſt planta, per Sueciam alias nullibi obvia, corolla nitente nivea gaudens.
β. Genus hujus plantæ novum, nec ab ullo alio traditum eſt, cujus characterem dedimus in C. G. 147.
γ. Tournefortius hanc cum Androſaces ſpeciebus commiſcuit, a quibus diverſiſſima eſt. Etenim
Calyx Androſaces primus, eſt involucrum umbellulæ, quod in noſtra abeſt; niſi quis inferiora foliola

liola calycis pro involucro ſumeret triphyllo.
Perianthium Androſaces monophyllum, pentagonum, ſemiquinquefidum, acutum; Diapenſiæ vero octophyllum, obtuſum.

Corollæ tubus in Androſace ſuperne clauſus; in noſtra pervius, vel apertus eſt.

Staminum filamenta intra tubum includuntur in Androſace; tubo vero imponuntur nuda in Diapenſia.

Piſtillum totum intra tubum corollæ abſconditur in Androſace, & ſtigmate globoſo inſtruitur; in Diapenſia vero ſtylus tubo longior eſt & ſtigma obtuſum.

Pericarpium in Androſace eſt uniloculare; in Diapenſia vero triloculare, trivalve.

Ergo diverſi generis eſſe plantas, demonſtratum eſt, ſecundum F. B. 166, 167, 170.

δ. Nomen antiquum & vacuum vagumque huic generi imponimus, idque Diapenſiæ titulo ornamus.

ε. Figuræ Authorum omnes peſſimæ ſunt, nec noſtra optima, cum ſecundum ſpecimen ſiccum exſculpta ſit, unde flos nimis planus & antrorſum reflexus conſpicitur, cetera ſeſe ſatis bene habent.

ζ. Deſcriptionem, cum ſit planta mere alpina, & rarius obvia, brevem adnectam:

Radix fibroſa, perennis.

Caulis mox e radice ſurgens in plures ramulos, ſimplices, diffuſos, ad ſummum digitalis longitudinis, undique foliis veſtitos, dividitur.

Folia linearia, obtuſa, fere membranacea, nervo longitudinali ſuperius concavo, inferius prominulo inſtructa, longitudine unguis, extrorſum paulo latiora, imbricatim ſibimet invicem ad baſin incumbentia, ſuperna parte undique patentia, perennia; inferiora tandem marceſcentia, non decidua.

Pedunculus

Pedunculus longitudine pollicis tranfverfi ex apice rami exfurgit, rectus, tenuis, unico flore inftructus, qui corolla alba notabilis.

Faciem Sedi referunt rami foliis imbricatis tecti, inque tophum congefti, unde nomen apud veteres.

μ. Synonyma omnia falfa funt, quorum priora duo ad Androfacen lacteam, pofteriora ad Saxifragam cæfiam proculdubio pertinent. *J. E. Smith.*

89. AZALEA *maculis ferrugineis fubtus adfperfa.* Tab. VI. fig. 1.

Azalea lapponica. Sp. pl. 214.

Chamærhododendros alpina glabra. Tournef. inft. 604.

Ledum alpinum, foliis ferruginea rubigine nigricantibus. Bauh. pin. 468.

α. Fruticulum hunc tantummodo in Alpibus lapponicis hactenus videre licuit, & in quibufdam modo locis ficcis, & aridis copiofe.

β. Videtur quidem effe ejufdem fpeciei planta cum fupra allegatis, quod fi ita fe habeat, fane vel nimis deflectit a genio fuo fruticulus hic in frigidis noftris Alpibus, vel imperfectæ funt defcriptiones & figuræ apud Authores. Ne itaque tot dubia aliis moveat noftra planta, quot in allegata altera mihi fuborta fuere, en figuram, Tab. VI. fig. 1. & defcriptionem.

γ. *Radix* lignofa, fibrofa, perennis.

Caulis lignofus, fruticofus, fcaber, fpithamæus, protrudens ramos plures tres quatuor quinqueve ex eodem puncto, ex apice ramuli anni præcedentis (ut in Pinu), diftantes, cortice tectos inæquali, per fenectutem deciduo, novo fubtus regenerato.

Folia elliptica, rigida, perennia, margine undique deorfum flexo, nervo longitudinali fuperne concavo,

cavo, inferne prominulo; diſco foliorum ſuperne viridi & veluti punctis aſperato, inferne autem griſeo pallido, punctis vix conſpicuis, ferruginea rubedine ſe prodentibus, adſperſo. Folia hæc petiolis vix manifeſtis adſiguntur ramulorum parti, quæ anno proxime præterito excrevit; ſitu oppoſita, ſed valde conſerta, ut ſitus vix diſtingui queat; communiter duodecim in ſingulo ramulo, undique per orbem patentia, conſpiciuntur.

Gemma ramulos terminans ac intra folia circumſtantia poſita dehiſcit vere, e qua flores tres, totidem pedunculis ſimplicibus, ruſeſcentibus, ſcabris, inſidentes prodeunt.

Floris corolla ſaturate violacea ſeu purpurea eſt, longitudine folia plantæ ſuperans.

δ. Notabile omnino in hocce genere eſt, quod ſtaminum filamenta, ipſo receptaculo inſerta, a petalo diſtincta ſint, quod in floribus monopetalis adeo rarum eſt, ut monopetali notam eſſentialem in filamentorum coalitione cum corolla ſtatuerint Vaillantius & Cl. Pontedera, quod vero in hocce genere & Aloë Dill. exceptionem ſibi expetit.

ε. *Chamærhododendros* ſeſquipedale (F. B. 249.) & conſarcinatum (F. B. 225.) nomen commuto cum *Azalea*, a ſolo natali ſic dicta.

ζ. Synonyma Tournefortii & Bauhini ad Rhododendrum ferrugineum pertinent, cui ſane valde affinis eſt Azalea lapponica. *J. E. Smith.*

90. AZALEA *ramis diffuſis procumbentibus.* Tab. VI. fig. 2.

Azalea procumbens. Sp. pl. 215.

Chamærhododendros alpina ſerpyllifolia. Tournef. inſt. 604. Scheuch. alp. 34. & 424.

Chamæciſtus ſerpyllifolia, floribus carneis. Bauh. pin. 466.

Chamæciſtus

Chamæcistus altera. Cluf. pan. 58.
Lychnis alpina frutefcens minima, flore ruberrimo. Rudb. lapp. 98.
Anonymos fruticofa, foliis ericæ bacciferæ Matthioli. Bauh. hift. 1. p. 527.

α. Nulla in Alpibus noftris hocce fruticulo vulgatior eft planta, qui Ericæ inftar totos vaftiffimos campos alpinos obveftit, fi modo fterilis, ficcus & fabulofus fit locus.

β. Singulares funt mores hujus fruticuli, utpote qui ramulis licet gaudeat firmis rigidifque, a terra tamen non difcedit, fed cum ea quafi adglutinatus, vel ad eam fummo pondere veluti depreffus, undique & diftincte expanfis, ut in herbario ficco, ramulis non elevatur, fed Hypni in modum procumbit, quamvis nec ferpat, nec radices emittat e ramis. Foliorum etiam planum fupinum fuperiora verfus flectitur, & folia fupra ramos expanduntur, ne calore folis exficcetur caulis.

γ. Figuram hujus plantæ alpinæ exhibeo, cum ab omnibus erecta pingatur hæc planta valde depreffa.

δ. Defcriptio brevis hujus plantæ fit hæcce:

Radix lignofa, fibrofa, perennis.

Caulis lignofus, brevis, craffitie pennæ anferinæ vel minori, mox in ramos varios inordinatos, lignofos, teretes, fpithamæos aut cubitales, undique difperfos, diffufos, terræque adpropinquantes deliquefcens.

Folia magnitudine & figura Thymi, fempervirentia, oppofita, petiolis vix manifeftis infidentia, marginibus reflexa, fuperne glabra viridia, inferne pallidiora, linea longitudinali fuperne concava, inferne prominente notata.

Flores ex apicibus ramulorum tres communiter prodeunt pedunculis totidem rubris fimplicibus & erectis infidentes. Calyx floris ruber eft (in antecedenti viridis), fed perfiftens; corolla autem campanulata

campanulata erecta. Cetera in charactere vide C. G. 151.

91. HEDERA *foliis lobatis & ovatis.*
Hedera Helix. Sp. pl. 292.
α. *Hedera humi repens.* Bauh. pin. 305.
β. *Hedera helix.* Frank. ſpec. 33.
Hedera major ſterilis. Bauh. pin. 305.
Hedera arborea. Lind. wikſ. 18.
γ. *Hedera arborea.* Bauh. pin. 305.
Hedera arborea corymboſa. Frank. ſpec. 33.
δ. A Nobiliſſ. Rudbeckio inter plantas in itinere lapponico obſervatas enumeratur, a me tamen viſa non fuit. Obſervandum etiam eſt, quod in eo catalogo non modo plantæ intra fines Lapponiæ viſæ, ſed etiam quæ in itinere per Lapponiam obviam venerunt rariores ſine diſtinctione allegentur.
ε. Hedera alias per Sueciam eſt planta maxime rara, vidimus modo eandem in pluribus locis Scaniæ; ad templum Hallaryd in Smolandia; in monte ſpecioſo Omberg Oſtrogothiæ; ad Acidulas Wikſbergenſes, inque monte Korpberget in Sudermannia. Plura loca videbis in diſſertatione ſub præſidio Rudbeckii fil. de hedera habita Upſ. 1716. allegata.
ζ. Variationes iſtæ tres (α, β, γ) ſunt tantummodo differentiæ ætatis; nam:
α. *Infantia* eſt, dum caulis humi repit, & folia lanceolata integra promit.
β. *Pueritia*, dum caulis arbores &c. invadit, folia lobata & angulata profert, qualis in Suecia communiter reperitur.
γ. *Virilis ætas*, dum fulcimenta dimittit, & folia ovato-cordata integerrima producit.

92. RHAMNUS *inermis, foliis annuis.*
Rhamnus Frangula. Sp. pl. 280.
Frangula. Dod. pempt. 784. Tournef. inſt. 612.

Frangula seu Alnus nigra. Rudb. hort. 43.
Alnus nigra. Frank. spec. 32. Till. ab. 3.
Alnus nigra baccifera. Bauh. pin. 428. Lind. wiks. 2.
α. In deserto Lulensi cum Pinguicula (§ 11. β) ad rivulum lapideum copiose, alibi raro occurrit.
β. Quod Frangula sit ejusdem generis cum Rhamno, dictitat figura & proportio partium floris, præsertim nota ista essentialis, nimirum squama filamentum singulum tegens (F. B. 171. 173.), licet numerus deflectat (F. B. 178), & sexus inconstans sit ac fructus omnibus modis contrarius. Facies & vires hæc confirmant (F. B. 168).

D I G Y N I A.

93. CHENOPODIUM *folio sinuato candicante.* Tournef. inst. 506.
Chenopodium album. Sp. pl. 319.
Atriplex sylvestris, folio sinuato candicante. Bauh. pin. 119.
Atriplex sylvestris, folio candicante. Lind. wiks. 4.
Blitum minus vulgare. Rudb. cat. 7. hort. 17.
Blitum. Till. ab. 9.
α. In locis ruderatis ad domos puta Novaccolarum, vel stabula Lapponum sylvaticorum sæpius viget.

94. GENTIANA *corolla hypocrateriformi, tubo villis clauso, calycis foliis alternis majoribus.*
Gentiana campestris. Sp. pl. 334.
Gentiana pratensis flore quadrifido cæruleo, calyce foliaceo. Cels. ups. 22.
Gentianella. Rudb. cat. 18. hort. 45.
Gentianella flore cæruleo. Till. ab. 30.

Gentia-

Gentianella ramosa cruciata, flore cæruleo tubuloso. Lind. wikſ. 15.

Gentianella fugax autumnalis elatior, centaurii minoris foliis. Raj. ſyn. 275.

Gentianella altera purpurea (violacea eſt) *minima Columnæ.* Moriſ. hiſt. 3. p. 483. ſ. 12. t. 5. f. 9.

Amarella. Frank. ſpec. 3.

α. In Lapponia Umenſi ſemel vidi plantam hanc, alias per totam Sueciam frequentiſſima exſiſtit.

β. In Gentianellarum cohorte tot difficultates occurrunt circa ſpecies determinandas, ut vix explicabiles ſint ulli, omnibus iſtis ſpeciebus non inſtructo; difficillime omnino admitti poſſunt in genere Gentianæ differentiæ aliæ, quam quæ a ſola corolla deſumuntur, hinc in iiſdem examinandis majorem curam impendamus, oportet. Hæc noſtra gaudet corolla hypocrateriformi, ſeu tubo cylindraceo & limbo plano eſt inſtructa. Limbus hic quadripartitus eſt, & laciniæ fere ovatæ, intra ſingulam laciniam petali oritur minor lacinula in capillamenta numeroſa minima fere ad baſin ſuam diviſa, quæ connivens cum reliquis tubum quaſi barba claudit. Calyx quidem monophyllus eſt, ſed ultra dimidium diviſus, cujus laciniæ duæ oppoſitæ exteriores ovatæ, planæ, erectæ, interioribus alternis ſexies ad minimum majores. Stamina quatuor.

γ. Facile crederem plantam noſtram tantummodo eſſe variationem *Gentianæ pratenſis flore lanuginoſo* C. B. ſeu *Gentianæ autumnalis ramoſæ* C. B. Celſ. upſ. 22, cum ſimul naſcantur hæ ſpecies per Sueciam, & facie adeo conveniant, ut vix ac ne vix quidem ſine flore diſtingui queant. Flos deinde prædictæ Gentianæ omnino ſimilis eſt ei, quem noſtra (β) exhibet, niſi quod illa in quinque dividatur lacinias & calyx ſit quinquefidus, laciniis æqualibus, ſed an hæc tanti?

δ. Ruſticis febre intermittente laborantibus exhibitum fuiſſe

fuiſſe decoctum amarellæ hujus herbæ, a concionatoribus quibuſdam, aliquoties in Suecia vidi, felici interdum cum ſucceſſu; hinc apud eoſdem ſub nomine, *ſurge & ambula*, innotuit.

ε. Plantam hanc loco Humuli ſeu Lupuli in conficienda cereviſia adhibere a Suecis, docuit Bromel in Lupulologia.

ζ. *Gentianæ & Centaurii minoris Tournef.* genera conjungo, ſic dictitante natura. Partes femininæ utriſque exacte ſimiles ſunt (F. B. 173), capſula ſcilicet oblonga, unilocularis, bivalvis, ſeminibus parvis ſuturæ valvularum adfixis; *ſtyli* nulli; *ſtigmata* duo, reflexa. Corolla deinde marceſcit in utriſque, nec tamen decidit. Fructus itaque ab omnibus aliis diſtinctiſſimus eſt (F. B. 171. 173), ergo ejuſdem generis ſunt ambo. Corolla in hoc genere characterem ſufficientem nequaquam exhibet, nam in Gentiana officinarum plana & fere rotata eſt; in Pneumonanthé, campanulata; in hac ſpecie, hypocrateriformis; in ſequente, infundibuliformis. Centaurii aliæ ſpecies quinquefida corolla, aliæ quadrifida, aliæ vero octofida gaudent. Ergo in hoc genere corolla ſuffragium ferre non poterit (F. B. 170.). Facies & amaror omnium ſpecierum hæc confirmant. Vide characterem C. G. 197.

η. Conjunctis hiſce duobus generibus (ζ), etiam nomina conjungi debent (F. B. 213), utrumque nomen laudabile eſt (F. B. 237), retineo itaque in memoriam Regis Gentii nomen hoc, cum vulgatius ſit, plureſque contineat ſpecies, nec ut Centaurium majus & minus, adeo æquivocum.

94. * GENTIANA *corollis quinquefidis infundibuliformibus acuminatiſſimis : fauce imberbi mutica, ramis oppoſitis.*

Gentiana aurea. Sp. pl. 331.
Gentiana quinquefolia. Œd. Dan. t. 344. nec Linnæi.

Gentiana involucrata. Rottb. act. Hafn. X. 434. t. 1. f. 2.

α. In Alpibus Lapponiæ Pithoensibus legit Solander. *Faun. suec.* p. 557.

β. Iconem in Flo. Danica, Œdero nimis fidens, ad G. quinquefoliam suam, quæ longe diversa et Americana planta est, Linnæus retulit.

γ. Synonymon Barrellieri t. 104. f. 1. mihi dubium videtur.

95. GENTIANA *corolla infundibuliformi, denticulo laciniis interposito.*

Gentiana nivalis. Sp. pl. 332.

Gentiana folio brevi alsines, flore prælongo tubo virescente, segmentis acutis elegantissime cæruleis. Hall. diss. 29. (Synonymon mihi obscurum. *J. E. Smith.*)

Gentiana pumila, centaurii minoris folio. Tourn. inst. 81.

Gentiana alpina æstiva, centaurii minoris folio. Bauh. pin. 188.

Gentiana flore cæruleo colore elegantissimo. Bauh. hist. 3. p. 527.

Gentiana fugax V. Clus. hist. 315.

Himmelstengel. Siml. alp. 130. (Synonymon dubium. *J. E. Smith.*)

? *Gentianella minor verna cærulea, stellato flore.* Barrel. ic. t. 109. f. 2.

α. In Alpibus nostris altissimis, versus plagam borealem præcipue, copiose provenit planta hæc contemplatorem eximio suo suarum corollarum colore cæruleo in summam admirationem rapiens.

β. Quænam hæc sit apud Authores, certo determinare nec possum, nec curo, cum plures similes occurrant, nec descriptionibus vel figuris a se invicem sufficienter distinctæ sint. Variationes pro speciebus venduntur & synonyma miscentur, ut ne Mercurius e cælo dimissus hisce solvendis nodis sufficeret, &

& etiamſi eos ſolus ſolvere poſſet, nos tamen æque doctos, ac antea, dimitteret.

γ. Ut noſtra planta ab omnibus aliis diſtingui queat, eam deſcribam paucis:

Radix fibroſa, minima, annua.

Caulis ſimplex, filiformis, quodammodo erectus, vel leviter inclinatus, craſſitie ſetæ porcinæ majoris, longitudine digiti, in quatuor vel quinque internodia, quorum ſuperiora ſenſim longiora, diſtinctus.

Folia ovata, parva, ſeſſilia, quorum quatuor radicalia obtuſiora, caulina vero acuminata oppoſita.

Ramus ſimpliciſſimus ad ſingulum geniculum caulis exſeritur unicus in ala foliorum (non oppoſite & utrinque), ſitu alterno, ſecundum longitudinem caulis, quorum inferiores rami longiores, non vero altiores ſunt; ſinguli unica, duplici, rarius terna foliorum oppoſitione inſtructi.

Flos unicus ſinguloſque ramos terminat erectus, calyce priſmatico, pentagono, leviter pentangulo, vix ad dimidiam partem quinquefido, laciniis tenuibus erectis. Corolla infundibuliformis eſt & limbus parvus, quinquepartitus, patens, acutus; ſingulæ lacinulæ interponitur denticulus concolor, ſed erectior, ſecundum motum ſolis leviter, ut & ipſæ laciniæ, inflexus.

Obſ. Sæpe ad altitudinem digiti tranſverſi non adſcendit, ramis deſtituta, flore tantum unico inſtructa.

δ. Figuram plantæ noſtræ exactam habebis, ſi Gentianæ XI. Cluſ. pan. imponas florem (dempta magnitudine) in Gentiana VI. Cluſ. pan. pictum, hinc aliam addere ſuperfluum foret.

96. GENTIANA *major lutea.* Bauh. pin. 187. Rudb. lapp. 98.

Gentiana lutea. Sp. pl. 329.

Gentiana rubra vera. Frank. ſpec. 15.

Gentiana. Dod. pempt. 342. Rudb. hort. 45.

α. Ab Archiatro Rudbeckio itidem inter plantas lapponicas recenſita fuit. Quantum nobis conſtat, illa non occurrit in Lapponia, nec in ulla parte Sueciæ aut Scandinaviæ noſtræ, niſi tantummodo in Norvegiæ quadam parte, Wallers dicta. Nec in *Dalekarlia*, ut fama fert, ullibi pronaſcitur.

β. Vix in totâ Lapponiâ creſcit; nemo noſtris ſaltem temporibus eam reperit. *Afzelius.* Ex annotationibus MSS. poſterioribus ipſius Linnæi plantam Rudbeckianam eſſe G. purpuream didici. *J. E. Smith.*

96. *GENTIANA *corollis ſexfidis campanulatis verticillatis ſeſſilibus, calycibus truncatis dentatis.* Linn. mſs.

Gentiana purpurea. Sp. pl. 329. Œd. dan. t. 50.

Curſuta. Pharmacop. Edinb. 22. Nomen e voce Norvegico *Skar-söte* fabricatum. *J. E. Smith.*

α. In Alpibus Lapponiæ Norvegicæ. *Am. acad. v.* 7. 475. Linn. mſs. in Fl. ſuec.

97. RIBES *alpinus dulcis.* * Bauh. hiſt. 2. p. 98.

Ribes alpinum. Sp. pl. 291.

Ribes ſylveſtris, baccis rubris. Frank. ſpec. 36. Till. ab. 58.

Ribes ſylveſtris, fructu rubro. Lind. wikſ. 32.

Ribes ſylveſtris. Rudb. cat. 36. hort. 97.

Groſſularia vulgaris, fructu dulci. Bauh. pin. 455. Tournef. inſt. 640.

Vitis, Ribes alpinus dulcis. Rudb. it. 9.

Mobær Suecis.

Taikinais. Finnonibus.

α. In deſertis Lapponiæ Umenſis, Pithoenſis & Tornoenſis frequens. Nullibi autem terrarum eandem vidimus copioſiorem, quam in Oſtrobothnia, inter Chriſtianiam & Biœrneburgum, juxta viam maritimam. Folia ſubtus lucida.

β. Licet

β. Licet aliqualis videatur differentia, quoad faciem externam, Groſſulariam & Ribes intercedere, diſtingui tamen non debent, cum partes fructificationis id non permittant.

98. RIBES *vulgaris acidus ruber.* Bauh. hiſt. 2. p. 97.
Ribes rubrum. Sp. pl. 290.
Ribes fructu rubro. Rudb. cat. 36. hort. 97. Till. ab. 59. Lind. wikſ. 32.
Ribes hortenſis, baccis rubris. Frank. ſpec. 36.
Ribes domeſtica, fructu rubro minori. Rudb. vall. 30.
Groſſularia multiplici acino; ſive non ſpinoſa hortenſis rubra, ſive Ribes officinarum. Bauh. pin. 455.
Vitis vinifera Ribes ſylveſtris dicta, fructu rubro. Rudb. it. 9.
Vitis, Ribes ſylveſtris, fructu majore. Rudb. it. 9.
Johannes-beeren mit rothen träublein. Schell. botn. 30.
Ræda Winbær. Succis.
Wina-maria. Finnonibus.
α. In Lapponiæ Umenſis deſertis ad Alpium latera; omnium copioſiſſime autem prope Tornoam occurrit.
β. Variat baccis albis dulcibus, ſed ſpecies eſt eadem.

99. RIBES *vulgaris, fructu nigro.* Rudb. vall. 31.
Ribes nigrum. Sp. pl. 291.
Ribes major, fructu nigro. Rudb. cat. 36. hort. 97.
Ribes ſylveſtris, baccis nigris. Frank. ſpec. 36. Till. ab. 58.
Ribes multiplici acino, fructu nigro. Lind. wikſ. 32.
Ribes nigrum vulgo dictum, folio olente. Bauh. hiſt. 2. p. 98.
Groſſularia non ſpinoſa, fructu nigro. Bauh. pin. 455.

Vitis, Ribes sylvestris, fructu nigro olente. Rudb, it. 9.
Johannes-beeren mit schwartzen träublein. Schell. botn. 30.
Distron. Septentrionalibus Sueciæ.
Ludin-maria. Finnonibus.

α. In desertis, præsertim Lapponiæ Tornoensis, frequens, omnium autem vulgatissima in maritimis Tornoensibus.

β. Genus hoc, excepto numero, quoad partes floris omnes, nec non faciem externam, convenit cum Icosandriis, animus itaque fuit omnium primo ad Icosandriam referre omnes flores, ubi stamina calyci inserta sunt, absque ullo respectu numeri habito, nisi postea observassem aliquot genera, quæ secundum istam legem ad Icosandriam trahi debuissent, nec tamen ad naturalem istam classem a natura ipsa referuntur; ideoque ad Icosandriam staminibus pluribus gaudentes flores referendos decrevi.

100. SELINUM *palustre levissime lactescens.*
Selinum palustre. Sp. pl. 350.
Seseli palustre lactescens. Bauh. pin. 162. prod. 85.
Thysselinum palustre. Tournef. inst. 319.
Thysselinum angustifolium. Riv. pent.
Caruifolia. Vaill. par. t. 5. f. 2?
Daucus palustris. Frank. spec. 11.
Carum aquaticum. Rudb. cat. 10. hort. 25. Till, ab. 15. ic. 106.
Cuminum seu carum aquaticum. Frank. spec. 11.
Mosarooth. Scheff. lapp. 360.
Jert. Lappis.

α. Ubique in paludibus Lapponiæ desertæ & sylvestris obvium.

β. Notabilem hujus speciei variationem, *umbella prolifera*, vidi in Lapponia, ubi scilicet radii laterales omnes umbellæ universalis duplo longiores solito erant,

erant, nec umbellulas, sed umbellas compositas ferebant.

γ. Radices, deficiente Tabaco, præsertim cum in templis congregati sunt, Lappones masticare solent, continuo enim usu Tabaci sapori acri ita adsuescunt, ut eo destitui vix per momentum temporis queant nonnulli horum. Mirum videtur, quod Lappones, licet nullis aromatibus, ne quidem sale culinari ad cibos suos condiendos utantur, sed omnia esculenta fere insipida adsumant, acribus omnibus delectentur, uti spiritu juniperi & frumenti; Tabaci fumo, pulvere, pastillis; radicibus Thysselini, Angelicæ, Sonchi, &c. cerevisiam autem oblatam fere respuant.

δ. Cùm radix hæc maxime fervida sit, creditur esse Zingiber a rusticis emunctioris naris, unde Zingiber Finnicum vel Suecicum ab iis dicitur. Eheu quanta differentia!

101. ANGELICA *foliorum impari lobato.* *
Angelica Archangelica. Sp. pl. 360.
Angelica sativa. Bauh. pin. 155. hist. 3. p. 142.
Angelica. Riv. pent. Bauh. hist. 3. p. 143.
Angelica I. Tabern. hist. 1. p. 218.
Angelica major. Dod. pempt. 318.
Imperatoria sativa. Tournef. inst. 317.
Imperatoria Archangelica dicta. Tournef. inst. 317.
Archangelica. Bauh. hist. 3. p. 143. Dod. pempt. 316.
Angelica sativa, seu Archangelica. Rudb. vall. 3.
Angelica maxima, seu Archangelica. Rudb. cat. 3. hort. 7.
Angelica scandiaca, umbella flava, semine rotundiori, Archangelica dicta. Boerh. lugdb. 1. p. 53.
Angelica scandiaca. Frank. spec. 3.
Angelica IV. seu Archangelica norvegica. Tabern. hist. 1. p. 219.

Angelica islandica. Paull. dan. 164. fig.
Angelica petrosa. Scheff. lapp. 359.
Muscus V. seu Fatna. Scheff. lapp. 361.
Urtas', Fatno, Botsk & Rasi. Lappis.

α. Ubique per omnes Alpes Lapponiæ, juxta rivulos, in convallibus præsertim nemorosis humidis & muscosis vulgaris est & facile maxima omnium herbarum alpinarum. Extra Alpes nullibi unquam occurrit, nisi forte ad ripas fluviorum Alpibus proximas.

β. Mira est confusio apud Botanicos plurimos circa hanc plantam, quæ in duas a multis dividitur species, ideoque synonyma ejus plura allegavimus.

Joh. Bauhinus in historia duas proponit quæstiones, dicens:

a. *Dodonæus* Archangelicæ flores candidos,
Lobelius autem luteos nominat;
ii, quibus res visa, dijudicent.
RESP. *florum corolla e viridi lutea est.*

b. *Dodonæus* separat vulgarem ab Angelica norvegica;
Lobelius vero easdem conjungit.
Quare rem diligentius inquirant stirpium periti.
RESP. *Lobelii res salva est.*

Raius in historia itidem duo dubia movet.

c. Angelica Tabernæmontani seu scandiaca Hort. Leyd. siquidem flores lutei sint, a sylvestri diversa est.
RESP. *adfirmative.*

d. Angelica Dod. & Clus. cum sylvestri eadem videtur, siquidem Angelica sylvestris in montosis nascens, longe major evadit.
RESP. *negative.*

Dicam, quomodo se res habeat. Dodonæus erravit in solo colore floris, qui non albus, sed e viridi luteus est; Nec ulla intercedit differentia officinalem & Scandiacam seu Norvegicam, ne quidem in sapore, vel forma seminum. Nec aliæ Angelicæ

Angelicæ ſpecies, præter hanc & ſequentem, in tota Scandinavia reperiuntur.

γ. Lappones variant nomina hujus plantæ ſecundum ætates & partes, ex. gr.

Urtas' Lappis eſt radix anni primi, non caulifera.
Fatno herba anni primi.
Botſk herba anni ſecundi.
Raſi caulis decorticatus.

δ. Radix primi anni & antequam caulefcat planta, exſiccata, laudatur a Lapponibus, ut optimum ſanitatis in ſeros annos tuendæ remedium, atque ſi ulla medicamenta ab illis adſumerentur, ſane hæc foret. Haſce etiam radices maſticant, uti Selini (100. γ.), loco Tabaci.

ε. Morbo laborant ſæpius Lappones ſylvatici vehementiſſimo, *Ullem* vel *Hotme* dicto, qui ſpecies Colicæ eſt, & ad Colicam ſpaſmodicam Scheuchzeri proxime accedit; corripiuntur enim interanea circa regionem umbilicalem ſpaſmis diriſſimis, qui extenduntur ad pubem uſque, paroxyſmis parturientium ſane vehementioribus, ita ut miſer Lappo, vermis inſtar, repat per terram & urinam ſæpe ſanguinolentam reddat, licet calculi nulla omnino ſit ſuſpicio apud hanc gentem a calculo & podagra privilegiis naturæ defenſam, poſt aliquot horarum, quandoque diei, ſpatium, reſolvitur ptyaliſmo ingenti per quadrantem horæ durante. Dicunt ipſi, quod hic morbus in Alpibus eos non adgrediatur, ſed tantummodo dum in ſylvis per æſtatem degunt, hauſta ſcilicet ibidem aqua ſemiputrida, vi radiorum ſolarium calefacta, vel forte vermiculis ſcatente. In hoc morbo variis utuntur medicamentis, & omnibus quidem fortiſſimis, ut vehementem morbum æque vehementi oppugnent alexiterio, quale eſt radix Angelicæ, cineres aut oleum Tabaci, Caſtoreum liquidum, &c.

ζ. Caules Angelicæ hujus ſunt Lapponum deliciæ & fructus æſtivi, quibus benigna natura eos donavit,

dura

dura nimis & immiſericordi exiſtente Pomona, quæ Lapponum terram nunquam intravit. Caulis hic, antequam umbella abſolute explicata eſt (nam circa floreſcentiam lignoſus evadit), abſcinditur prope terram, ſolia avelluntur & cortex ad baſin caulis cultro, dentibus vel unguibus ſolvitur, detrahiturque a baſi ad apicem, cannabis inſtar, remanente interiori caulis parte nuda nivea concava & pulpoſa, quæ inſtar Rapæ vel Pomi cruda editur & quidem ſummo cum adpetitu, deficiente gratiori in hiſce oris vegetabili. Cum pueri vel puellæ menſe Julio cum rangiferis ſuis per Alpes errantes in paſcuis illoſque circa veſpertinum vel matutinum tempus ad caſam, ut mulgantur, reduces comitantur, detruncatis caulibus totum ſinum impletum reportant, quos in ſamilia ſua diſtribuunt, & ſumma aviditate devorant. Gratus hic Lapponibus cibus nec nobis diſplicebat, leviter enim amarus & ſimul aromaticus eſt, immo & guſtui & ventriculo arridebat, adſumptis ſcilicet tamdiu diluentibus ac emollientibus, cibo non ſalito, carnibus & piſcibus ſale nullo maceratis, lacte pingui rangiferino, hauſtaque pura puta aqua; tum, inquam, optime conveniebat, ſed neſcio num in hortis noſtris magis amara ſit & acris, vel an guſtus nobis in Lapponia fuerit alius, quam extra eam; extra Lapponiam enim nunquam arriſit, ſorte ſercula perſica perſicum requirunt adpetitum.

η. *Umbellæ* vix explicatæ a caule (ζ) abſciſſæ, omnino non rejiciuntur, ſed conſciſſæ lacti acetoſato immiſcentur & coquuntur. Vide Rumicem § 130.

102. ANGELICA *ſylveſtris.* Sp. pl. 361. Dod. pempt. 318.

Angelica ſylveſtris major. Bauh. pin. 155. Moriſ. hiſt. 3. p. 280. ſ. 9. t. 3. f. 2.

Angelica ſylveſtris magna vulgatior. Bauh. hiſt. 3. p. 144.

Angelica

Angelica sylvestris tenuifolia. Rudb. cat. 3. hort. 7.
Angelica sylvestris montana angustifolia. Rudb. lap. 96.
Angelica montana. Lind. wiks. 3.
Angelica aquatica. Lind. wiks. 3.
Angelica aquatica minor. Till. ab. 4.
Angelica palustris. Riv. pent.
Imperatoria pratensis major. Tournef. inst. 317.
Achianbotsk. Lappis.
Biœrnstut. Westrobothniensibus.

α. In desertis Lapponiæ subhumidis & leviter paludosis antecedenti duplo altior, sed dimidio angustior enascitur.

β. *Raius* in historia huic involucrum universale denegat, quod tamen nobis ubique obvium fuit.

γ. Notabile est in *Angelicæ* genere, quod *umbellulæ* per florescentiam adsumant globosam omnino figuram. Corolla in hac specie est nivei coloris.

δ. Radice prioris speciei deficiente, hujus radice utuntur, antecedentis instar; caule vero non item.

103. CICUTA *aquatica.* Bauh. hist. 3. p. 175. Wepf. monograph.
Cicuta virosa. Sp. pl. 366.
Cicuta maxima quorundam. Besl. eyst. vern. 7. t. 2. f. 2.
Cicuta palustris vel aquatica. Frank. spec. 10.
Cicutaria. Riv. pent.
Sium erucæ folio. Bauh. pin. 154.
Sium majus angustifolium IV. Tabern. hist. 1. p. 192.
Sium alterum, olusatri facie. Lob. ic. 208.
Sium alterum. Dod. pempt. 589.
Sium aquaticum, foliis multifidis longis serratis. Moris hist. 3. p. 283.
Sylenæbbar. Norvegis. Paull. quadrip. 531. i. e. acumina subularum.
Spræengœrt. Suecis.

α. Intra

α. Intra fines Lapponiæ raro admodum, bis vel ter fcilicet, vifa nobis fuit hæc planta; in Finmarkia autem fæpius, in Weftrobothnia prope Luloam fatis frequens, Tornoæ autem in Weftrobothnia & Limmingæ in Oftrobothnia vulgatiffima fuit; obfervationem, circa hanc, in itinere a me inftitutam adponam.

β. Cum *Tornoam* (quæ ultima eft noftra urbs verfus feptentrionem, ad apicem finus Bothnici) perventum effet, conquerebantur incolæ de gravi morbo, qui per boves graffabatur, quod nempe pecora per longam hic hyemem alita, tempore vernali in pafcua emiffa, centena non raro perirent, petentes ut in rem inquirerem confiliumque de morbo hoc arcendo darem; omnia hinc probe circumfpiciendo, fequentes adnotavi circumftantias, nimirum:

1. Boves, quamprimum ab alimento hyberno in pafcua ducebantur, magno numero emori.
2. Stragem illam magis magifque adpropinquante æftate minui, qua ficut & autumno & hieme boves paucos valde perire.
3. Malum hoc nullo obfervato ordine, nec ab altero ad alterum civem proferpere.
4. Tempore vernali duci fimul vaccas in pratum quoddam prope urbem fitum, inter Auftrum & Zephyrum trans finum fluvii, & in hoc imprimis prato boves interire dicebantur.
5. Symptomata plurimum differre, in eo tamen convenire, quod boves herbis fine difcrimine adfumptis, abdomine inflati, convulfionibus correpti & horribili edito boatu paucis diebus exfpirarint.
6. Nullum recentia cadavera excoriare aufum fuiffe, cum experientia conftaret, non manus folum, fed ipfas etiam facies, adfcendentibus calidis vaporibus, inflammatas, gangrænatas fuiffe, infequente tandem morte.
7. Quærebant, num *Peftis* effet bovina; num in prato

prato isto *Araneorum* venenatorum quædam species; vel an *Aqua* illa lutea venenata esset.

8. Quod non fuerit *Pestis* (7), patuit ex eo, quoniam nullum contagium (3), & tempus vernale huic fato proprium (4) erat. *Araneos* (7) vidi nullos, nisi vulgares per totam Sueciam: Nec alia erat ista *Aqua* in fundo flava, quam vulgaris martialis, quæ sedimentum suum ochraceum deponebat innoxie.

9. Vix ex scapha, qua transvehebar, descendenti mihi obviam venit, quam tantæ cædis causam credidi, *Cicuta hæc*, sequentibus convictus argumentis:

10. Quod in eo prato, ubi boves ægrotare incipiunt, magna copia crescat, imprimis juxta littus, in aliis locis rarius. Vide N. 4.

11. Bruta tanta solertia vitare, quæ sibi noxia sunt, atque instinctu naturali venenatas a salutaribus distinguere plantis, nos facile docet vel levissima adhibita attentio (§ 201. ε). Ita hæc planta tempore æstivo & autumnali non editur, quæ causa est, cur iis temporibus pauci boves, iique vel ex imprudentia, vel ex voracitate adsumpta planta intereant. Conf. 2.

12. Sed quando vernali tempore ducuntur in pascua, partim aviditate recentium herbarum capti, partim inedia & macie per longam hyemem tolerata compulsi, arripiunt quidquid obvium est, ad compescendum latrantem stomachum; accedit, quod eo tempore herbæ exiles & satietati vix sufficientes, forte & tum magis succulentæ, aquis immersæ & parum olentes sint, ut noxias ab innoxiis discernere nequeant. Observavi etiam semper, folia radicalia præmorsa esse, reliqua non; id quod confirmabat priora.

13. Vidi itidem plantam hanc, in proximo prato, cum reliquo fœno secari pro pabulo hyberno; unde

unde non mirum, ſi tum quoque nonnulla, licet cauta, perimat pecora.

14. Relicta Tornoa, in conſpectum non prodiit planta, niſi poſtquam ad ampliſſimum pratum *Limmingenſe* pervenimus, ubi juxta viam ubique ſeſe obtulit; cumque pagum intraſſem, eaſdem, quas Tornoæ querelas audivi de interitu annuo boum, cum iiſdem circumſtantiis (1-6).

15. Operæ itaque pretium eſſet, ut plantæ hæ vel ſollicite eradicarentur, quod facile fieri poteſt, cum ubique in paludoſis creſcant; nec proinde inventu difficiles ſunt, cum ubique ad littus reperiantur; vel ſi hoc non commode fieri poſſet, ut boves, ad minimum tempore vernali, ab iſtis locis, ubi pronaſcitur, detineantur, tempore enim ſeriori ſolo odore hanc eoſdem diſtinguere a reliquis perſuaſi ſumus.

γ. Legi merentur, quæ *Sim. Paulli in quadripartito Botanico* de planta ignota tradit, quam *Sylenæbbar* vocant, quæ eadem cum noſtra eſt; uti præſens in Norvegia certior factus ſum.

104. CHÆROPHYLLUM *ſylveſtre perenne, cicutæ folio.* Tournef. inſt. 314.
Chærophyllum ſylveſtre. Sp. pl. 369.
Cerefolium ſylveſtre. Riv. pent.
Myrrhis ſylveſtris, ſeminibus lævibus. Bauh. pin. 160.
Myrrhis cicutariæ folio, caule fere ſolido. Lind. wikſ. 25.
Myrrhis ſylveſtris. Frank. ſpec. 21.
Myrrhis vulgaris. Till. ab. 47.
α. In ſylvis Lapponiæ frequens, præſertim ad caſas, in Alpibus rara eſt.

105. CARUM. Riv. pent.
Carum Carvi. Sp. pl. 378.

Carum

Carum flore albo (item *purpureo*). Rudb. cat. 10. hort. 25. Lind. wikf. 8.
Carvi. Tournef. inft. 306.
Cuminum pratenfe, Carvi officinarum. Bauh. pin. 158.
α. In pratis Novaccolarum frequens eft planta.
β. In Scania feritur, & fatis care venduntur ejus femina, hic fponte crefcit & negligitur.

106. PIMPINELLA *minor.* Riv. pent. Frank. fpec. 23. Rudb. cat. 33. hort. 89.
Pimpinella faxifraga. Sp. pl. 378.
Pimpinella faxifraga major altera. Bauh. pin. 159.
Pimpinella hircina major. Lind. wikf. 28.
Pimpinella hircina minor, folio magis crifpo. Lind. wikf. 28.
α. In defertis Lapponiæ rariffima eft.
β. Foliis & magnitudine mire ludit pro diverfitate loci, unde tot fpecies fpuriæ apud quofdam proftant. Folia radicalia pinnata funt, pinnis ovatis ferratis; caulina vero multifida, pinnis linearibus; fæpe autem folia radicalia eandem cum caulinis adquirunt figuram, & tum pro diftincta fpecie venditur, licet eadem fit planta.
γ. *Anifum* propius ad Pimpinellam, quam Apium accedere, dictitat facies.

107. APIUM *maritimum.* *
Liguflicum fcoticum. Sp. pl. 359.
Liguflicum humilius fcoticum a maritimis, feu Apium maritimum dulce fcoticum. Pluk. phyt. 96. f. 2.
Liguflicum fcoticum, apii folio. Tournef. inft. 324.
Sefeli maritimum fcoticum humile, foliis imperatoriæ. Herm. parad. 227. fig.
Sefeli fcoticum. Riv. pent.
α. Ad littora maris feptentrionalis, inque finibus Lapponiæ Norvegicæ frequens eft hæc planta.
β. Nefcio, qua feftinatione pro hac pofuerim *Apium*

um officinarum, in *Florula* mea *Lapponica* p. 52. quod emendatum volo.

γ. Folia ſubtus lucida ſunt.

TETRAGYNIA.

108. PARNASSIA.*

Parnaſſia paluſtris. Sp. pl. 391.

Parnaſſia paluſtris & vulgaris. Tournef. inſt. 246.

Pyrola rotundifolia noſtras, flore unico ampliore. Moriſ. hiſt. 3. p. 505. ſ. 12. t. 10. f. 3.

Epatica fontana. Frank. ſpec. 13.

Gramen parnaſſi, albo ſimplici flore. Bauh. pin. 309. Sm. Rel. Rudb. 34.

Gramen parnaſſi. Rudb. cat. 19. hort. 49. Till. ab. 32. ic. 7.

α. Vulgatiſſimus fere omnium tam in deſertis, quam in Alpibus, eſt hic flos ſpecioſiſſimus, amœniſſimus, & omnes elegantia ſua facile ſuperans.

β. *Nectaria* iſta quinque pro humore melleo excernendo excipiendoque creata, in hoc flore tam admirabilis ſunt ſtructuræ & formæ, ut nulli alii adſimilanda. Vide C. G. 250. Hæcce nectaria diſtincta ſunt a petalis, petala etiam a calyce (in hocce genere), ut de nomine partium nulla omnino ſit controverſia. Magnus Vaillantius nectaria pro petalis ſumpſit, & pro calyce habuit petala, ubi humorem melleum non excernunt. Sic nectaria Aconiti, Nigellæ, Hellebori, petala dicit, petala autem eorundem florum nectaria, cum calyx ibi nullus alius ſit, quam theoriam flos hic reſpuit. Hinc nectarium ut partem floris & corollæ a petalo diſtinctam conſtituimus, cum ſeorſim exſiſtere poſſint, licet ſæpius unum componant corpus, ut in monopetalis pleriſque

plerifque, ubi Tubus nectarium, Limbus vero petalum eft.

γ. Ad *Tetragyniam* refero hanc plantam, cum ftigmata quatuor diftincta fint, licet ftylus piftilli nullus. Ubicunque enim ftylus deficit, defumitur numerus feminarum a ftigmatibus, alias a folo ftylo.

P E N T A G Y N I A.

109. DROSERA *fcapis radicatis, foliis orbiculatis.* *

Drofera rotundifolia. Sp. pl. 402.

Rorella vulgaris & officinarum. Rupp. jen. 1. p. 102.

Ros folis folio rotundo. Bauh. pin. 357.

α. In paludibus Sphagno & Mnio obfitis frequens eft.

110. DROSERA *fcapis radicatis, foliis ovali-oblongis.* *

Drofera longifolia. Sp. pl. 403.

Rorella folio oblongo. Kram. tent. 68.

Ros folis folio oblongo. Bauh. pin. 357.

Ros folis. Frank. fpec. 26. Till. ic. 10.

α. Cum antecedenti ubique mixta occurrit.

β. Drofera (δροσερὸς roridus) eft plantæ vocabulum antiquiffimum, quod generi, Ros folis dicto, impono (F. B. 242), cum plantæ hujus folia femper fint rorida F. B. 240), & nomen Ros folis retineri nequeat (F. B. 221).

γ. Folia utriufque plantæ fetis quafi inftructa funt, quæ tubulatæ ex apice liquidum quoddam protrudunt, quod tenax & vifcidum eft, fere ut in Pin-

guicula * (§ 11. δ. ε. ζ. η. ϑ. ι.), cum qua etiam viribus fere convenit.

111. SIBBALDIA *foliolis tridentatis.*
Sibbaldia procumbens. Sp. pl. 406.
Fragariæ ſylveſtri affinis planta, flore luteo. Sibb. Scot. 2. p. 25. t. 6. f. 1.
Fragaria orientalis flore luteo minimo. Tournef. Cor. 21. ex auctoritate Herbarii ejus. *J. E. Smith.*
Pentaphylloides pumila, foliis ternis ad extremitates trifidis. Raj. ſyn. 256.
Pentaphylloides fruticoſum minimum procumbens, flore luteo foliis ſericeis fragariæ ternis. Pluk. phyt. 212. f. 3. (vix. *J. E. Smith.*)

α. Eſt planta mere alpina, in Alpibus noſtris admodum frequens. (Etiam in Cappadociâ legit Tournefortius. *J. E. S.*)

β. Characterem novi hujus generis dedi in C. G. 256, idque dixi a *Sibbaldo*, qui eſt ex primis, quorum induſtriæ hujus ſpeciei adumbrationem debemus. Ab aliis ad *Potentillas* § 210. (Pentaphylloides Tournef.) fuit amandata, a qua in quantum differat, patebit conferenti C. G. 415. cum 256. Et re vera aut ſub eodem genere tradi Fragaria, Potentilla, Tormentilla, Comarum, Geum, Dryas & hæc, aut totidem diſtincta conſtitui debent.

γ. Ad plantas in Icoſandria polygynia traditas proxime omnino accedit, excepto ſolo numero ſtaminum & piſtillorum. *Stylus* etiam in hac e medio *latere germinis*, non vero ex apice, prodit, quod ſingulare eſt, & adfinibus commune. ex. gr. Roſæ, Rubo, Fragariæ, Comaro, Tormentillæ, Potentillæ, Geo, Dryadi, Alchemillæ, & Aphanæ; debent itaque hæc ordine naturali nunquam diſtingui.

δ. Cum hæc planta ſit alpina, deſcriptionem ejus adnectam.

Radix lignoſa, perennis, vix a caulibus diſtincta. *Caules* in ramos diviſi procumbunt & quaſi infra

ſuperficiem

ſuperficiem terræ ſemet deprimunt, nigris larvis undique veſtiti (ne a frigore pereant), quæ foliorum baſes ſunt.

Folia ad apices ramulorum plura & imbricatim e ramis exeunt, quorum ſingula gaudent *baſi* oblonga, membranacea, fuſca, amplexicauli, ſemibifida, acuta. Ex hac diviſura prodit *petiolus* digiti tranſverſi longitudinis, erectus, tenuis, leviſſime villoſus, cujus apici *foliola* terna adfiguntur & folium compoſitum conſtituunt. *Foliola* hæcce verticaliter ovata ſunt, ſed apice parum truncata, ſuperne & inferne leviſſime villoſa, longitudine unguis, apice in tres denticulos obtuſo-acutos abeunte.

Florum pedunculus inter baſes foliorum prodit hinc inde, filiformis, ſimplex, longitudine foliorum, ad apicem leviſſime ramoſus, quatuor ſæpius flores continens, cum foliolis nonnullis parvis ſubjectis. Calyx corolla major eſt, petala lutea. Reliqua vide in charactere generico.

ε. Synonymon Plukenetii cum Potentillâ ſubacauli magis convenit. *J. E. Smith.*

CLASSIS VI.

HEXANDRIA.

MONOGYNIA.

111. * ALLIUM *ſcapo nudo folia adæquante, foliis teretibus ſubulato-filiformibus.*
Allium Schœnopraſum. Sp. pl. 432.
Vahl. Fl. Dan. t. 971.
α. Paſſim in Finmarkia. *Vahl.*

112. CONVALLARIA *ſcapo nudo.* *
Convallaria majalis. Sp. pl. 451.
Liliago. Vaill. par. 116.
Lilium convallium album. Bauh. pin. 304.
Lilium convallium, flore albo. Rudb. cat. 25. hort. 65.
Lilium convallium majus. Lind. wikſ. 21.
Lilium convallium. Rudb. vall. 21. Frank. ſpec. 18. Till. ab. 39. ic. 144.
Svalaninòchem. Lappis.
α. In ſylvis ad latera auſtralia montium rarius reperitur.
β. Qui genus Convallariæ in claſſe naturali non conjungit cum *Liliaceis* reliquis, errat: Flos enim ſine calyce, corolla ſexfida, ſtamina ſex, ſtigma trigonum,

num, pericarpium triloculare, ut de convenientia foliorum florumque in facie externa vel radice carnosa nihil dicam. Ratio, cur ad Liliaceos relata non sit, fuit pericarpium molle seu Bacca, quæ tantum gradu a capsula differt, ut infinita dictitant exempla. Ex. gr. Amygdalus & Persica, Nicotiana & Atropa, Cucubalus & Behen (§ 180. *n.*) &c. Veteres ex sola facie intellexerunt summam ejus cum Liliis adfinitatem, unde Convallium vocaverunt Lilium, licet eam monocotyledonem esse nesciverint.

γ. Ad idem genus referimus *Lilium convallium* T. *Polygonatum* T. & *Unifolium* D. hinc novum introducimus nomen, cum Lilium convallium (F. B. 221. 213. 287.) indignum sit, Polygonatum facile confundatur cum Polygono (F. B. 228.) & Unifolium erroneum exsistat (F. B. 232), neve uno horum posito, intelligeretur sub eodem nomine istud unicum, quod antea significavit. Ne autem innovationem nimiam introducamus (F. B. 242.) levi mutatione *Convallariam* dicimus aliorum convallium Lilium.

δ. Distinctissima est hæc species a congeneribus *scapo nudo*. Scapus nobis est Trunci species (F. B. 82) quæ e radice exsurgens solas fructificationes, sine ramis vel foliis (nisi ad radicem positis), sustinet.

113. CONVALLARIA *foliis cordatis, floribus tetrandris.* *

Convallaria bifolia. Sp. pl. 452.
Lilium convallium minus. Bauh. pin. 304.
Lilium convallium minus bifolium. Lind. wiks. 21.
Lilium convallium minus unifolium. Lind. wiks. 21.
Unifolium. Rupp. jen. 1. p. 82. Dill. app. 138
Ophris unifolia. Frank. spec. 22.
Ophris. Till. ic. 11.
Smilax unifolia humillima. Tournef. inst. 654.

α. In desertis Lapponiæ sæpius occurrit, nullibi vero terrarum copiosiorem hujus esse proventum, quam in Angermannia, facile crederemus.

β. Veteres a sola facie hanc plantam cum antecedente ad idem retulere genus, systematici autem facile omnes has distinxerunt, cum in fructificationis partibus inexplicabilem difficultatem obsérvarunt earum conjunctioni repugnantem; hæc enim gaudet *petalo* quadrifido reflexo-plano, antecedens vero sexfido campanulato; hæc *staminibus* quatuor; illa sex: hæc *bacca* biloculari; illa autem triloculari instruitur: hinc diversæ partes fructificationis diversa genera constituunt (F. B. 165), sed observatis observandis! Nodum sequenti modo solvo: Genus omne esse naturale (F. B. 162), & in ipso primordio tale creatum (S. N. obs. veg. 14), est axioma per totam historiam naturalem, quod vix argumentum admittit contrarium. Hinc non fingendum, sed inquirendum, quid natura ferat, vel ferre recuset: *Numerum* in partibus fructificationis ejusdem generis sæpius aberrare, docent Gentiana, Linum, Sedum, Vaccinium, Rhamnus, Rumex; immo in eadem planta idem probant Monotropa, Ruta, Adoxa &c. sed etiam proportione sæpius optime explicari (F. B. 178.) constat, adeoque numerus proportione explicabilis, licet in speciebus differat, ceteris paribus genera non distinguit. Hisce positis, dico reliquas species Convallariæ gaudere petalo sexfido, staminibus sex, pistillo uno, stigmate trigono, fructu triloculari; demas e dato flore unam tertiam partem stigmatis, eadem proportione in reliquis partibus servata, & habebis petalum quadrifidum, stamina quatuor, pistillum unum, stigma digonum, fructum bilocularem, quæ hujus plantæ attributa sunt. Ergo *secundum numerum distingui non debent.* Sed restat alia difficultas circa *figuram corollæ*, quæ in antecedenti specie

cie eſt campanulata, in ſequenti campanulato-tubulata, in hac vero reflexo-plana, ergo ſub eodem genere conſiſtere nequeunt. RESP. Scientiæ Naturalis principia ſuperædificari debent immotis obſervationibus: Dico itaque rarius obſervari genus, in quo non aliqua pars fructificationis aberret (F. B. 170), in hocce autem genere aberrare corollam demonſtrare debeo. Corollam æque ac alias partes fructificationis ſub eodem genere quoad figuram aberrare nullus negabit, qui diverſas ſpecies Vaccinii, Pyrolæ, Andromedæ, Nicotianæ, Gentianæ (§ 94. ζ.), Hyacinthi, Veronicæ, Ireos, Scabioſæ, Primulæ, Menyanthis, Nymphææ, Narciſſi, &c. vidit vel examinavit unquam. Examina deinde flores ſpecierum Polygonati T. (quæ hujus generis eſt) & videbis in eodem genere alias corolla tenuiſſima, alias longa patentiori, alias vero brevi vix a corolla Lilii convallium diſtincta inſtructas. Hinc corollam longiorem vel breviorem, patentiorem vel anguſtiorem in hocce genere non præbere notam characteriſticam, per conſequens Unifolium hocce ejuſdem generis cum antecedenti eſſe, demonſtratum puto. Dicet aliquis, corollam in Convallaria (§ 112.) eſſe monopetalam, in hac vero tetrapetalam, (poſito, non conceſſo) ergo genere conjungi nequeunt. *Reſpondeo:* Petalorum numerus a baſi corollæ quidem deſumendus eſt (F. B. 91), ſed juſto tempore; nullo enim modo tot numeramus petala, in quot ſponte ſua reſolvitur flos deciduus; ſit ex. gr. *Oxycoccos* Tournef. cujus flos re ipſa eſt monopetalus, licet in quatuor reſolvatur petala deciduus (§ 145. γ.). Eodem fere modo ſeſe habet hic flos *Unifolii* (§ 113.) utpote qui, cum primum erumpit, eſt monopetalus, globoſus, mox vero reflectuntur laciniæ dehiſcentes fere ad infimam baſin; ſtamina deinde ipſi corollæ inſerta ſunt, non autem receptaculo (F. B. 108), quæ nota monopetalis communis & propria exceptionem

tionem (§ 89. δ.) valde raro admittens. Ergo nihil vetat, quo minus ad *Convallariæ genus pertineat planta præsens.*

γ. Si quis tamen plantam hanc a convallariis separare strenue desideraret, necesse est, ut conjungatur cum *Polygonato racemoso Cornuti*, nec ulla ratione cum *Smilacibus* confundatur.

δ. *Unifolium* nomen huic plantæ dudum a veteribus impositum, pessimum omnino est (F. B. 232), cum planta perfecta semper in caule duo gerat folia, sparsis reliquis radicalibus absque ullo ordine.

ε. *Baccæ* hujus speciei, antequam maturescunt, virides punctis fuscis adspersæ sunt; quales maculas in Lilio convallium T. & Polygonato T. aliquoties observavi.

114. CONVALLARIA *foliis verticillatis.* *
Convallaria verticillata. Sp. pl. 451.
Polygonatum angustifolium non ramosum. Bauh. pin. 303. Moris. hist. 3. p. 537. s. 13. t. 4. f. 14.
Polygonatum angustifolium I. Tabern. hist. 2. p. 434. Frank. spec. 24. Rudb. cat. 34.

α. Semel modo obvia fuit, & quidem in latere Alpium Lapponicarum septentrionali, cum Finmarkiam intrarem, alias nunquam per Sueciam, excepta Scania, ubi frequenter, a nobis visa.

114.* JUNCUS *folio subulato, gluma biflora terminali.* Amoen. ac. v. 2. 266. t. 3. f. 3. Fl. suec. ed. 2. 114.
Juncus biglumis. Sp. pl. 467.

α. In locis paludosis Alpium Lapponicarum legit Laur. Montin. anno 1749.

115. JUNCUS *gluma triflora culmum terminante.* * Tab. X. fig. 5.
Juncus triglumis. Sp. pl. 467.

Juncus

Juncus exiguus montanus mucrone carens. Bauh. pin. 12. prod. 22. Rudb. elyſ. 1. p. 103. f. 8. Sm. Rel. Rudb. 24.

α. In Alpibus noſtris frequentiſſima eſt planta, extra quas nunquam eandem vidimus.

β. Synonymon apud *Bauhinum* allegatum nunquam ullum nobis movit dubium, niſi poſtquam ad tabulas noſtras Clariſſimo Dillenio tranſmiſſas ſequentia regeſſit ipſe : Tab. X. f. 5. *non videtur juncus exiguus mont. mucrone carens C. B. ille enim mucronem habet, ut deſcriptio C. B. docet, licet nomen C. B. contrarium innuat. Specimina noſtra ſicca, quæ plura habemus, omnia mucrones, ſeu calamum ſupra capitulum productum habent, licet brevem.* Hæc ILLE. Qualis autem ſit juncus iſte, qui a Botanicis pro iſta ſpecie habetur neſcio, forte ſequens § 116 eſt.

γ. Ratio, cur nomen *C. Bauhini* tutus allego, eſt hæc: *Burſerus* in Herbario ſicco, Upſaliæ conſervato, hanc eandem omnino plantam habet ſub iſto nomine, quam ſe communicaſſe cum C. Bauhino ſcribit, eamque legiſſe e Tauro Raſtadienſi, monte Auſtriæ. *Bauhinus* in prodromo fatetur ſe eandem, quam adumbrat, habuiſſe a *Burſero* ex eodem loco lectam ; adeoque nullus certior teſtis eſſe poteſt, quam Burſerus, qui Botanicus fuit accuratiſſimus, & hanc plantam invenit. Mucronem negat etiam ipſum nomen & in deſcriptione forte alteram glumæ valvulam pro mucrone habuit.

δ. Ne quis poſt hæc de mea planta dubitet, datæ figuræ Tab. X. fig. 5. deſcriptionem addam.

Radix graminea ad baſin ſquamis aliquot fuſcis erectis (quæ foliorum deperditorum reliquiæ ſunt) gaudet, inferne fibris capillaribus inſtructa.

Culmus digiti longitudine (longior vel brevior), erectus, craſſitie ſetæ porcinæ.

Folia (radicalium vel primo vere, vel anno præterito deperditorum ramenta infimam culmi partem circum-

circumſtabant) culmi duo, quorum baſes, vaginæ inſtar includebant baſin culmi, inferioris folii vagina extendebatur a radice ad altitudinem digiti minimi tranſverſi; ſuperioris autem vagina duplo longior erat, utriuſque tamen terminabatur in ipſa radice. Folii vero enſis erectus erat, ſubulato-planus, apice ſuo extenſus ad altitudinem dimidiam culmi.

Gluma Florum culmum truncatum terminat, eique erecta inſidet. Hæc conſtat tribus valvulis, duabus ſcilicet exterioribus oppoſitis fuſcis, quarum altera major eſt, longior & acuminatior, ut fere ariſtatam primo intuitu diceres; tertia valvula concolor, ſed minor, ad latus intra priores collocatur; poſſem adhuc addere tres alias conſimiles, ſed minutiſſimas valvulas interius flores diſtinguentes. Intra Glumam prædictam tres floſculi collocantur, quorum ſinguli ſex *petalis* ovato-acuminatis perſiſtentibus & albis gaudent, exceptis apicibus petalorum trium exteriorum fuſcis; abſoluta vero floreſcentia omnia fuſca evadunt. *Stamina* ſex alba quoad Filamenta & Antheras. *Germen* ovatum, cum ſtigmatibus tribus, itidem albis.

Cum fructu matureſcente capſulæ accreſcunt, deprimitur ſecunda valvula glumæ deſcriptæ fere uſque ad culmum, prima vero erecta perſiſtit; ſic gluma ringens repræſentatur.

115. * JUNCUS *foliis ſetaceis depreſſiuſculis, pedunculis geminis terminalibus, glumis ſolitariis ſubbifloris.*

Juncus ſtygius. Sp. pl. 467. Sm. plant. ic. t. 55.

♃. In paludibus cæſpitoſis ſylvaticis.

116. JUNCUS *culmo nudo acuminato ad baſin ſquamato, floribus ſeſſilibus.* *

Juncus

Juncus Jacquini. Mant. 63.
Juncus effusus α. Sp. pl. 464.
Juncus alpinus capitulo glomerato e nigro splendente, Scheuch. alp. 40. tab. 5. f. 2.
Scirpus foliatus palustris, cum mucrone rigido. Rudb. elys. 1. p. 103. Sm. Rel. Rudb. 24.

α. In Alpibus nostris frequentissimus est, præsertim ad nuda & sabulosa montium declivia, aqua frigida ab incumbente perpetua nive exstillante, pedetentim irrigata.

β. Descriptio hujus plantæ hæc est.

Radix horizontalis, sub terra repens, articulata, culmos exserens, perennis.

Culmus spithamæus, crassitie pennæ passeris, teres, lævis, apice subfusco, rigidiusculo & leviter pungente.

Folia vera nulla sunt, sed squamæ tres, rarius plures, culmum ad basin involventes, pallido-fuscæ, quarum extima infimaque brevissima, secunda extima duplo longior & tertia secunda adhuc duplo longior est, vix tamen unam quintam partem caulis obvestit.

Flores pollicis transversi spatio, ab apice culmi, ex rima erumpunt tres vel quatuor, sessiles, fusci, glumarum squamis nonnullis obvallati.

117. JUNCUS *culmo nudo acuminato ad basin squamato, floribus pedunculatis.* *

Juncus effusus. Syst. nat. & omnium auctorum.
J. effusus β. Sp. pl. 464.
J. effusus α. Fl. suec. 111.
Juncus lævis panicula sparsa major. Bauh. pin. 12. Rudb. elys. 1. p. 102. f. 2. Sm. Rel. Rudb. 24.

α. Ad ripas fluviorum ac lacuum Lapponiæ sylvestris rarius obvius est.

β. Utrum hæc & antecedens variationum, an vero specierum teneant locum, difficile a me determinari potest,

poteſt, quippe qui ejus culturam non inſtitui, differunt autem inter ſe paucis; ſcilicet:

Culmus huic eſt ſpithamarum trium longitudinis; illi modo unius.

Flores hujus pedunculis tribus, pollicem tranſverſum longis inſident, ſingulis pedunculis tres quatuorve floſculos pedunculatos ſuſtinentibus; illius, pedunculis deſtituti, tres quatuorve ſunt.

Situs florum in hoc ſpatio ſpithamæo ab apice culmi; in illo ſpatio pollicis tranſverſi ab apice culmi diſtat.

Locus hujus natalis eſt in ſylvis, nunquam in Alpibus a me obſervatus;
illius contra in ſolis Alpibus.

Utrum hæ differentiæ tantum a ſolo dependeant, vel an planta alpina in ſylvis hanc adquirat altitudinem pedunculoſque elonget, determinari difficile poteſt.

118. JUNCUS *parvus calamo ſupra paniculam longius producto.* Raj. ſyn. 432. Rudb. elyſ. 1. p. 104. f. 15.

Juncus filiformis. Sp. pl. 465. Sm. ſpicil. faſc. 1. t. 3.

Juncus lævis calamo, ſupra paniculam non ſparſam, longiori. Rudb. elyſ. 1. p. 104. f. 3.

Juncus lævis panicula ſparſa minor. Bauh. pin. 12. Scheuch. hiſt. 347. t. 7. f. 11.

α. Tam in Alpibus, quam in ſylvis frequens eſt.

β. Culmi fili vulgaris vel ſetæ porcinæ craſſitiem vix ſuperant.

γ. Antequam floret, flores ſeſſiles ſunt; fructu autem maturo, elongata eſt panicula & pedunculi excreverunt.

119. JUNCUS *culmo foliis & floribus tribus terminato.* *

Juncus trifidus. Sp. pl. 465.

Juncus

Juncus trifidus. Bauh. hiſt. 2. p. 521. Rudb. elyſ. 1. p. 205. f. 5. exterior.
Juncus trifidus minimus, corniculis rigidis rectis. Rudb. elyſ. 1. p. 205. f. 4. optima.
Juncus acumine reflexo, minor, vel trifidus. Bauh. pin. 12. Rudb. elyſ. 1. p. 205. f. 3. media.
Juncoides, acumine reflexo, trifidus. Bauh. prod. 22. fig. bon. Rudb. elyſ. 1. p. 203. f. 3. interior. Scheuch. alp. 41.
Juncoides alpinum trifidum. Scheuch. hiſt. 325. deſcr. opt.

α. Ubique per omnes Alpes noſtras vulgatiſſimus eſt, & tophoſos cæſpites conſtituit.

β. *Moriſonus* male integram paniculam pro tribus tantummodo floſculis ſeſſilibus pingit. Planta recens tenellaque virgo, erecta eſt; abſolutis nuptiis, gravidoque onuſta utero incurvatur juncea. Hinc quatuor ejuſdem plantæ figuræ in Campis elyſiis occurrunt.

γ. Planta ſquamis nonnullis fuſcis, loco foliorum, ad radicem veſtitur; Culmus ſpithamæus nudus eſt, ex apice tres flores ſeſſiles promens, quos tria folia (quorum duo, ut gluma, flores comprimunt, tertium vero paulo inferius collocatur:) circumſtant plana, ſed marginibus convoluta.

120. JUNCUS *foliis articuloſis, floribus umbellatis.* Tournef. inſt. 247.
Juncus articulatus. Sp. pl. 465.
Gramen junceum, folio articulato, aquaticum. Bauh. pin. 5. prod. 12. fig.
Gramen junceum articulatum paluſtre humilius. Moriſ. hiſt. 3. p. 227. f. 8. t. 9. f. 2.

α. In ſylvis Lapponiæ paſſim occurrit.

121. JUNCUS *montanus paluſtris.* Raj. ſyn. 432. hiſt. 1303.
Juncus ſquarroſus. Sp. pl. 465.

Gramen

Gramen junceum, ſemine acuminato. Gottſch. pruſſ. 115. fig. 29.
Gramen junceum paluſtre humilius, foliis & ſpica junci. Moriſ. hiſt. 3. p. 228. f. 8. t. 9. f. 13.
α. In paludibus cæſpitoſis per Lapponiam totam vulgaris eſt planta.

122. JUNCUS *paluſtris humilior, panicula laxiſſima.* Rupp. jen. 1. p. 131.
Juncus bufonius. Sp. pl. 466.
Juncus paluſtris humilior erectus (& repens). Tournef. inſt. 246.
Gramen nemoroſum, calyculis paleaceis. Bauh. pin. 7.
Gramen bufonium. Rudb. hort. 49.
α. In ſylvarum Lapponiæ locis ſubhumidis creſcit.

123. JUNCUS *nemoroſus latifolius major.* Tournef. inſt. 246.
Juncus piloſus α. Sp. pl. 468.
Gramen hirſutum latifolium majus. Bauh. pin. 7. Sm. Rel. Rudb. 5.
Gramen nemoroſum hirſutum vulgare. Raj. hiſt. 1292. deſcriptio bona.
α. In deſertis ſylveſtribus frequentiſſima eſt.
β. Odor plantæ viroſus vires ejus ſuſpectas reddit.

124. JUNCUS *foliis planis, culmo paniculato, floribus ſparſis.*
Juncus piloſus γ. Sp. pl. 468.
Gramen latifolium glabrum, graminis hirſuti primi facie. Rudb. elyſ. 1. p. 63. f. 8. Sm. Rel. Rudb. 4.
Gramen hirſutum nemoroſum anguſtifolium alpinum, paniculis obſcure rufeſcentibus. Scheuch. hiſt. 312. t. 7.
α. In Alpium lapponicarum nemoribus admodum vulgaris eſt.
β. Parum differt a priori; forte tantummodo variatio eſt

eſt a loco producta, brevem ergo ejus addam deſcriptionem.

Culmus fere ſpithamæus, erectus, duobus geniculis infra ejus partem mediam diſtinctus.

Folia enſiformia, Radicalia quamplurima; Caulina duo, longitudine dimidii digiti, quorum unicum minutiſſimum ſpathæ inſtar caulem terminans paniculam emittit.

Panicula tribus conſtat pedunculis ſetaceis, communibus, inæqualis longitudinis, alternatis, emittentibus minores pedicellos, quorum inferiores longiores ſunt et in alios ſimili ratione deliqueſcunt, ita, ut flores tandem duodecim, nonnunquam octodecim communi pedunculo inſideant, licet ſinguli propriis pedicellis a ſe invicem remoti.

Floſculi ex fuſco rubri ſunt.

OBS. In antecedentis plantæ foliis crines diſtincti & remoti ponuntur, qui in hac deficiunt.

γ. Synonymon Rudbeckii ad Juncum luteum Allionii (J. campeſtr. ε. Sp. pl. 469.) potius pertinere ex icone ſuſpicatus ſum. *J. E. Smith.*

125. JUNCUS *foliis planis, culmo ſpica racemoſa nutante terminato.** Tab. X. fig. 4.

Juncus ſpicatus. Sp. pl. 469.

Juncus alpinus latifolius, panicula racemoſa nigricante pendula. Mich. in Till. Horto Piſan. 91.

α. In Alpibus noſtris frequens eſt.

β. Habemus plantam Figuræ Tuæ Tab. X. fig. 4. reſpondentem illi a Michelio, ſub nomine (allegato), ſed cui folia paulo latiora, differentia tamen exigua. *Dillenius.* (Conf. J. pediformem Vill. Delph. v. 2. 238. t. 6. *J. E. S.*)

γ. Cum hæc a Cl. *Michelio* neque deſcripta, neque depicta ſit, brevem ejus adumbrationem exhibere teneor.

Folia radicalia decem vel duodecim, plana, erecta, acuminata.

Culmus

Culmus tenuiſſimus, tribus foliis parvis inſtructus, quorum unum ad baſin, alterum in medio, tertium ad apicem caulis poſitum eſt, & vagina ſpatio tranſverſi unguis tegente culmum gaudet.

Spica unica, laxa, numeroſis conſtans floribus, ovato-oblonga.

Magnitudo in figura repræſentatur naturalis.

Folia majora vel minora in plantis gramineis ſæpius a ſolo & tempeſtate dependent.

126. JUNCUS *villoſus, capitulis pſyllii.* Tournef. inſt. 246.

Juncus campeſtris α. Sp. pl. 468.

Juncoides villoſum, capitulis pſyllii. Scheuch. hiſt. 310.

Cyperella capitulis pſyllii. Rupp. jen. 1. p. 130.

Gramen hirſutum, capitulis pſyllii. Bauh. pin. 7.

Gramen luzulæ minus. Bauh. hiſt. 2. p. 493.

α. In Alpibus & ſylvis primo vere ubique obvius eſt.

β. Vanam omnino eſſe hujus exceptionem a Junco, ſive genus iſtud *Juncoides*, ſive *Cyperella* vocetur, facile patet abſque demonſtratione (F. B. 165).

127. JUNCUS *foliis planis, culmo paniculato, ſpicis ovatis.* Tab. X. fig. 2.

Juncus campeſtris β. Sp. pl. 469.

α. In Alpibus noſtris non infrequens eſt planta.

β. Ab antecedenti, ad quem proxime accedit, differt, quod

1. *folia* hujus glabra ſint & anguſtiora.
2. *ſpicæ* in hac plures, decem vel duodecim.
3. *ſpicæ* hujus minores, ovatæ, albicantes ſint.
4. *pedunculi* ſpicas parvas ſuſtinentes longiores ſint & verſus idem latus flexi.

128. PEPLIS.*

Peplis Portula. Sp pl. 474.

Portulaca ſpuria aquatica. Rupp. jen. 1. p. 107.
Portula. Dill. giſſ. 120. 239. app. 133.
Glaucoides paluſtre, portulacæ folio, flore purpureo. Mich. gen. 21. t. 18.
Glaux paluſtris, flore ſtriato clauſo, foliis portulacæ. Tournef. inſt. 88. Pet. gen. 43. fig. bon.
Glaux aquatica, folio ſubrotundo. Gottſch. pruſſ. 106. fig. 20.
Alſine paluſtris minor ſerpillifolia. Bauh. pin. 251. prod. 118.

α. In locis ſabuloſis ſylveſtribus, ubi aqua pluvialis collecta aliquamdiu perſiſtit, etiam ſub aqua ſæpius enaſcitur.

β. Folia in hac planta tenuiora ſunt, quam in ulla alia planta lapponica. Flores rarius petalis inſtruuntur.

γ. *Peplis* eſt nomen ſuperfluum, quod mihi in hocce genere magis arrideret quam *Portula*, quod facile confunditur cum Portulaca (F. B. 228), *Glaucoides* autem (F. B. 226.) vel *Portulaca ſpuria* (F. B. 221.) non placent.

D I G Y N I A.

PERSICARIÆ *ſpeciem* 71. vide in Pentandria Monogynia.

RUMICIS *ſpeciem* 132. vide in Hexandria Trigynia.

TRIGYNIA.

129. RUMEX *foliis cordato-oblongis acuminatis integris.*
Rumex crispus. Sp. pl. 476.
α. *Lapathum folio acuto crispo.* Bauh. pin. 115. Lind. wiks. 20.
Lapathum acutum crispum. Frank. spec. 18.
Lapathum acutum. Till. ab. 38.
Lapathum longifolium crispum. Munt. brit. 104. fig.
β. *Britannica antiquorum vera.* Munt. brit. 1. fig.
Lapathum aquaticum, folio cubitali. Bauh. pin. 116.
Lapathum palustre, folio cubitali. Lind. wiks. 20.
Lapathum palustre. Frank. spec. 18.
γ. Frequens est hæc (β) in paludosis Lapponiæ; illa autem (α) ad casas Lapponum sylvaticorum.
δ. Duas a plerisque distincte traditas plantas (α, β) ut variationes, nec sine ratione sufficienti, exhibeo, locus enim est qui plantas differentes efficit. In locis enim *aquosis* (β) longe major evadit, foliis maximis, glabris, planis, nitidis; in *siccis* (α) autem minor excrescit, foliis scabris & ad marginem undulatis.
ε. *Lapathum* & *Acetosam* ejusdem esse generis plantas agnoscant, si non alii, sane illi, qui ad exhibendos characteres de differentiis earum genericis solliciti fuere, nec longa opus est demonstratione, in flore ab omnibus in universum plantis adeo differenti (F. B. 171. 173.) confer C. G. 300. Si Acetosa omnis esset sexu in mares & feminas distincta, tum admitteret

teret argumentum debile; cum autem aliæ ſpecies Acetoſæ T. ſint hermaphroditæ æque ac Lapathum T. ergo nullum, niſi ex acida auctoritate, promanare poteſt argumentum.

ζ. Nomen *Rumex*, ſynonymon antiquiſſimum (F. B. 242. 244. 241.) retineo in hoc genere, *Acetoſæ* vocabulum excludo (F. B. 231. 232. 235.), nec *Lapathum*, a Lappa dictum (F. B. 227.), dignum agnoſco.

130. RUMEX *foliis oblongis ſagittatis.*
Rumex Acetoſa. Sp. pl. 481.
Mas
α. *Acetoſa ſemine vidua.* Fag. par. 4.
Femina
Acetoſa pratenſis. Bauh. pin. 114.
Acetoſa vulgaris pratenſis. Frank. ſpec. 1.
Acetoſa vulgaris. Rudb. vall. 1. hort. 1.
Acetoſa major pratenſis. Lind. wikſ. 1.
Acetoſa major. Till. ab. 1. Scheff. lapp. 360.
β. *Acetoſa montana maxima.* Bauh. pin. 114. Scheuch. alp. 129.
Acetoſa hiſpanica maxima. Munt. brit. 225. fol. 213.
γ. *Juemo* Lappis ſeu *Joemo.*
δ. In ſylvis Lapponiæ multoties lecta fuit (α), in Alpibus vero copioſiſſima eſt (β).
ε. Vanum eſt ex hac duas diſtinctas conſtituere ſpecies (α, β), cum ne minima quidem detur differentia alia, quam in magnitudine a ſolo alpino producta, ubi lætior excreſcit planta.
ζ. Hac planta nulla notior eſt Lapponibus, nec ullum vegetabile in Lapponia creſcens cibos Lapponum ingredi ſcio, præter hanc & Angelicam (§ 101. ζ), ſi baccas excipiamus.

Ex hac planta præparatur *ſerum acetoſatum* Lapponum, quod *Juemomelke* illis dicitur, & quidem ſequenti modo. Folia hujus in magna copia

colligunt, a caulibus ſeparant, illis una cum petiolis ſuis ahenum cupreum replent, unam tertiam partem aquæ ſuperinfundunt, coquunt ad conſiſtentiam ſyrupi, nova iterum addunt folia, coquunt, ſpatula ſemper movent, ne aduratur vel ſaporem aduſtum adquirat; abſoluta coctione, poſt ſex ſeptemve horas huic operationi impenſas, reponitur, ut refrigeretur. Miſcetur deinde cum lacte rangiferino, reponitur in vaſculis ligneis vel ventriculis (ventriculo primo ſeu magno) rangiferinis clauſum, ſervatur in cryptis montium vel reconditur in terra, ne mures (Mus cauda truncata, flava maculis nigris; Mus Lemmus, *Syſt. Nat* 80.) lædant vaſa. Sæpe umbellas Angelicæ cum Rumice miſcent & coquunt, ſed parcius (§ 101. η.)

Lac tali modo paratum acidum gratumque adquirit ſaporem, & editur ab omnibus, ſenibus & juvenibus, cum oblectamento.

Diu tali modo confectum ſervari poteſt lac eodem ſemper imbutum ſapore, quod alias non fieret. Vetus hoc lac palatum excitabat noſtrum, recens confectum non item.

Notabile eſt, quod cum nil hocce lacte apud Lappones vulgatius ſit, tamen apud nullam aliam nationem, apud nullum Lapponiæ accolam illud receptum fuiſſe noverim.

Nemo credat, quod Lappones hoc conficiant pro medicina ſcorbuti (§ 80. ζ), ſane non magis vexantur ſcorbuto, quam calore ſolis, dum brumale ſævit frigus; nec contra calorem æſtivum, licet in convallibus per æſtatem calor ſatis urgeat, inde tamen minus periclitantur, cum caſas vel tentoria ſua ſæpius in medio montis latere figant, id eſt, inter gradus caloris & frigoris medio, & ſi calor nimis vexaret, præſens remedium porrigunt juga montium perennante nive obducta. Nec febribus vexantur continuis, raro contagioſis,

giofis, licet hæ eos nonnunquam falutantes altas agant radices, quibus propinant aquam frigidam, non vero lac acetofatum.

η. Hæc fpecies cum fequenti fub Dioecia Hexandria recenferi deberet, ne autem fpecies ejufdem generis feparentur, pace Lectoris, eas hic loci trado.

131. RUMEX *foliis lanceolatis haftatis.*
Rumex Acetofella. Sp. pl. 481.
Mas
Acetofa arvenfis lanceolata, femine vidua. Vaill. par. 2.
Acetofa arvenfis minima non lanceolata, femine vidua. Vaill. par. 2.
Femina
Lapathum acetofum repens lanceolatum. Raj. fyn. 143.
Acetofella. Frank. fpec. 1. Till. ab. 1.
α. *Acetofa arvenfis lanceolata.* Bauh. pin. 114.
Acetofa minor lanceolata. Lind. wikf. 1.
Acetofa minima. Rudb. hort. 1.
β. *Acetofa arvenfis minima non lanceolata.* Bauh. pin. 114.
Acetofa minor non lanceolata. Lind. wikf. 1.
γ. *Acetofa lanceolata anguftifolia repens.* Bauh. pin. 114.
δ. In fylvis & Alpibus vulgatiffima eft planta.
ε. Ex hac plurimi tres ad minimum conftituunt fpecies (α, β, γ) a folo loco diftinctas; nam in petris, tectis & ficcioribus locis fæpius obliterantur prominentiæ iftæ foliorum haftatæ.
ζ. Nullius eft hæc fpecies ufus apud Lappones, quæ, cum parva fit, negligitur.

132. RUMEX *foliis orbiculatis emarginatis.*
Rumex digynus. Sp. pl. 480.
Acetofa britannica rotundifolia, fructu compreffo. Blair. obf. 97. t. 1.

Acetosa cambro-britannica montana. Scheuch. alp. 128.
Acetosa rotundifolia repens eboracensis, folio in medio deliquium patiente. Moris. hist. 2. p. 583. s. 5. t. 36. fig. penult.
Acetosa repens westmorlandica, cochleariæ foliis, apicibus nonnihil sinuatis. Pluk. phyt. 252. f. 2.

α. In clivosis rigidisque Alpium jugis admodum vulgaris est, sæpe etiam in Lapponiæ desertis ad ripas fluviorum, seminibus per aquam fluvialem ex Alpibus delatis, in locis valde dissitis hac ratione germinat. In Suecia alias peregrina est planta.

β. In floribus reliquarum Rumicis specierum, quoad omnes fructificationis partes, viget numerus ternarius, isque simplex vel duplicatus, scilicet: Calyx & corolla tripartita, stamina sex, germen triquetrum, styli & stigmata tria, semen triquetrum. In hac autem planta unica tertia pars numeri in singula fructificationis parte excluditur, sed, quod singulare, stamina hanc exceptionem respuunt; adeoque gaudet *calyce* & *corolla* bipartita, *staminibus* sex, *germine* compresso (seu digono), *stylis* & *stigmatibus* duobus, *semine* digono seu compresso.

γ. Sunt, qui hanc eandem esse cum *Acetosa rotundifolia hortensi* C. B. & solummodo, ut sylvestrem ab hortensi differre credunt, cum facies utriusque primo intuitu satis similis sit; quod autem absolute nego, cum partes istæ numerum suum (β) semper constantes servent & in hortensi prædicta numerus ternarius ubique simplex vel duplicatus valeat, ut in aliis speciebus, licet hermaphrodita sit; repugnant etiam omnes partes plantæ, quæ ocularem desiderant inspectionem.

δ. Copiose sese obtulit in Alpibus notabilis hujus speciei *varietas* ex morbo orta, cujus flores omnes in *ustilaginem* abiere, & commota leviter planta pulverem atro-rubentem dejicere.

ε. Neque hac specie Lappones utuntur, licet sapor hujus gratior exsistat, quam antecedentium.

133.

133. SCHEUCHZERIA. * Tab. X. fig. 1.
Scheuchzeria paluſtris. Sp. pl. 482.
Juncoidi affinis paluſtris. Scheuch. hiſt. 336.
Juncus floridus minor. Bauh. pin. 12. prod. 23. Rudb. elyſ. 1. p. 110. f. 2.
Gramen junceum aquaticum, ſemine racemoſo. Gottſch. pruſſ. 114. f. 28.

α. Copioſiſſime in omnibus paludibus Lapponiæ deſertæ Sphagnis & Caricibus repletis, præſertim in parte Pithoenſi & Lulenſi, ut prope Wollerim & alibi obſervatur.

β. Incerti fuiſſemus, quam plantam *C. Bauhinus* intellectam voluerit ſub nomine allegato, niſi a *Burſero* fuiſſet nomen conſervatum, & ex ejus herbarii tomo 1, antequam in incendio Upſalienſi periit, in *Campos Elyſios* per *Rudbeckios* tranſlatum.

γ. *Figura* plantæ noſtræ habetur quidem & in *Campis Elyſiis* & in *Flora Pruſſica*, ſed ubique fructum ferentis, *noſtram* ideoque floribus inſtructam exhibemus.

δ. *Radix* repens eſt, articulata, larvis imbricatis (quæ reliquiæ præteritorum foliorum ſunt) veſtita, inter quas radiculas filiformes deorſum emittit.

Caulis quodammodo rectus, ſimplex, ſpithamæus, teres, *ramis* deſtitutus.

Folia Radicalia pauca; Caulina duo, quorum alterum baſin caulis vagina ſua involvit, alterum pollicis tranſverſi ſpatio ſuperius collocatur, vagina intra inferiorem deſinente, inſidens cauli; ſingula horum ſubulata fere ſunt & caule breviora. Floralia autem folia ſupra mediam caulis partem egrediuntur alternatim, numero ſæpius quinque, quorum inferiora longiora, ſingula vaginæ inferne inſidentia, quæ laxa eſt, nec ſummum caulem obveſtit.

Flores ex ſingula ala foliorum floralium ſolitarii pedunculis erectis ſuſtentati.

Corollæ color eſt viridis, quodammodo ad flavum accedens;

accedens; *Germinibus* tribus ſæpius, frequenter etiam quatuor vel quinque gaudet flos.

ε. Characterem hujus generis dedimus C. G. 301. ubi deſcriptio floris evolvi poteſt.

ζ. Diximus genus hocce a doctiſſimo iſto fratrum pari, *Johanne Scheuchzero* magno iſto Agroſtographo & *Joh. Jac. Scheuchzero* curioſiſſimo iſto Alpium Helveticarum luſtratore, qui quantum in Botanicis præſtiterint, nulli non norunt (F. B. 238).

η. Cum unica tantum mihi nota ſit ſpecies, differentiam aliquam adponere vanum foret (F. B. 293).

134. TRIGLOCHIN *fructu tenui.*
Triglochin paluſtre. Sp. pl. 482.
Triglochim Rivini. Rupp. jen. 1. p. 54.
Juncago paluſtris & vulgaris. Tournef. inſt. 266.
Gramen junceum ſpicatum, ſeu Triglochin. Bauh. pin. 6. Rudb. elyſ. 1. p. 45. f. 16. a.

α. In humidis ſcaturiginoſis locis Lapponiæ deſertæ vulgaris eſt.

β. Cl. *Michelius* duas ſtatuit plantas a Botanicis conjunctas eſſe ſub uno eodemque nomine, quarum altera eſt noſtra radice fibroſa, altera vero bulboſa (*Gramen hyacinthites triglochoides bulboſum.* Rudb. elyſ. 1. p. 48. f. 3. ſeu *Hyacinthi parvi facie gramen triglochin.* Bauh. hiſt. 2. p. 508), quam, niſi me omnia fallant, vidi etiam in Lapponia, licet cum antecedenti eandem habuerim ipſam. Et num planta illa radice bulboſa, & noſtra radice fibroſa, in reliquis partibus omnibus ſimillimæ, ſint veræ diſtinctæ ſpecies, adhuc ulteriori, me judice, indiget examine. Folia in noſtra bifaria, baſi equitantia.

135. TRIGLOCHIN *fructu ſubrotundo.* *
Triglochin maritimum. Sp. pl. 483.
Triglochim maritimum, fructu breviore & craſſiore. Rupp. jen. 1. p. 366.

Juncago

Juncago maritima, foliis spica & seminibus brevioribus. Dill. app. 22.

Juncago palustris & maritima perennis, fructu breviore quinque-capsulari. Mich. gen. 44.

Gramen spicatum alterum. Bauh. pin. 6. Rudb. elys. 1. p. 45. f. 17. b.

α. In littoribus Oceani septentrionalis ad radices Alpium lapponicarum vulgaris est.

β. Hæc est planta ista ignota *Martino*, quam ad Sherardum misit & descripsit in Actis Lit. Suec. tom. 1. vix enim obtineri potuit, quo sibi persuaderet Beatus Vir, plantam quandam pure maritimam sua sponte prodire prope Upsaliam in prato Regio (Kongsængen) per spatium septem milliarium a mari remoto & quod pratum alluit aqua dulcis.

136. ANTHERICUM *scapo folioloso laxe spicato, filamentis villosis.*

Anthericum ossifragum. Sp. pl. 446.

Phalangium anglicum palustre, iridis folio. Tournef. inst. 368.

Pseudo-Asphodelus palustris anglicus. Bauh. pin. 29.

Asphodelus luteus palustris. Dod. pempt. 208.

Asphodelus minimus luteus palustris, acori folio. Moris. hist. 2. p. 332. s. 4. t. 1. f. 7.

Gramen ossifragum. Paull. quadr. 530. Act. Hafn. 1673. p. 126. & 232.

Gramen ossifragum Norvegicum & Cimbricum. Raj. hist. 1325.

Bengræs. Norvegis.

Ilagræs. Smolandis.

α. In latere septentrionali Alpium lapponicarum, cum Finmarkiam Norvegiæ intrarem & ab ea discederem, prodiit in conspectum aliquoties famosissima hæc, sed formosissima planta, subhumida inhabitans loca.

β. Fidem superant, quæ *Sim. Paulli* de plantæ hujus singularibus viribus promulgavit: Nempe quod, si pecoribus

pecoribus pabulo intermixta detur hæc herba, ipsa eorum ossa inde emolliantur, ita ut pedibus insistere nequeant. Vide loca allegata.

In provincia Sueciæ *Smolandia*, inque Parœcia ejusdem *Stenbrohultensi*, a Norvegia remotissima, copiosissime nascitur planta hæc adeo decantata, ubi tenellus adhuc infinita ex vulgo de hac planta, cujus flores splendidissimi toties in se convertebant oculos meos, confabulante audivi, nec ullus erat, qui non optime eandem agnosceret. Vocatur ibi *Ilagræs* & dicitur uno ore, quod sit herba ovibus maxime noxia, quam si copiose edant, inde quidem citissime eas pinguescere, sed proximo insequenti anno, cum in hepatibus istarum nascantur vermiculi, Ilar (unde nomen) dicti, certo perire.

Quod neque ossa emolliantur, neque vermiculi ex hac generentur, nulli non constat, quidquid tamen sit, erit quidpiam, quod vulgo imposuit, sive quod schirros in hepate generet, sive quod tabem inducat, ut incedere nequeant pecora, sive aliud quid monstri, præsertim cum odor virosus in planta exsistat manifestissimus (F. B. 359).

γ. *Phalangium scoticum palustre minimum, iridis folio* T. ab Anglico (prædicto) non aliter, quam parvitate, differre videtur. *Dillenius.* Est Anth. calyculatum, certe species distinctissima. *J. E. Smith.*

δ. *Tournefortius* sub Phalangii genere duarum distinctissimarum plantarum familias confundit, quarum alia Germine gaudet simplici & *Bulbine* (C. G. 269.) dicitur, altera autem Germine triplici & *Anthericum* (C. G. 303.) nominatur. (Has in editionibus posterioribus conjunxit etiam Linnæus. *J. E. S.*) *Phalangii* enim vocabulum insecto proprium est (F. B. 230).

137. ANTHERICUM *scapo nudo capitato, filamentis glabris.* Tab. X. fig. 3.

Anthericum calyculatum. Sp. pl. 447.
Statice montana minor. Rudb. lapp. 100.

α. ?*Phalangium alpinum paluſtre, iridis folio.* Tournef. inſt. 368. Scheuch. alp. 139.
? *Pſeudo-Aſphodelus alpinus.* Bauh. pin. 29.
Pſeudo-Aſphodelus II. Cluſ. hiſt. 198.

β. In Alpibus lapponicis ubique, non raro etiam in ſummis montibus Lapponiæ ſylveſtris, ut ad Wollerim & Jockmock, prodit.

γ. Num hæc ſit eadem cum Authorum (α) allegata, certo determinare nequeo, qui alteram non vidi plantam. Authores enim ſuam pingunt floribus ſparſis, noſtra autem gaudet floribus omnibus in capitulum collectis ſeſſilibus, nec reperi ultra unicam, quam depinxi Tab. X. f. 3. quæ flores leviter ſparſos geſſit.

δ. Planta hæc minor eſt quam *Pſeudo-Aſphodelus II.* Cluſ. hiſt. 198, ut ſpecimina inter ſe collata docent, & ideo pro illius varietate habenda eſt. *Dillenius.*

ε. *Radices* plurimæ, filiformes, ſimplices, flexuoſæ, flaveſcentes.

Folia radicalia omnia diſtice poſita, gladiata, longitudine pollicis tranſverſi unius vel ſeſqui alterius, pallide viridia, margine interiori a parte inferiore perpendiculariter bifido, & folium proximum amplectente.

Scapus unicus in ſingula planta, licet plures cohæreant ſæpe radicibus ſuis, longitudine digiti, filiformis, erectus, nudus, ſimpliciſſimus.

Flores plures, octo ad duodecim uſque, ſeſſiles, in capitulum ſubrotundum collecti, ſcapum terminantes. *Corolla* illis nivea eſt & parva, *filamenta* plane non hirſuta, flos ad maturitatem fructus perſiſtit & raro perfecte explicatur. *Fructus* ſubrotundus & obtuſus, licet ſit tripartitus.

POLYGYNIA.

138. ALISMA *fructu obtuse trigono.* *
Alisma Plantago. Sp. pl. 486.
Alisma. Dill. giss. 126.
Plantaginoides. Knaut. meth. 157.
Damasonium lato plantaginis folio. Vaill. act. 1719. p. 27.
Ranunculus palustris, plantaginis folio. Tournef. inst. 292.
Plantago aquatica latifolia (& *angustifolia*). Bauh. pin. 190. Lind. wiks. 29.
Plantago aquatica. Frank. spec. 24.

α. In aquosis Lapponiæ desertis reperitur.

β. Genere omnino conjungi debet *Damasonium* Tournefortii cum hac planta (licet Alisma a nobis Damasonio præferatur), nam facies est omnino eadem (F. B. 168). Flos simillimus, ab aliis omnibus diversissimus (F. B. 171. 174), quamvis partes femininæ numero & figura, ut in Helleboro, differant (F. B. 176).

γ. Attingit nunc altitudinem humanam, nunc vix digitalem, tamen eadem est.

CLASSIS VII.

HEPTANDRIA.

MONOGYNIA.

139. TRIENTALIS.* Rupp. jen. 1. p. 20.
Trientalis europæa. Sp. pl. 488.
Alsinanthemos. Raj. syn. 286.
Hermodactylus caninus. Frank. spec. 16.
Alsine alpina. Swenk. Siles. 17.
Herba trientalis. Rudb. cat. 19. hort. 51. Lind. wiks. 18. Till. ab. 33.
Pyrola alsines flore europæa. Bauh. pin. 191. prod. 100. figura etiam p. 99. sub psyllio minore.

α. Sylvas Lapponiæ desertæ primo vere, medio scilicet Junio, eleganti florum suorum albedine pingit. In Alpium etiam nemoribus satis frequens est; vix crederem illam per totum orbem ullibi copiosius prodire posse ac in Westrobothnia.

β. Mirum est, quod natura in regno vegetabili adeo parvi fecerit numerum septenarium in omnibus partibus fructificationis; nulla enim nobis nota est planta septem gaudens staminibus, præter hanc & Hippocastanum Rivini.

γ. Inter omnes, quos vidi flores, omnium simplicissimus, seu rectius, maxime æqualis est flos hic gratissimus:

tiſſimus: calyx enim, corolla & ſtamina pari modo diviſa ſunt, figura gaudent ſimpliciſſima, & corolla, quod curioſum, omnino plana abſque notabili tubo. Singularis etiam eſt plantæ ſtructura, quoad folia, quod hæc fere omnia apicem caulis ſimplicis terminent patula, & quod folia ſuperiora majora ſint, unicum enim alterumve per caulem caſu quaſi ſparſum, minimum, & radicalia nulla. Singulare tandem eſt, quod pedunculi duo ex apice caulis enaſcantur, raro unus, rarius tres, ut in Palmis & Oxyoide Garcini.

δ. Neſcio, quænam gratia floris adeo percellat oculos, ut fere effaſcinare videatur viſu contemplatorem ſuum; forte a ſymmetria, pulchritudinis omnis matre! Variat ſæpe corolla ſexfida, quinquefida, cum autem rarius hæc contingant, a numero naturali ad Heptandriam refertur.

ε. Conſideratione etiam dignum eſt, quid locus faciat in hoc flore. Corolla enim, ubi planta in ſiccioribus creſcit, apicibus laciniarum acuta eſt, in humidis vero obtuſa, conſtante lege naturæ.

ζ. De uſu & viribus hujus plantæ haud ullum authorem mentionem feciſſe ſcio, nec quidquam ex ſapore, vel odore, vel adfinitate, vel obſervationibus, de effectu ejus determinare queo.

CLASSIS VIII.

OCTANDRIA.

MONOGYNIA.

140. DAPHNE *floribus sessilibus infra folia elliptico-lanceolata.*
Daphne Mezereum. Sp. pl. 509.
Laureola folio deciduo, flore purpureo. Bauh. pin. 462.
Daphnoides. Frank. spec. 33.
Chamælea suetica. Frank. spec. 33.
Chamælea germanorum. Rudb. hort. 27.
Chamæleon germanorum, seu Mesereon. Rudb. vall. 9.
Thymelæa lauri folio deciduo. Tournef. inst. 595.
Kællerhals. Suecis.

α. In sylvis Lapponiæ rarius obvius est hic frutex, qui apud Lappones primus est, qui floret.

β. Semina ejus in cadaveribus abscondita exhibentur a rusticis Sueciæ lupis & vulpibus, quibus adsumptis pereunt sine mora, æque ac a seminibus Strychni.

γ. Singularis est modus florendi hujus plantæ, flores enim ramis sessiles insident, & quidem infra folia, conspicui tamen, antequam folia erumpant. Corolla florum duplicata constat membranula, quasi calyx & corolla coaluerint in unum corpus.

δ. Vidi

δ. Vidi rusticos in Scania, qui commilitonibus suis per jocum (experimento sane periculoso) exhibuerunt baccam modo unicam, qua ingesta, incensum œsophagum alter potu cerevisiæ exstinguere tentavit, sed oleum igni adfudit, hinc iis Sörbypeppar & Kællerhals, id est, cellulæ ingluvies, nominatur.

141. ERICA *vulgaris glabra.* Bauh. pin. 485.
Erica vulgaris. Sp. pl. 501. Till. ab. 26.
Erica. Frank. spec. 33. Rudb. hort. 39.
Erica flore purpureo. Lind. wiks. 12.
α. *Erica vulgaris glabra, flore albo.* Tournef. inst. 602.
Erica flore candido. Lind. wiks. 12.
Tachnas. Lappis.
β. In campis arenosis Lapponiæ sylvestris passim copiose prodit. In Finlandia Boreali, Biœrneburgum inter & Aboam, vidi per plurima camporum milliaria fere nullam aliam, nisi sterilem hanc Ericam, quæ terram undique tegebat, nec ulla ratione exstirpari poterat; unde rusticorum proverbium ortum, fore, ut tandem duæ plantæ replerent & destruerent totam terram, Erica scilicet & Nicotiana; addidissent quidem tertiam, si Theæ usus ipsis innotuisset.
γ. In campis arenosis Lapponiæ individua nonnulla plicata observavi, adspectu pulcherrima, majora enim erant, eorumque rami densissimi & arboris taxi instar tonsi, licet parva sit planta.

142. VACCINIUM *foliis annuis integerrimis.* *
Vaccinium uliginosum. Sp. pl. 499.
Vaccinium altissimum, foliis subrotundis exalbidis. Rupp. jen. 1. p. 46.
Vaccinia nigra majora. Frank. spec. 38.
Myrtillus niger major. Rudb. cat. 29. hort. 77.
Myrtillus major. Frank. spec. 22. Till. ab. 47.
Vitis idæa, foliis subrotundis exalbidis. Bauh. pin. 470. Scheuch. alp. 52.

Vitis

Vitis idæa magna seu Myrtillus grandis. Bauh. hist. 1. p. 518. Rudb. it. 9.
Vitis idæa major. Tabern. hist. 3. p. 162.
Vitis idæa palustris. Lind. wiks. 40. prior.
Vitis idæa. Clus. pan. 79.
Hòtme Lapponum.
Utterbær. Westrobothniensibus, id est, Baccæ Lutræ.

α. Tam in Alpibus, quam in sylvis Lapponiæ, modo loca subhumida sint, vulgatissimus est fruticulus.

β. *Folia* sunt verticaliter ovata, plana, integerrima & annua; *Caules* communiter pedales; *Baccæ* cæruleæ, leviter tetragonæ, aquosæ & fere insipidæ, pulpa alba plenæ, ab incolis fere negliguntur.

γ. Plantæ, quarum flores antheris bicornibus instruuntur (F. B. 108), sunt valde adfines & paucis admodum, respectu generis, inter se differunt, uti Vaccinium, Arbutus, Andromeda, Erica & Pyrola. Antheræ his sunt didymæ & oblongæ, altera extremitate obtusæ, altera vero acutiores & sub hac duabus setulis instructæ.

143. VACCINIUM *caule angulato, foliis serratis annuis.*
Vaccinium Myrtillus. Sp. pl. 498.
Vaccinium Rivini. Rupp. jen. 1. p. 46.
Vaccinia nigra minora. Scheff. lapp. 359. Frank. spec. 38.
Myrtillus niger minor. Rudb. cat. 29. hort. 77.
Myrtillus minor. Frank. spec. 21.
Myrtillus minor, baccis nigris. Till. ab. 47.
Vitis idæa angulosa. Bauh. hist. 1. p. 520. (descr. nec icon) Rudb. it. 9.
Vitis idæa foliis oblongis crenatis, fructu nigricante. Bauh. pin. 470. Lind. wiks. 40.
Blaue heidelbeer. Schel. botn. 30.
Zìrre. Lappis Umensibus. *Zèrre.* Lappis Lulensibus.

α. Nulla fere planta in ſylvis humidiuſculis Lapponiæ, Weſtrobothniæ aut Angermanniæ hac vulgatior exſiſtit, quæ nec Alpes noſtras reformidat, licet parcius in earum convallibus nemoroſis pronaſcatur.

β. Quamvis in hac ſpecie, numerus in omnibus partibus fructificationis, unam quartam partem ſæpius addat (C. G. 313), ne ſepararentur ſpecies, hic eandem poſui. In reliquis puta eſt calyx & corolla quadrifida, bacca quadrilocularis, ſtaminaque octo; in hac corolla & calyx quinqueſida, bacca quinquelocularis & ſtamina decem.

γ. *Caules* & rami erecti, tetragoni; *Folia* alterna, ovata, obtuſe ſerrata, annua. *Baccæ* nigræ, pulpa purpurea linteum colore cæruleo tingente plenæ; altitudo ſpithamam æquat.

δ. *Kappatiàlmās* (Bellaria Lapponum) ſunt Ferculi ſpecies apud gentem Lapponicam, quæ in maximis habentur deliciis, conficiendi modum addam: Lac rangiferinum ſeu Rhenonum admodum pingue eſt, & gaudet ſapore lactis bovini cum butyro & pauca quantitate ſebi impraegnati. Caſeum e lacte iſto conficiunt Lappones communiter quovis die bis, mane ſcilicet & veſperi, dum rangiferos ad caſam pellunt paſtores canibus ſtipati, & hoc quidem a menſe Junio ad initium hyemis; Lappones enim per iſtud tempus nil aliud edunt, quam ſerum a caſeo ſeparatum, quod iterum igni ſuperimponunt, ſic rurſus incraſſatur, quaſi nullus ab eo caſeus eſſet preſſus, hic eorum cibus per totam æſtatem: Lac enim parſimoniæ dediti vix edere volunt, illo tantum peregrinum excipientes hoſpitem, niſi prius ex eo caſeum ſepararint, ut duplex ejus ſit uſus. Butyrum fere nunquam conficiunt e lacte ſuo, cum illud butyrum album evadit, ferme ſapore ſebi, & in pauca quantitate obtinetur; contra vero caſeum copioſiorem inde quam ab ullo alio lacte adquirunt. Dum caſeus, inquam, confici debet, lacque ſuperimpoſitum eſt igni & epidermis quædam in initio

7 coctionis

coctionis lacti incumbit, istam abradunt cochleari, colligunt in sufficienti copia epidermidem lactis, istam (ut alii pultem cum uvis Corinthiacis) miscent cum variis baccis sæpe hujus speciei. Hac massa replent ventriculos (præprimis placet ipsis Reticulum dictum) Rhenonum, antea exsiccatos & nigros, jam emollitos in aqua calida, suspendunt & siccant, ut casei fere consistentiam adquirat. Hæ sane sunt summæ deliciæ Lapponum, quas confectionum saccharatarum instar, offerunt accedentibus peregrinis, præsertim gentis suæ matronulis honestioribus, quasi nihil gratius unquam exsisteret. Caseus autem ipse pinguissimus & delicatissimus est, sed præparandi modus minus politus. In Alpibus enim inungunt nonnulli Lapponum ubera rangiferi feminæ unguento omnium florum recenti, ne hædi matrem sugant (licet maxima pars baculo transverse ori hædi inserto hoc prohibeat), quod unguentum exsiccatur, deinde ante mulctum abraditur; eductum lac coagulatur, coagulo vel ex pullis recentibus extracto, vel ex intestinis piscium confecto, præsertim ex *Coregoni*, *Thymalli* dicti, specie.

ε. Ex immensa hac, quæ in sylvis occurrit hujus plantæ copia, intelligitur, quare in hisce locis (α) major occurrat numerus diversarum specierum *Tetraonum*, quam vix ullibi terrarum, uti Urogallus (Grygallus femina) major & minor, Bonasia, Lagopus, &c. quibus baccæ hæ per autumnum suppeditant cibum sufficientem, immo per totam hyemem, licet exsiccatæ sint. Et sane nisi tanta harum avium copia per autumnum a Lapponibus obtineri posset, male ageretur de plurium ventriculis, qui eodem tempore vix alia adquirere possunt alimenta. Tum enim ex arboribus descendunt aves, pedibus incedunt, baccas maturas edunt, gressu formicino exspatiantur, ubi laquearibus (*Flackar*) expositis oppressæ occiduntur: Tantam inde reportant copiam, ut non modo pro cibo sufficiant, sed etiam exente-

 ratæ

ratæ exſiccentur (a Novaccolis in clibano), quibus per totam hyemem & proximum tempus vernale latrantem compeſcunt ventriculum, pectora harum avium tali modo exſiccata non modo Lapponibus grata ſunt, ſed etiam illis, qui a teneris deliciis adſueti, ſuaviſſima exſiſtunt, licet nulla alia accedant condimenta. Fateor hæcce pectora fuiſſe prima alimenta, quæ mecum per deſerta & Alpes Lapponicas ſumere potui, præſertim cum tanto temporis ſpatio eſſem deſtitutus gratiſſimo pane. Adjacentes utriuſque Bothniæ incolæ exinde non modo ſufficientem copiam pro ſuſtinenda familia ſervare, ſed & incredibilem quantitatem commode quotannis Holmiam mittere, ibique divendere poſſunt.

144. VACCINIUM *foliis perennantibus verticaliter ovatis.*

Vaccinium Vitis idæa. Sp. pl. 500.

α. *Vaccinium foliis buxi, ſempervirens, baccis rubris.* Rupp. jen. 1. p. 46.

Vaccinia rubra minora. Scheff. lapp. 359. Frank. ſpec. 38.

Myrtillus baccis rubris. Frank. ſpec. 21. Till. ab. 47.

Myrtillus ruber minor. Rudb. hort. 77.

Vitis idæa foliis ſubrotundis non crenatis baccis rubris. Bauh. pin. 470. *J. E. Smith.*

Vitis idæa ſempervirens, fructu rubro. Bauh. hiſt. 1. p. 522. Rudb. it. 9. Lind. wikſ. 40.

β. *Vitis idæa ſempervirens, fructu nigro* (rubro legendum) *majore.* Rudb. it. 9.

γ. *Vitis idæa ſempervirens, fructu albo.* Rudb. it. 9.

Vitis idæa foliis ſubrotundis non crenatis, baccis albis. Rudb. lapp. 100.

Rothe-heidelbeer. Schel. botn. 30.

Jckno. Lapponibus.

δ. In ſylvis Lapponiæ ſabuloſis nulla frequentior exſiſtit planta, quæ nec Alpes reformidat.

ε. Mirati

ε. Mirati ſumus, quod vix ulla planta floribus rubris vel cæruleis inſtructa in ſummo hocce arctoo orbe reperiatur, cujus flores non aliquando albam induant togam (§ 83. γ). Minus hic receptum naturæ luſum obſervamus, ubi ipſæ *baccæ* depoſita acida ſua rubedine dulcem adſumunt *albedinem*, quod non modo in *hac*, ſed etiam in Ribe (§ 98. β) & Junipero viſum eſt.

ζ. Nec minus ſingularem vidimus hujus plantæ varietatem in monte altiſſimo Lapponiæ Lulenſis Koskeſvari dicto, ubi hæc, quæ alias fere diffuſa deprimitur, *erecta* & duplo triplove *altior* excrevit, diſtinctiſſimam præ ſe ferens formam, tamen eadem omnino ſpecies. Cur omnes plantæ pure aquaticæ extra aquam procumbant; cur omnes plantæ in paludibus repentes in ſiccis erectæ ſint; cur omnes in ſylvis erectæ in ſummis Alpibus repant; patet Phyſico.

η. *Baccas* has, licet ſint acidæ admodum, refrigerantes, tamen edunt Lappones, qui etiam eaſdem ſæpe immiſcent Bellariis ſuis (§ 143. δ). Weſtrobothnienſes non ſolum eas adhibent in uſum culinarem, ſed etiam immenſam illarum copiam, tempore autumnali, Holmiam mittunt, ubi deſiderantur pro acetariis ad carnes aſſatas adponendis, cum maxime acidæ ſint; ut hac ratione acidum vegetabile temperet alcali animale.

θ. *Caules* vix ſpithamæi ſunt, oblique adſurgentes, teretes, pallidiuſculi. *Folia* alterna, verticaliter ovata, leviter oblonga, perennia, marginibus reflexis. *Baccæ* rubræ in corymbum ex apice enatæ.

145. VACCINIUM *ramis filiformibus repentibus, foliis ovatis perennantibus.*

Vaccinium Oxycoccus. Sp. pl. 500.
Oxycoccus ſeu Vaccinia paluſtris. Tournef. inſt. 655.
Vaccinia rubra majora. Frank. ſpec. 38.
Myrtillus paluſtris. Till. ic. 155.

Myrtillus paluſtris ruber. Rudb. hort. 77.
Myrtillus paluſtris, Vitis idæa minima ſeu Gagel. Till. ab. 47.
Vitis idæa paluſtris. Bauh. pin. 471. Lind. wikſ. 40.
Vitis idæa paluſtris fruticoſa, fructu magno. Rudb. it. 11.
Ladich. Lapponibus.

α. In paludibus vix perviis & muſcoſis vulgatiſſima eſt.

β. Perbellam hujus ſpeciei varietatem, ordinaria triplo *minorem*, quoad omnes dimenſiones, ut nullus non primo intuitu ſancte adſeveraret diſtinctiſſimam ab hacce fuiſſe plantam, ubique in paludibus vidi.

γ. Mire ab hac planta deceptus fuit Magnus ille Tournefortius, qui hanc ad claſſem polypetalorum amandavit (priores vero ad monopetalos retulit), cum hæc quatuor petalis gauderet ; ſecundum canonem enim Botanicum tot numeravit petala, in quot ſponte ſua reſolvebatur flos deciduus, de cujus normæ certitudine vix unquam dubium motum eſt ullum ; ſed examinent corollam hujus plantæ curioſi & videbunt Florem, quamprimum erumpit, monopetalum, ore leviter quadrifido, cujus lacinulæ mox reflectuntur, magis removentur, profundius aperiuntur, uſque dum tota corolla in quatuor partes diſtinctiſſimas diffracta ſit & in totidem partes decidat. Stamina in omnibus hiſce plantis, quibus antheræ bicornes (§ 142. γ) vix ac ne vix corollæ adfiguntur (F. B. 108.) niſi in quibuſdam infimæ ejus baſi ; exemplo Arbuti.

δ. Baccæ hæ a Lapponibus in uſum cibarium non vocantur, nec facile ab aliis nationibus, cum nimis acidæ ſint. Cur plantæ aquaticæ durioris ſaporis, quam montanæ ; cur in umbroſis & humidis locis majori aciditate præditæ, quam in calidis & ſiccis ; cur acidum extra plantas in locis umbroſis conſervetur,

vetur, in calidis acefcat intenfius; patet confideranti.

ε. Baccis utuntur Argentifabri conciliaturi argento intenfiorem albedinem. Argentum enim vulgare mixtum effe ex tredecim partibus argenti puri & tribus partibus cupri, notum eft. Cuprum argento immixtum fufcum ei inducere colorem illudque tum citius ab externis accedentibus acidis opacum evadere, cuique patet. In aqua enim tartarum, baccas has & fimilia acida cum argento coquunt, acidum hoc refolvit & abforbet particulas minimas cupri, fuperficiei vafis proximas, quibus confumptis, fplendet argentum nivea & pura albedine.

146. EPILOBIUM *foliis lanceolatis integerrimis.*
Epilobium anguftifolium. Sp. pl. 493.
Epilobium latifolium glabrum, flore valde fpeciofo. Dill. giff. 131.
Chamænerion latifolium vulgare. Tournef. inft. 302.
Lyfimachia, Chamænerion dicta, latifolia. Bauh. pin. 245.
Lyfimachia filiquofa major purpurea. Rudb. cat. 26. hort. 69. Till. ab. 41. Lind. wikf. 23.
Almocke. Lapponibus & Weftrobothnienfibus.
Himmelfgræs. Dalekarlis.

α. Sylvas Lapponiæ fpeciofiffima florum fuorum purpura pingit planta hæc regia.

β. Sæpius horti inftar cingit cafas Lapponis fylvatici, fuccincto fuo adparatu œconomico cum Diogene certantis, ut deorum dearumque palatia crederes, quo hæc herba altiffima floret tempore.

147. EPILOBIUM *foliis ovatis dentatis.*
Epilobium montanum. Sp. pl. 494.
Epilobium glabrum majus, purpureo flore. Dill. giff. 91.
Chamænerion glabrum majus. Tournef. inft. 303.
Lyfimachia filiquofa glabra major. Bauh. pin. 245.

Lysimachia montana serratifolia. Rudb. hort. 69.
α. In Alpium lateribus frequens est.
β. Variat magnitudine, colore floris albo & pallido, ut antecedens. Communiter rubri sunt in hocce genere flores.

148. EPILOBIUM *foliis lanceolatis, ramose florens.*
Epilobium palustre β. Sp. pl. 495.
α. *Lysimachia, Chamænerion dicta, angustifolia.* Bauh. pin. 245.
β. In Alpium lateribus, præsertim in amœnissimo isto monte, Wallivari, occurrit.
γ. Magnam cum sequenti habet convenientiam.
δ. Synonyma reliqua in ed. 1. citata, pertinent ad E. angustissimum. Ait. hort. kew. v. 2. p. 5. *J. E. Smith.*

149. EPILOBIUM *foliis linearibus.*
Epilobium palustre. Sp. pl. 495.
Epilobium glabrum angustifolium. Dill. giss. 128.
Chamænerion angustifolium glabrum. Tournef. inst. 303.
Lysimachia siliquosa glabra angustifolia. Bauh. pin. 245.
Lysimachia siliquosa angustifolia minor. Rudb. cat. 26. hort. 69.
α. In subhumidis & fere aquosis Deserti locis sæpius pronascitur.

150. EPILOBIUM *foliis ovato-oblongis integerrimis.*
Epilobium alpinum. Sp. pl. 495.
? *Chamænerion alpinum alsines foliis.* Scheuchz. alp. 132.
α. Plantulam hanc bis vel ter in Alpibus lapponicis legi, præsertim ad latera earum, præcedentibus congeneribus mixtam.

β. *Caulis*

β. *Caulis* ſimplex, vix dimidii digiti longitudine, parum rubeſcens.
Folia oppoſita, inferiora minora ovata, ſuperiora majora & magis oblonga, integerrima omnia.
Flores duo, rubri, parvi, caulem terminantes, petalis emarginatis purpureis.
γ. Conveniunt hæc & antecedentes duæ (148, 149.) florum corolla parva, petaliſque bifidis & æqualibus.

D I G Y N I A.

151. CHRYSOSPLENIUM *foliis amplioribus auriculatis.* Tournef. inſt. 146. Rudb. lap. 97.
Chryſoſplenium alternifolium. Sp. pl. 569.
Saxifraga aurea. Frank. ſpec. 27. Rudb. cat. 37. hort. 103.
α. Ut in Helſingia & Medelpadia copioſiſſime conſpiciebatur, ita in Lapponia rariſſime.
β. Veteres hanc ad Saxifragas retulere, & ſane ſi facies externa conſulatur, ſummam has intercedere adfinitatem illa exclamat. Staminum numerus quidem non prohibet, quin conjungi poſſet, organa genitalia feminina ſic volunt; corolla autem & calyx omni modo negant. Non dubito, quin tandem reperiantur media, per quæ combinari poſſint hæ adfines, licet illud demonſtrata hactenus principia non concedant.

T R I G Y N I A.

152. BISTORTA *foliis lanceolatis.*
Polygonum viviparum. Sp. pl. 516.

Biſtorta

Biſtorta minor, flore albo. Lind. wikſ. 5.
Biſtorta minor. Cluſ. pan. 479. Frank. ſpec. 6. Till. ab. 9.
Biſtorta alpina minor. Bauh. pin. 192.
Biſtorta alpina minima ſoboliſera. Rudb. lap. 96.
Biſtorta minima. Rudb. cat. 7. hort. 17.

α. In ſylvis & Alpibus ubique vulgaris eſt.

β. Ad latera Alpium lapponicarum legi hanc plantam duabus ſpithamis longiorem, quæ alias longitudinem pollicis vix excedit. Tanta hic præſtat fertilitas ſoli!

γ. Nulli fructus veri floribus ſuccedunt, ſed inferioribus bulbilli, ſuperioribus nulli omnino. Bulbos hos non ſemel vidimus in ipſa planta exſeruiſſe foliolum ovatum parvum, quales depingit *Tournefortius* in *inſtit.* Tab. 291. fig. G. H. I, ut hæc variatio vere *vivipara* dici poſſit.

153. POLYGONUM *oblongo anguſto folio.* Bauh. pin. 281.
Polygonum aviculare. Sp. pl. 519.
α. *Polygonum brevi anguſtoque folio.* Bauh. pin. 281.
β. *Polygonum anguſtis foliis, calycibus purpuraſcentibus,* Dill. app. 65.
γ. *Polygonum lato ſubrotundo folio, flore purpureo.* Rudb. lap. 99.
δ. *Polygonum latifolium.* Bauh. pin. 281.
Polygonum majus. Frank. ſpec. 24. Rudb. hort. 91.
Polygonum folio latiore. Lind. wikſ. 30.
Polygonum mas. Till. ab. 55.
Polygonum. Till. ic. 121.

ε. Frequens eſt planta in deſertis lapponicis.

ζ. Mire variat hæc ſpecies quoad figuram foliorum, e quibus variationibus tot ſpecies confectæ ſunt. Ex. gr. Lykſeliæ occurrebat alia foliis latis, rotundo-ovatis, quæ (γ); in agris vero Novaccolarum alia foliis anguſtis, quæ (β) eſt.

154. HELXINE

154. HELXINE *caule volubili.*
Polygonum Convolvulus. Sp. pl. 522.
Fagopyrum vulgare ſcandens. Tournef. inſt. 511.
Fagopyrum vulgare minus ſcandens. Vail. par. 52.
Convolvulus niger minor, ſemine triangulo. Lind. wikſ. 9.
Convolvulus niger. Rudb. cat. 12. hort. 31. Till. ab. 19.

α. In agris Novaccolarum hæc, ut plures aliæ peregrinæ olim allatæ hodie inquilinarum reliquarum inſtar, Lapponiam pro patria agnoſcit.

β. *Fagopyrum* derivatum a Fago arbore & Πυρὸς cum ſemina hujus plantæ formam Nucum Fagi gerant, quod uti ſimilia ex aliis plantarum nominibus conſarcinata, minus arridet (F. B. 227), ideoque ſynonymon ejus antiquiſſimum præſtat (F. B. 244. 242).

TETRAGYNIA.

155. PARIS *foliis quaternis.* *
Paris quadrifolia. Sp. pl. 526.
Paris Rivini. Rupp. jen. 1. p. 83.
Herba paris. Tournef. inſt. 233. Rudb. cat. 19. hort. 51. Till. ab. 33. ic. 32. Lind. wikſ. 18.
Solanum quadrifolium bacciferum. Bauh. pin. 167.
Aconitum ſalutiferum. Frank. ſpec. 1.

α. In uno alterove loco intra Lapponiæ terminos tantum viſa fuit hæc planta.

β. Modus naſcendi: Radix quodammodo carnoſa, caulis nudus, folia nitida, flos unicus hanc plantam ad Liliaceos ablegant, nec repugnat fructificatio, niſi quod una tertia parte ordinarium numerum ſuperet

peret hæc ſpecies, quam in Liliaceis; hoc tamen in congeneribus non obtinet. Vide C. G. 333.

γ. Nec unicus memorat pharmacopœus, duplam hujus doſin idem præſtare, quod Ipecacuanha in excitando vomitu.

156. ELATINE *foliis oppoſitis.* *

Elatine Hydropiper. Sp. pl. 527.

Hydropiper. Buxb. cent. 2. p. 35. t. 37. f. 3.

Alſinaſtrum ſerpillifolium, flore albo tetrapetalo. Vaill. par. 5. t. 2. f. 2.

α. Ad margines fluvii iſtius vaſtiſſimi Lulenſis non raro ſeſe obtulit.

β. *Hydropiper* Buxb. & *Potamopithys* Buxb. ejuſdem generis ſunt, nomen utrumque dimitto (F. B. 225), & vacuum *Elatines* vocabulum recipio.

γ. Nulla herba, hacce minor, datur in Lapponia, licet nec *Montia* (§ 57.) nec *Scirpus* (§ 21.) nec *Subularia* (§ 253.) nec *Sedum* (§ 196.) maximæ ſint.

157. SAGINA *ramis procumbentibus.*

Sagina procumbens. Sp. pl. 185.

Spergula perennis repens, flore gramineo læte virente. Rupp. jen. 1. p. 66.

Alſinella, muſcoſo flore, repens. Dill. giſſ. 81.

Alſine puſilla, graminea, flore tetrapetalo. Tournef. inſt. 243.

α. In Alpibus communis, in deſertis rara eſt planta.

158. SAGINA *ramis erectis bifloris.*

Stellaria biflora. Sp. pl. 604. Swartz. Act. Holm. 1789. 41. t. 1. f. 1.

α. Hanc in Alpibus aliquoties vidi, haud vero examinavi characterem, exſpectans ſemper perfectiora ſpecimina, quæ deinde nulla omnino inveniri poterant,

β. *Radix*

β. *Radix* perennis, e qua multi ramuli exibant, omnes modo ad basin foliis numerosissimis linearibus acutis, ungue brevioribus instructi, *caules* singuli pollicis transversi longitudine, nudi, in medio tantum duo foliola minutissima exhibentes, e quorum ala ramus exibat uniflorus, antecedenti exacte similis. *Calyx* pentaphyllus acutus. *Petala* quinque, obtusa, vix calyce longiora, truncata, emarginata. *Stamina* decem. *Pistilla*, ni fallor, tria, hinc ad Arenarias vel Alsines referri deberet, cum autem facies hujus, nec petala bipartita, ut Alsines; nec ovata integra, ut Arenariæ; sed truncata exhibeat, ut Saginæ, hic tamdiu illi locum concessi.

SEDI *speciem* 196. vide sub Decandria Pentagynia.

CLASSIS

CLASSIS IX.

ENNEANDRIA.

HEXAGYNIA.

159. BUTOMUS. * Rudb. lap. 96.
Butomus umbellatus. Sp. pl. 532.
Butomus flore roſeo. Tournef. inſt. 271.
Juncus floridus major. Bauh. pin. 12. Rudb. elyſ. 1. p. 109. f. 1.

α. In fluvio Kemenſi tantum nobis viſus eſt.

β. Planta hæc in ſyſtemate naturali ſub Liliaceis omnino comprehendi debet, dictitante hoc corolla, facie & reliquis, licet ſtamina ſint novem, licet fructus in ſex capſulas ſit diviſus.

CLASSIS X.

DECANDRIA.

MONOGYNIA.

160. LEDUM.

Ledum palustre. Sp. pl. 561.
Ledum rosmarini folio. Rupp. jen. 1. p. 113.
Ledum silesiacum. Clus. pan. 69.
Cistus ledon, foliis rorismarini ferrugineis. Bauh. pin. 467.
Myrtus palustris. Lind. wiks. 26.
Spiræa odorata Rivini. Ernd. wars. 117.
Rosmarinus palustris. Till. ab. 59. ic. 158.

α. In paludibus sylvarum ubique copiosissima exsistit.

β. Odor iste singularis totius plantæ, penetrantissimus quidem, sed gravis, movet suspicionem.

γ. Dalekarli superiores interdum hac planta, loco Humuli, utuntur, sed crapulas vehementissimas infert cum temulentia summa & insequenti cæphalalgia difficillima.

δ. Novaccolæ plantam hanc cum collecta messe in struem seu domum miscent, quam mures fugiunt, hinc nec consumunt præmia agricolæ.

ε. Solent etiam rustici per Sueciam decocto hujus plantæ lavare boves & sues morbo pediculari laborantes, quo experimento certissime pereunt pediculi.

ζ. Cha-

ζ. Characterem hujus generis exhibuimus in C. G. 342: qui antea a ſolo Ruppio imperfecte adumbratus.

161. ARBUTUS *caulibus procumbentibus, foliis rugoſis ſerratis.*

Arbutus alpina. Sp. pl. 566.

Vaccinia rubra, foliis myrtinis criſpis. Raj. ſyn. 457.

Vitis idæa prior. Cluſ. pan. 77.

Vitis idæa fructu nigro. Bauh. hiſt. 1. p. 519.

Vitis idæa, foliis oblongis albicantibus. Bauh. pin. 470. Tournef. inſt. 608. Schcuch. alp. 52.

Vitis idæa repens, fructu racemoſo magno nigerrimo. Rudb. it. 9. lap. 100.

Garanas-murie. Lappis. i. e. Corvorum baccæ.

Fiællbær. Dalekarlis. i. e. Baccæ alpinæ κατ' ἐξοχὴν.

α. Per omnes Alpes lapponicas in Dalekarlia ab apice earum uſque ad baſin circa mare album vix alia exſtat vulgatior, præſertim in locis ſabuloſis ſicciſſimiſque.

β. Baccæ paulo ante maturitatem rubræ ſunt, maturo autem partu plane nigræ evadunt; hinc nulli dubitamus, quin hæc noſtra eadem ſit cum Merretti apud Rajum in ſynopſi, locoque citato.

γ. *Cluſius* ſuam optime pinxit, licet folia nimis anguſta ſint & caulis more uſitato erectus exhibeatur.

δ. Mirum eſt, quod Tournefortius hanc ad uvam urſi, ſecundum ſua principia non amandaverit, cum tamen calyx, ut cum eo loquar, non abeat in fructum, ſed piſtillum, & bacca quinque ſemina foveat; quidquid demum ſit, a vacciniis omnino debet diſtingui ut & ſequens planta, vaccinii enim fructus ſemper calyce coronatus eſt; Arbuti non item. Fateor quidem proximam intercedere adfinitatem Vaccinia & Arbutos, ſed præter ſitum iſtum germinis intra vel extra calycem, datur etiam ſingularis quædam nota in Arbuto, cujus ſcilicet corolla ad baſin quinque vel decem obtuſis prominentiis fere pellucidis

cidis & melliferis notatur (F. B. 171); cortex dein deciduus, fructus ficcior faciefque externa, Arbutos a Vacciniis diftinguunt. *Uva Urfi* autem non debet feparari ab Arbuto, ob feminum numerum minorem, flore (F. B. 176. 173.) facieque idem confirmante (F. B. 168).

ε. Defcriptionem, cum planta fit alpina, adponimus.

Radix lignofa, perennis, fufca.

Caules vel potius *Rami*, plures, lignofi, procumbentes, diffufi, teretes, inæquales a corticibus annuis deciduis, fubfufci, pedales, perennes, undique præfertim in parte fuperiori foliis & foliorum emarcidorum fcelctis tecti.

Folia in fummis ramis fex ad duodecim ufque, ovato-oblonga, in petiolos attenuata, quorum apices obtufe prominent, margines fubtiliffime obtufe & æqualiter ferrati, petioli raris villis adfperfi; oppofita, non decidua, annua tamen, fuperne fecundum venas fulcata, inferne prominula, reticularibus venis picta.

Racemus ex apice ramulorum prodit reflexus, fimplex, flofculis nonnullis inftructus.

Floris Corolla incarnato-pallida, Bacca globofa, glabra, atra, quinquelocularis, femina quinque.

ζ. Baccas Lappones vilipendunt.

162. ARBUTUS *caulibus procumbentibus, foliis integerrimis.* Tab. VI. fig. 3.

Arbutus Uva urfi. Sp. pl. 566.

Myrtillus ruber major, fructu farinaceo. Rudb. cat. 29. hort. 77. Brom. goth. 71.

Myrtillus major & minor. Till. ab. 47.

Myrtillus ruber minor humi ferpens, fructu farinaceo, feu Vaccinia farinacea rubra minora, foliis anguftioribus. Brom. goth. 71.

Vaccinia rubra farinacea minora. Frank. fpec. 38.

Vaccinia rubra farinacea majora rotundifolia. Frank. fpec. 38.

Vitis idæa, foliis oblongis acuminatis, baccis rubris insipidis. Bauh. pin. 470. Rudb. it. 9.

Vitis idæa repens, fructu rubro farinaceo. Lind. wikf. 40.

Uva ursi. Tournef. inst. 599. Clus. hist. 63. Lob. obs. 547.

Vitis idæa, foliis carnosis & veluti punctatis. Bauh. pin. 470.

Micelbær Suecis. i. e. Baccæ farinosæ.

α. In Alpibus & desertis Lapponiæ, nec non per totam Sueciam in locis aridissimis, sterilissimis & sabulosis vulgatissima est hæc apud exteros minus cognita planta.

β. *Baccæ* rubræ repræsentant baccas Vaccinii (§ 144.) ut & tota planta, vixque distingui possunt inter se (nisi quod hæc ramis suis longius serpat) a Botanices ignoto, præterquam ex sapore baccarum referente in hac farinam siccam tota sua pulpa, adeoque nunquam eduntur.

γ. *Folia* colliguntur cum ramulis a septentrionalibus nostris in magna copia, Holmiamque mittuntur, ubi a coriariis emuntur, quibus tanquam Rhus inservit.

δ. Puto *uvam ursi* Tournef. eandem cum nostra plantam esse, descriptiones authorum enim conveniunt exacte, nec figuræ repugnant, licet minus absolutæ, licet nulla mentio fiat de pulpa farinacea baccarum. Ex Galliis deinde eadem planta pro uva ursi ad nos missa fuit, hinc inquirant Botanici, quibus uvam ursi visendi datur occasio, num fructus uvæ ursi sit farinaceus; quod si sit, absolute eandem cum nostra esse speciem statuere liceat.

ε. *Radix* lignosa, perennis, fusca.

Caules plures, diffusi, procumbentes, pedales vel tripedales, teretes, parum inæquales, perennes, in junioribus præsertim rubentes, cortice deciduo, ramosi.

Folia verticaliter ovata, opposita, in petiolos totidem breves desinentia, glabra, perennia, venis nec

nec ſupra nec infra prominentibus utrinque inſcripta; margine integerrimo reflexo & fere pubeſcente.

Racemus ex apice ramorum prodit ſimplex, reflexus, duos ad octo uſque flores colligens, quorum ſinguli proprio pedunculo inſident, ſub ſingulo flore ſquamula poſita eſt.

Floris Calyx minimus, quinquefidus, obtuſus, perſiſtens, purpuraſcens. Corolla ovata, alba, ore quinquedentato reflexo obtuſo incarnato. Stamina decem; Antheris duabus ſetis notatis. Germen ovatum; Stylus ſtaminibus longior; Stigma obtuſum. Bacca globoſa glabra, pulpa ſicca repleta.

VACCINII *ſpeciem* § 143. vide ſub Octandria Monogynia.

163. ANDROMEDA *foliis alternis lanceolatis, margine reflexis.* Tab. I. fig. 2.

Andromeda polifolia. Sp. pl. 564.

Ledum paluſtre noſtras, arbuti flore. Raj. ſyn. 472.

Viti idææ affinis polifolia montana. Bauh. hiſt. 1. p. 527.

Poliifolia. Buxb. Comm. Petrop. 2 (1727). 345.

Erica paluſtris, flore purpuraſcente pendulo, petiolo longo rubro, roſmarini folio. Rudb. lap. 97.

Erica humilis, Roſmarini foliis, Unedonis flore, capſula ciſtoide. Pluk. phyt. 175. f. 1.

α. In deſertis ſubhumidis muſcoſis & paludoſis, etiam in Alpibus, immo per totam Sueciam, mixta Vaccinio (§ 145.) creſcit.

β. Num hæc planta ab Erica genere diſtingui debeat, cum ſuis adfinibus, non adeo facile determinatur, cum ordo naturalis in his quoad pauciſſima omnino differat. Ex. gr.

Vaccinium gerit baccam infra receptaculum floris.

Arbutus quoad omnia Vaccinio ſimillima, niſi quo bacca ſit ſupra calycem poſita.

Andromeda Arbuto ſimillima, ſed fructus eſt capſula membranacea.

Pyrola præcedenti ſimilis, niſi quod corolla ſit pentapetala, at in illa monopetala.

Erica autem differt ab Andromeda in eo ſolum, quod Calyx magnitudine fere excedat corollam & Corolla leviter difformis ſit. Sed an hæc tanti! Et an hæ notæ in omnibus ſpeciebus obtineant, limiteſque certos ponant, docebunt collati flores plurium ſpecierum utriuſque generis, & determinabit dies.

(Differentiam aliam inter Ericam & Andromedas veras omnes nuper invenit egregius *Gærtner* (Sem. p. 302, 304). quod ſcilicet in his diſſepimenta medio valvularum affixa ſunt, in Ericâ vero ſuturis oppoſita, vel ex valvularum margine inflexo formata. Hoc ipſe etiam vidi, ſed non diſſimulandum eſt Ericas alias, e. g. E. mucoſam, & E. cineream, capſulâ Andromedæ gaudere). *J. E. Smith.*

Tournefortius conjunxit genus Andromedæ cum ERICA. *Rajus* diſtinxit ſub nomine LEDI; *Ruppius* ſub Ericæ ſpuriæ ſeu TETRALICIS; *Buxbaumius* ſub CHAMÆDAPHNES, & POLIFOLIÆ; *Heiſterus* ſub ERICOIDIS; *Michelius* ſub LEDI: *Dillenio* placeret ſub ERICONIÆ nomine diſtincte tradere hocce genus. Adeoque videmus principes noſtros recentioreſque Botanicos omnes quaſi uno ore ſeparare Ericam ab hac noſtra, quorum veſtigia & nos ſecuti ſumus.

γ. In nomine huic generi imponendo minime conveniunt authores, ſed tot fere reliquere nobis nomina, quot libros; ego nullum eorum reperio mihi gratum. *Ledum* enim excludo, cum ſit alius plantæ nomen (F. B. 214.243), *Chamædaphne* & *Pſeudo-Erica* (F. B. 225.) *Polifolia* (F. B. 227.) *Tetralix* (F. B. 232.) & *Ericoides* perſiſtere nequeunt.

δ. *Andro-*

δ. *Andromeda*, virgo hæc lectiſſima pulcherrimaque collo ſuperbit alto & vividiſſimo (*pedunculus*), cujus facies roſeis ſuis labellis (*corolla*) vel optimum veneris fucum longe ſuperat; juncea hæc in genua projecta pedibus alligata (*caulis inferior incumbens*), aqua (*vernali*) cincta, rupi (*monticulo*) adfixa, horridis Draconibus (*amphibiis*) expoſita, terram verſus inclinat mœſtam faciem (*florem*), innocentiſſimaque brachia (*ramos*) cœlum verſus erigit, meliori ſede fatoque digniſſima, donec gratiſſimus Perſeus (*æſtas*) monſtris devictis, eam ex aqua eduxit e virgine factam fœcundam matrem, quæ tum faciem (*fructum*) erectam extollit. Si Ovidio fabulam de Andromeda conſcribenti hæc ante oculos poſita fuiſſet planta, vix melius quadrarent attributa, qui more poëtico ex humili tumulo produxiſſet Olympum.

ε. In ſylvis ſæpius gaudet floribus plurimis, in Alpium finitimis noſtris communiter unico modo flore, ut in figura repræſentatur, ſuperbit, qui ſi colorem conſideres, vix in hiſce oris ſibi parem habet.

164. ANDROMEDA *foliis linearibus obtuſis ſparſis.* Tab. I. fig. 5.
Andromeda cærulea. Sp. pl. 563.
Erica rarior Norvegica. Mart. burſ. 535.
Erica flore purpuraſcente pendulo, petiolo longo rubro, piceæ folio. Rudb. lap. 97.
Erica lapponica, camarinnæ foliis. Petiv. hort. 244.

α. Ubique occurrit hæc planta in Alpibus noſtris, extra quas nunquam eam vidimus, niſi in adjacentibus montibus rarius.

β. Planta hæc, licet ter antea nominata, etiamnum nova eſt, cum deſcriptio & figura deſideratur, quam utramque hic adponimus. Ex noſtris Alpibus eandem habuit Petiverus per Rudbeckium & Burſerus per Sperlingium.

γ. *Radix* lignosa, fibrosa, perennis.

Caules fere procumbentes, ad summum pedales, scabri, fusci, in varios *ramos* divisi, qui e caule ad genicula annotina (ut in Pinu) exeunt plures, caule erectiores, longitudine fere æquales.

Folia linearia, latitudine lineæ, obtusa, longitudine dimidii unguis, numerosa, conferta, undique sparsa per ramulos anni præsentis, unius vel duorum annorum antecedentium, superne viridia glabra nitida, inferne pallide viridia, petiolis vix conspicuis adnexa, per duos annos persistentia.

Pedunculi duo ad quinque ex apicibus ramulorum anni præteriti egrediuntur simplices, erecti, longitudine pollicis, filiformes, parum hispidi, purpurei, quibus singulis unicus insidet flos.

Floris Calyx purpureus, hispidus, minimus; Corolla ovata, longitudine unguis, leviter pentagona, intense cærulea (recentissima fere violacea), ore fere contracto, quinquefido, obtuso, emarginato, reflexo. *Fructus* Capsula emarginata est & oblonga, pentagona, stylum erectum retinens. Reliqua vide in charactere.

Ex eodem, quo flores hoc anno prodeunt, apice, sequenti anno rami exsurgunt.

δ. Capsulæ dissepimenta e marginibus valvularum inflexis in hâc specie et in Andromedâ *Daboeciâ*, Syst. Veg. utraque ideo ad Ericas amandanda. *J. E. Smith.*

165. ANDROMEDA *foliis aciformibus confertis.* Tab. I. fig. 3.

Andromeda hypnoides. Sp. pl. 563.

Erica flore variegato pendulo, petiolo longo rubro, coris folio. Rudb. lap. 97.

α. Inter omnium vulgatissimas plantas, per Alpes nostras, merito numerari potest hæc in siccissimis & glareosis crescens locis.

β. Florens,

β. Florens, mirum in modum jucundiſſimo florum ſuorum colore, ſpectatorem allicit. Extra floreſcentiam vix diſtingueres eam a Bryo aliquo vel tenuiſſimo Lycopodio.

γ. Cum neque hæc deſcripta vel depicta ſit ab ullo, ejus adumbrationem trado.

Radix perennis, lignoſa, fibroſa, tenuis.

Caules & *Rami* inordinati, filiformes, plurimi, ſpithamæi, procumbentes, undique diſperſi.

Folia tenuiſſima, acuta, mollia, ſurſum leviter flexa, conferta, ramos tegentia, longitudine lineæ.

Pedunculus ſolitarius, ex apice ſinguli rami unicus, erectus, rectus, longitudine dimidii unguis, filiformis, purpureus, ſuſtinens florem unicum nutantem.

Floris Calyx purpureus, Corolla globoſo-campanulata, ſemiquinquefida, colore incarnato ſeu vivido, apicibus acutis, rectis, rubentibus.

Fructus Capſula fere globoſa, erecta (omnino Andromedæ. *J. E. Smith).*

166. ANDROMEDA *foliis triquetre imbricatis obtuſis, ex alis florens.* Tab. I. fig. 4.

Andromeda tetragona. Sp. pl. 563.

Andromeda foliis imbricatis obtuſis, in triquetrum poſitis. F. L. 53.

α. Plantam hanc ſemel modo in Alpibus noſtris inveni, & quidem per quatuor horarum ſpatium a monte notiſſimo Wallivari in diſtrictu Lulenſi, verſus plagam inter ſeptentrionalem & occidentalem mediam, ibique in magna copia.

β. Dum nocte media, an noctem dicam, ſole orbem illuminante nec occidente, citato gradu cum interprete ſollicitus de invenienda caſa Lapponis (quam per horas duas vix diſtare noveram, licet locum neſcirem) pergebam ſudore diffluens, ventoque frigido & adverſo agitatus, ecce undique conjiciens

 avidos

avidos oculos umbræ instar adspexi hanc plantam, cito autem pergens pro Empetro habui; sed post aliquot passuum distantiam, nescio quid peregrini obversabatur menti, redibam & iterum esse Empetrum putassem nisi altitudo in hac major attentum advocasset animum. Fugit me quid sit, quod visum in Alpibus nostris, tempore nocturno, ita confundit, ut non tanta claritate possimus objecta distinguere ac media die, licet sol æque clarus exsistat: Sol enim horizonti proximus radios horizontales dispergens vix pileo ab oculis abigi potest; umbræ dein herbarum extenduntur in infinitum & implicantur inter se, tremunt deinde spirante aquilone, ut vix videre & distinguere queamus objecta diversissima. Lecta semel planta unica, inquirebam plures in vicinia prodeuntes, ad partem septentrionalem omnes, & illæ haud ita paucæ conspiciebantur, nec ullæ in alio a nobis postea visæ fuere loco. Tum temporis omnes flores suos dejecerant, & fructui maturando intentæ erant hæ herbæ, unicum, postquam diutissime quæsivissem, inveni florem eumque album forma Convallariæ (§ 112), sed quinque laciniis acutioribus divisum.

γ. Descriptio hæc est.

Radix lignosa, crassiuscula, perennis, nigra.

Caules plures, in varios ramos subdivisi, ubique figura & magnitudine fili crassi, fusci, lignosi, nec erecti, nec procumbentes, sed debiles, bipedales, læves.

Folia semuncialia Scheuch. hist.) sessilia, oblonga, biennia, obtusa, fere carnosa, subtus convexa, superne versus basin excavata, imbricatim incumbentia, opposita oppositionibus proximis, ut rami his foliis in triquetrum positis & imbricatis tecti conspiciantur.

Pedunculus solitarius, longitudine pollicis transversi, erectus, filiformis, albicans, ex ala folii anni præcedentis ortus, ad basin quatuor squamulis

mulis acutis, intra ſinum folii, obvolutus, non raro etiam in medio ſquamulis duabus oppoſitis ornatus, ſuſtinens florem nutantem. Pedunculi hi, licet in eodem ramo plures, octo ſcilicet ad viginti uſque occurrant, non tamen ex omni ala prodeunt.

Floris Calyx incarnatus fere, Corolla campanulata, ſemiquinquefida, laciniis acutis rectis. Antheræ decem, flaveſcentes, vix calyce breviſſimo longiores. Stylus albus, corollâ paulo brevior.

Fructus Capſula ſubrotunda, quinquelocularis, calyce inſidens, ſtylo inſtructa.

Si hæc planta viſa fuiſſet a Rudbeckio, facile illam dixiſſem Ericam lapponicam Camarinnæ (*Empetri)* folio Petiv. quam a Rudbeckio habuit, fuiſſe eandem ob ſummam cum Empetro convenientiam; cum autem ipſi nota non fuerit, eſt illa (§ 164. β) Petiveri, nec hæc planta.

Caveant Syſtematici in conſtituendo charactere, ne cum aliis nimium confidant figuræ corollæ, quæ in hac & proxime præcedenti ultima campanulata eſt; in duabus præcedentibus ovata; in aliis globoſa (Tetralice Ruppii); in aliis alia; ne exinde plura, quam debent, conficiant genera.

167. PYROLA *ſcapo unifloro.* *

Pyrola uniflora. Sp. pl. 568.
Pyrola flore ſingulari. Riv. pent.
Pyrola uniflora. Lind. wikſ. 31.
Pyrola uniflora minima. Rudb. cat. 35. hort. 95.
Pyrola rotundifolia minor. Bauh. pin. 191.
Pyrola minor. Frank. ſpec. 25.

α. In Alpibus noſtris rarius, in ſylvis ubique reperitur hæc planta.

β. Floris hujus corolla æqualis eſt ut & piſtillum, *ſtamina* vero inæqualia quoad ſitum, communiter enim primo petalo incumbit ſtamen unicum, ſecundo duo, tertio tria, quarto unum, quinto tria.

γ. *Stigma*

γ. *Stigma* Piſtilli gerit formam coronæ ex quinque radiis conſtructæ acutæ & magnæ, quod in reliquis ſpeciebus non conſpicitur.
δ. Flores odorem ſpirant Convallariæ majalis gratiſſimum. *J. E. Smith.*

168. PYROLA *floribus uno verſu ſparſis.* *
Pyrola ſecunda. Sp. pl. 567.
Pyrola folio mucronato ſerrato. Bauh. pin. 191.
Pyrola folio mucronato. Riv. pent.
Pyrola tenerior. Cluſ. pan. 506.
Pyrola minor. Rudb. cat. 35. Till. ab. 56.
Pyrola minor umbellata. Rudb. hort. 95.
Pyrola pyrifolia fruteſcens. Lind. wikſ. 31.
α. In ſylvis omnibus vulgatiſſima eſt.
β. In hoc genere facillimum eſt tradere veras differentias (F. B. 257, 258.), præſertim ſynopticas (F. B. 289.), quas in hoc genere exhibui, eſſentiales eſſe puto (F. B. 290).

169. PYROLA *ſtaminibus & piſtillis declinatis.* *
Pyrola rotundifolia. Sp. pl. 567.
Pyrola rotundifolia major. Bauh. pin. 191.
Pyrola major rotundifolia. Frank. ſpec. 25.
Pyrola vulgaris major. Rudb. cat. 35. hort. 95. Till. ab. 56.
Pyrola cauliflora latifolia. Lind. wikſ. 31.
Pyrola. Till. ic. 9. Riv. pent.
Pyrola folio rotundo. Riv. pent.
Pyrola folio obtuſo. Riv. pent.
α. In ſylvis ſæpius obvia eſt.
β. Pyrolæ omnes amant loca dura & umbroſa, hinc ſemper in ſylvis opacis, vix unquam in pratis leguntur.
γ. Stamina & piſtillum in ſingulo flore ad marginem ſeu latus inferius uno verſu declinata ſunt, flores autem per ſcapum undique ſparſi, folia ſæpius ſubrotunda, ſed formam facile mutantia.

 DIGYNIA.

D I G Y N I A.

170. DIANTHUS *petalis multifidis.*
Dianthus ſuperbus. Sp. pl. 589.
Caryophyllus ſylveſtris alter, flore laciniato odoratiſſimo. Bauh. pin. 210.
Caryophyllus ſylveſtris, flore laciniato carneo. Beſſ. eyſt. æſt. 14. fol. 13.
Caryophylleus VI. Cluſ. pan. 323.
Superba auſtriaca Cluſii. Lob. ic. 451.
α. In Lapponia Tornoenſi ſemel lecta fuit planta hæc, quæ in Suecia rara, in Finlandia vulgatiſſima, quam per totam viam videre licuit nobis per varios caſus, per tot diſcrimina rerum tendentibus in portum. (Prope Torneam & Kemi legit Olaus Swartz. *Herb. Linn. fil.*)
β. *Dianthus* quaſi flos Jovis ſeu Flos Deorum dicitur hoc genus, ab eximio florum in certis ſpeciebus odore & colore, quod nomen etiam antiquum ſynonymon eſt (F. B. 242). *Caryophyllus* enim nobis eſt (C. G. 435.) caryophyllus aromaticus Tournef. cum unum nomen duobus generibus diverſis concedi nequeat (F. B. 217), nec *Clavus* Dillenii, *Tunica* Ruppii ab aliis receptum ſit nomen, Dianthum ſubſtituo.

171. SAPONARIA *foliis linearibus.*
Gypſophila muralis. Sp. pl. 583.
? *Lychnis annua minima, flore carneo lineis purpureis diſtincto.* Tournef. inſt. 338.
? *Caryophyllus minimus muralis.* Bauh. pin. 211.
α. In ſeptentrionali Alpium lapponicarum parte inter Lapponiam & Finmarkiam Norvegicam ſemel hanc legi in itinere.

β. Omnem

β. Omnem Veterum Lychnidem ſtylis duobus gaudentem Saponariam voco.

γ. Planta noſtra & planta ſub allegatis Synonymis deſcripta quodammodo ſimiles ſunt, num autem ſint omnino unius ejuſdemque ſpeciei, certo dicere hoc tempore nequeo. Noſtra enim longe minor eſt & ejus petala magis acuta, ut vel diverſam crederem plantam, vel per culturam mire variatam, quod heic loci deſtitutus altera vix determinare queo, data occaſione accuratius examen inſtituam.

172. SAXIFRAGA *foliis palmatis, caule ſimplici unifloro.* * Tab. II. fig. 4.
Saxifraga cernua. Sp. pl. 577.
Saxifraga caule ſimplici unifloro, foliis palmatis, alis bulbiferis. F. L. 53.

α. In omnibus noſtris Alpibus vulgatiſſima eſt planta, extra eas eandem nunquam vidimus. Semper in locis aqua irrigatis occurrit.

β. Protrahimus e Lapponia alpina octo hujus generis diſtinctas ſpecies, quarum omnes Suecis ignotæ ſunt, excepta proxima ſequente (§ 173); contra vero in Suecia ubique occurrit *ſaxifraga rotundifolia alba C. Bauh.* quæ nunquam Lapponibus innotuit.

γ. Deſcriptio noſtræ plantæ ita ſe habet.

Radix granulata.

Caulis unicus, ſimpliciſſimus, erectus, ſpithamæus, Rami nulli.

Folia octo ad ſedecim, caulina, alterna, quorum inferiora petiolata, ſuperiora ſeſſilia, inferiora ad inſertionem petioli ſinuata, dehinc palmata margine integro, quorum infima in ſeptem, media in quinque, quæ illa excipiunt in tres lobos diviſa, tandem ſuperiora integra, lanceolata, omnia glabra.

Flos unicus caulem terminat, antequam explicatur ſemper nutat, cujus Calyx viridis, leviſſime hiſpidus, Petala vero erecta, obtuſa, alba.

Bulbi

Bulbi in fingula ala fuperiorum foliorum nonnulli parvi fubrotundi, rufefcentes, in foliorum fupremorum alis majores, in inferiorum alis minores.

δ. Curiofa eft confideratio bulborum in certis plantis. Ex. gr. In *Allio* vertuntur *Flores* in bulbos. In *Lilii* fpecie bulbi *ex alis* foliorum prodeuntes repræfentant bulbum fquamofum radicis. In *Dentaria* & in *hac* bulbi in alis. In *Biftorta* capfulæ mutantur in bulbos (§ 152). In his omnibus vix unquam maturefcit fructus, nifi rarius in Dentaria, hinc pro confervanda fpecie neceffarii videntur. Noftra planta femper in Lapponia abortat. Bulbi in hac planta communiter rubri funt, forma, colore & fæpe numero antherarum floris, an itaque antheræ hic in bulbos vertuntur? In *Braffica* per hyemem fepulta fub arena, vernali tempore extracta, bulbi nigri forma feminum Braffica foliis putrefactis copiofe infident, fed femina non funt, cum vitello bifido deftituantur *.

173. SAXIFRAGA *foliis omnibus trilobis ad bafin anguftis, caule erecto.*

Saxifraga tridactylites. Sp. pl. 578.

Saxifraga verna annua humilior. Tournef. inft. 252.

Sedum tridactylites tectorum. Bauh. pin. 285.

α. ? *Saxifraga alba petræa.* Pon. bald. 337.

Sedum tridactylites alpinum majus album. Bauh. pin. 284.

Saxifraga petræa. Sp. pl. 578.

β. In Alpibus noftris, ubi Natura cryptis montium rupibufque lufit, præfertim legitur; in Suecia apud Fodinam Dannemorenfem & alibi occurrit.

γ. *Variat* caule ramofiori diffufiori cum foliis villofis & caule erectiori minus ramofo foliis glabris,

* *Sphæria Braffica.* Dickf. Fafc. Crypt. I. 23. *J. E. Smith.*

qualis

qualis noſtra ſæpius eſt, hinc illam (α) pro variatione, non pro diſtincta ſpecie habemus.

δ. In hac, capſula fere tota ſub receptaculo floris poſita eſt; in aliis (§ 175) tota ſupra receptaculum collocatur; in aliis vero capſulæ media pars receptaculo hocce cingitur. Vana itaque eſt diviſio iſta hujus generis in duo diſtincta, ſcilicet in *Geum*, ubi capſula ponitur ſupra receptaculum; & in *Saxifragam*, ubi a receptaculo cingitur; Genera enim omnia naturalia ſunt (S. N. Veg. 14).

173*. SAXIFRAGA *foliis radicalibus aggregatis linearibus integris trifidiſque, caule erecto ſubnudo ſubbifloro.*

Saxifraga cæſpitoſa. Sp. pl. 578. Fl. Suec. 2. n. 376.

α. In Alpibus Tornoenſibus, P. Adlerheim; Lulenſibus, L. Montin. *Fl. Suec.*

174. SAXIFRAGA *foliis radicalibus quinquelobis, florali ovato.* * Tab. II. fig. 7.

Saxifraga rivularis. Sp. pl. 577.

Saxifraga foliis palmatis, ſupremo cordiformi. F. L. 53.

α. Occurrit tantummodo in Alpibus, præſertim ad earum latera, juxta rivulos in locis ſubhumidis. Inter omnes noſtras Saxifragas nulla hacce rarius viſa fuit.

β. *Radix* fibroſa & annua videtur.

Caulis unus, interdum plures, digitales, glabri, molliuſculi, filiformes, fere recti, communiter ſimplices.

Folia Radicalia plura, petiolis longitudine fere caulis inſidentia, prima minora, ſæpe triloba, poſteriora quinqueloba, laciniis fere ovatis, glabra, ad baſin emarginata; *Caulina* pauciſſima, ſemper quinqueloba; *Florale* unicum ſimpliciſſimum ovatum, petiolo breviſſimo ſuſtentatum.

Flores

Flores duo ad quinque, pedunculis minutiſſimis ſuſtinentur, fere ſeſſiles, conferti, caulem terminantes; Petalis parvis, ovatis, albis, inſtructi; quorum capſula a receptaculo cingitur.

γ. In Monte *Ben Nevis* Scotiæ hanc plantam primus in Britanniâ invenit anno 1790 D. Robertus Townſon. *J. E. Smith.*

175. SAXIFRAGA *caule nudo ſimplici, foliis lanceolatis dentatis, petalis acutis.* *

Saxifraga ſtellaris. Sp. pl. 573.

Geum paluſtre minus, foliis oblongis crenatis. Tournef. inſt. 252. Scheuch. alp. 37. 335.

Sanicula myoſotis floribus albicantibus, fere umbellatis. Pluk. phyt. 58. f. 2. & p. 222. f. 4.

Saniculæ alpinæ aliquatenus affinis. Bauh. hiſt. 3. p. 708.

Sedum montanum hirſutum, mucronato & dentato folio, flore albo guttato. Moriſ. hiſt. 3. p. 478. ſ. 12. t. 9. f. 13.

Planta foliis aloës. Mart. ſpitzb. 42. t. G. a.

Lappſka Stiærnor. Suetice.

α. In Alpibus noſtris ubique exſtat ad rivulos aqua nivali repletos & Mnio refertos. Rarius extra Alpes per ſemina delata pronaſcens conſpicitur, ut ad fodinam cupri Kengis, &c.

β. Deſcriptionem hujus plantæ tradere Botanicis ſuperfluum eſſe novi, in gratiam tamen eorum, qui per iſta loca plantas quærere non recuſant, paucis illam addam.

Folia radici incumbunt plurima, oblonga, fere lanceolata, verſus baſin anguſtiora, duplici communiter ſerratura acuta utrinque prope ſummitatem notata.

Caulis ſimplex, digitalis longitudinis, nudus, tres vel quinque flores, totidem pedunculis brevibus inſidentes apice ſuo ſuſtinens.

Floris Corolla eſt nivea, plana & eleganter ſtellaris, cujus

cujus petalum ſingulum utrinque lanceolato-acuminatum, album, prope baſin punctis duobus oblongis fulvis pingitur, quæ perbelle florem ornant. Antheræ purpuraſcentes ſunt.

γ. *Varietatem* inſignem, in gratiam Botanophilorum (F. B. 43), qui variationibus adeo delectantur, præterire nolo; quæ eſt

Saxifraga caule nudo ſimplici, foliis dentatis, coma folioloſa. Tab. II. fig. 3.

hæc in Alpibus noſtris vulgatiſſima eſt, & me detinuit diu dubium, donec tandem una alterave unico in ſummitate paniculæ flore inſtructa ſe ejuſdem eſſe probavit familiæ, cum deſcripta, quam folia radicalia indicabant.

Folia hujus & antecedentis plane conveniunt, ſed ſerraturæ iſtæ foliorum radicalium profundiores obtuſiores & utrinque tres. *Caulis* duplo longior, ſuperne in paniculam diviſus, gerens foliola ovata, vix nudis oculis viſibilia, conferta, adeo ut ultimæ ramificationes undique tectæ eſſent.

δ. Floris facies accedit proxime ad *Saxifragam foliis reniformibus crenatis* * *Geum rotundifolium majus* T. *Saniculam montanam rotundifoliam majorem* C. B. ſed petala alba punctis plurimis minimis rubris in iſta pinguntur.

176. SAXIFRAGA *caule nudo ſimplici, foliis elliptico-ſubrotundis crenatis, floribus capitatis.* * Tab. II. fig. 5. & 6.

Saxifraga nivalis. Sp. pl. 573.

Saxifraga foliis oblongo-rotundis dentatis, floribus compactis. Raj. ſyn. 354. t. 16. f. 1.

Sempervivum minus dentatum. Mart. Spitzb. 43. t. F. f. a.

Cotyledon altera, olim Matthiolo. Bauh. hiſt. 3. p. 684. quoad figuram (vix. *J. E. Smith*).

α. Ubique in Alpibus noſtris, ubi aqua nivalis pedetentim declivia madefacit, conſpicitur.

β. Nullam

β. Nullam novi plantam in frigidiſſima noſtra Lapponia, quæ hac herba facilius ſuſtineat frigus; vidi enim eandem natam ac læte florentem ſub nive iſta æterna, quam nec ſol, nec pluviæ reſolvunt, & quidem ad marginem nivis induratæ ubi hæc parum dehiſcit a ſuperficie terræ, ut prope Wiryaur, &c.

γ. Mirum in modum *variat* hæc planta, quoad ſtaturam & faciem, ut quis minus cautus facile crederet ſe plures habere ſpecies, dum unicam tenet.

1. Interdum enim parva exſiſtit, foliis cordatis, floribus in capitulum ſubrotundum collectis, folio lineari ſpicæ ſubjecto. Vid. Tab. II. fig. 6.
2. Interdum unicum tantummodo florem tenui inſidentem ſcapo promit, ut in inſula prope cataractam iſtam omnium facile principem Kukulakoſki in diſtrictu Tornoenſi.
3. Aliquando flores geminos exhibet, ſingulum ſingulo ſcapo inſidentem, altero tamen ſcapo breviore, ut in Herwivari, monte Tornoenſi.
4. Aliquando plures flores e ſcapi ſummitate profert, pedunculis æqualibus in formam umbellulæ diſpoſitis inſidentes, Androſaces inſtar. Vid. Tab. II. fig. 5.
5. Sæpe etiam duplo major ſolito evadit, ſpicamque ex aliis brevioribus compoſitam profert, qualis depingitur in *Raj. ſyn.* & ſæpius ſub nive conſpicitur (β).

δ. Prodit tamen facile hæc planta familiam ſuam, ſub quacunque demum lateat larva, foliis radicalibus inferne rubeſcentibus & piſtillis purpuraſcentibus.

ε. *Radix* fibroſa eſt.
Folia radicalia omnia cordata, obtuſa, undique crenata, terræ incumbentia.
Scapus nudus, ſimpliciſſimus, digitalis, quodammodo hiſpidus, leviſſime purpuraſcens.
Corolla obtuſa, & alba eſt.

ζ. Secundum principia Tournefortii (§ 173. δ) debet

L hæc

hæc planta ad Saxifragas, non autem ad Gea referri, cum capſula maxima ex parte infra receptaculum floris lateat.

η. Facies proxime accedit ad *Saxifragam caule nudo, foliis cordato-ſubrotundis, petalis obtuſis.* * *Saxifragam foliis ſubrotundis ſerratis.* T. *Cotyledonem minorem foliis ſubrotundis ſerratis.* C. B. cujus folia etiam inferne rubeſcunt, & caulis ante floreſcentiam nutat, floreſque pedunculo proprio gerit.

177. SAXIFRAGA *foliis radicalibus in orbem poſitis, ſerraturis cartilaginoſis.* * Tab. II. fig. 2.
Saxifraga Cotyledon. Sp. pl. 570.
Sedum montanum roſeum ſerratum, foliis ſubrotundis. Barrel. ic. 1310.

α. In Alpibus noſtris omnium rariſſima eſt; & inter plantas ultimo in Alpibus florentes numerari poteſt; eandem enim florentem collegit D. *Svanberg*, Præfect. Rei metallicæ, circa finem menſis Auguſti eamque ad me miſit, quum eo jucundo comite vix explicatos habere potuerim flores.

β. Species hæc variat admodum foliorum figura nunc ſubrotunda, nunc oblonga, hinc tot ſuperfluæ conſtituuntur ſpecies. Ex. gr.
1. *Barrelieri* nominata.
2. *Saxifraga ſedi folio, flore albo, multiflora.* Tournef. inſt. 252. Scheuch. alp. 68. edit. prima.
3. *Saxifraga ſedi folio pyrenaica ſerrata.* Tournef. inſt. 252.
4. *Saxifraga ſedi folio anguſtiore ſerrato.* Tournef. inſt. 252. *Cotyledon media, foliis oblongis ſerratis.* Bauh. pin. 285.

γ. Noſtra ſic ſe habet.
Radix fibroſa, perennis.
Folia Radicalia oblongo-ovata, carnoſa, margine cartilagineo, ſerrato-crenato (maxillæ anſerinæ inſtar), in orbem diſpoſita, inferiora breviora, ſuperius

ſuperius plana, inferius convexa. *Caulina* minima, oblonga, hiſpida.

Caulis e centro orbis foliorum prodit, ſpithamæus, erectus, hiſpidus, rufeſcens, foliis alternis admodum raris inſtructus. *Ramus* nudus, filiformis, ſolitarius, digitalis (quo ſuperior, eo brevior), e ſinu ſinguli folii caulini oritur. Rami hi eodem modo foliis tribus ad ſeptem linearibus inveſtiuntur & e ſingulo folii hujus ſinu pedunculum uniflorum exſerunt.

Floris Petala alba ſunt & tribus nervis longitudinalibus inſtructa; *Fructus* præterea ad maximam partem ſub receptaculo floris latet.

δ. *Facies* foliorum hujus plantæ maximam habet ſimilitudinem cum Sempervivis, uti ſpecies hujus generis ultima (§ 179) cum Sedis.

178. SAXIFRAGA *foliis ſubulatis ſparſis.* *

Saxifraga aizoides. Sp. pl. 576.

Saxifraga alpina, anguſto folio, flore luteo guttato. Raj. ſyn. 353.

Sedum alpinum, floribus luteis maculoſis. Bauh. pin. 284.

Sedum alpinum, flore pallido. Bauh. pin. 284.

Sedum alpinum primum. Cluſ. pan. 485. fig.

α. In petris Alpium rupibuſque earum frequens eſt, incipiens florere circa decimum quartum Julii, deſinebat circa finem ejuſdem menſis per omnes Alpes.

β. *Petala* flava ſunt & communiter punctis fulvis adſperſa, interdum tamen non; hinc duæ quibuſdam ſpecies pro una habentur.

178*. SAXIFRAGA *foliis caulinis lanceolatis alternis nudis inermibus, caule erecto.*

Saxifraga Hirculus. Sp. pl. 576. Fl. ſuec. ed. 2. n. 370.

α. In Lapponiâ Tornoenſi legit P. Adlerheim. *Fl. ſuec.*

179. SAXIFRAGA *foliis ovatis quadrangulato-imbricatis, ramis procumbentibus.* *
Saxifraga oppositifolia. Sp. pl. 575. Sowerb. engl. bot. t. 9.
Planta sedo saxatili similis. Mart. spitzb. 46. tab. F. fig. c.
α. *Saxifraga alpina ericoides, flore purpurascente.* Tournef. inst. 253. Scheuch. alp. 48.
Sedum alpinum ericoides purpurascens. Bauh. pin. 284.
β. *Saxifraga alpina ericoides, flore cæruleo.* Tournef. inst. 253. Scheuch. alp. 140. t. 20. f. 2.
Sedum montanum ericoides. Bauh. prod. 132.
γ. Ubique in Alpibus, præsertim e petris & rupibus læte dependet, funiculorum instar, lucens floribus suis cærulescentibus.
δ. *Corolla* colore variat violaceo & cæruleo puro, hinc duæ apud quosdam constituuntur species.
ε. *Varietatem* notabilem vidimus hujus speciei aliquoties in Alpibus nostris, ubi caulis brevissimus evasit & folia longe confertiora, breviora, duriora, sed, quod notabile, *apices foliorum cartilaginei* erant, ut in *Aloë margaritifera* dicta. Vide Tab. II. fig. 1.
ζ. In vulgari sunt rami filiformes, longi, sparsi, foliis raris oppositis instructi, ad apices autem confertiora sunt & omnino imbricata.

TRIGYNIA.

180. CUCUBALUS *calycibus ovatis.*
Cucubalus Behen. Sp. pl. 591.
Hermaphroditus.
α. *Muscipula pratensis vesicaria.* Rupp. jen. 1. p. 112.
Lychnis

Lychnis sylvestris, quæ Behen album vulgo. Bauh. pin. 205.

β. *Lychnis Suecica; Behen album; folio habitu calyce amplissimis, Gumpsepungar seu Scrotum arietis dicta.* Boerh. lugd. 1. p. 212.

γ. *Lychnis maritima repens.* Bauh. pin. 205.
Lychnis marina anglicana. Bauh. hist. 3. p. 357.
Hæc est *Silene amœna* Hudf. fl. angl. a Linnæanâ diversa. *J. E. Smith.*

δ. Prima (α) in agris Novaccolarum frequentissima est, secunda (β) in locis pinguioribus & stercore saturatis, tertia (γ) ad littora sinus Bothnici, inter Tornoam & Luloam, vulgaris.

ε. *Varietatem* (Lit. β) in nulla nota differre observo a naturalissima planta (Lit. α), nisi quod major sit, per culturam. Planta naturalissima a Suecis dicitur scrotum arietis, ab aliis scrotum leporis, ab aliis Smætion.

ζ. Paradoxon forte multis videbitur, me sub hac specie tradidisse plantam istam marinam (γ), quæ in omnibus fere partibus differt a prima; gerit enim

1. *Caulem* erectum (α); procumbentem (γ).
2. *Flores* numerosos (α); unicum alterumve (γ).
3. *Folia* ovato-lanceolata (α); lanceolato-linearia (γ).
4. *Calycem* globosum (α); campanulatum (γ).
5. *Crescit* in agris (α); ad littora maris (γ).

Sed hæc omnia oriuntur ex loco, ex sola cultura naturæ. Ego enim collegi semina plantæ (γ) in itinere lapponico, eaque testæ terra repletæ in horto Upsaliensi commisi tempore vernali anno 1733, propullulantes plantæ detegebant familiam sole meridiano clarius; primo hoc anno folia paulo angustiora erant justo (in γ), sed anno 1734 alteram ab altera distinguere non potui.

η. *Cucubali* sub nomine intellexit *Tournefortius* tantum plantas istas, quæ baccas in fructu proferunt; *Nos* autem omnes ejus Lychnides, calyce inflato

 gaudentes

gaudentes ad Cucubalum amandamus, quæ ſtylis inſtruuntur tribus vel quinque, edocti ab Hibiſco (*Ketmia* & *Malvaviſco*), Myrica (*Gagel* & *Ambulon*) ac aliis (§ 112. β) baccam & capſulam, ceteris paribus, genera non abſolute diſtinguere.

181. CUCUBALUS *caule ſimpliciſſimo unifloro, corolla incluſa.* * Tab. XII. fig. 1.
Lychnis apetala. Sp. pl. 626.
Hermaphroditus.
Lychnis caule ſimplici unifloro, petalis abſconditis. F. L. 54.

α. Alpium noſtrarum declivia ſterilia, glareoſa ac ſabuloſa interdum copioſe eum exhibent.

β. Planta hæc ſingularis eſt, & plurimis differentiis eſſentialibus diſtinctiſſima, quod ſcilicet gaudeat caule ſine ramis; flore tantum unico; corolla & ſtaminibus calyce longe brevioribus, omnes enim partes floris in fundo calycis hærent, nec ullæ in conſpectum prodeunt: Vide figuram ad radicem plantæ, ubi calyx longitudinaliter apertus conſpicitur. Vix novi florem ullius plantæ, qui a perianthio ſuo hac ratione, tanquam intra globum, occultatur.

γ. Novæ hujus plantæ deſcriptio eſt hæc:

Radix fibroſa, num annua vel perennis fuerit certo definire nequeo; nullum enim plantæ emarcidæ ſignum ad radicem obſervare potui: unicum ſemper caulem ex eadem radice ubique protulit.

Caulis unicus, erectus, ſpithamæus, integer, in tria vel quatuor internodia diviſus, vix manifeſte ſcaber.

Folia oppoſita, lineari-lanceolata, ſuperiora breviora & anguſtiora; ad radicem quatuor folia ponuntur, orta e duobus articulis caulis admodum proximis.

Flos unicus caulem terminat, horizontaliter nutans, cujus Calyx ovatus, inflatus, lineis decem elevatis

tis fuſcis hiſpidis longitudinalibus pictus, ore quinquedentato, obtuſo, fere clauſo. Corolla conſtat petalis quinque, oblongis, unguibus triquetro-planis, erectis; Limbus fere nullus, emarginatus, fuſcus, calyce dimidio brevior. Stamina decem, calyce breviora, corolla fere longiora. Germen oblongum; ſtyli quinque, ſtaminibus paulo longiores, calyce tamen breviores. Capſula cylindracea, oblonga, in medio parum attenuata, obtuſa, intra calycem abſcondita, unilocularis.

182. CUCUBALUS *caule compoſito, calycibus ovato-oblongis.*

Lychnis dioica. Sp. pl. 626.

Mas. Femina.

Lychnis ſylveſtris ſeu aquatica purpurea ſimplex. Bauh. pin. 204.

Lychnis ſylveſtris. Dod. pempt. 171.

Melandryum Plinii genuinum. Cluſ. hiſt. 294.

α. In Alpium convallibus frequens eſt, in ſylvis eadem vix unquam a nobis viſa.

β. In Alpibus *Corolla* ſæpius ludit *alba*, quæ naturaliter purpurea eſt.

γ. In hac plantæ ſpecie mares & feminæ in Dioeciam diſtinctæ ſunt, reliqua attributa habet communia cum Cucubalis, ſtylis tamen inſtruitur quinque. Mirabitur forte quis, cur ego non ſecundum adſumpta principia, æque demonſtrabilia & demonſtrata ac ullius alius methodi, conficiam nova genera ex iis, quæ claſſe & ordine differunt, methodo ab omnibus facile ſyſtematicis recepta. Sed cum ſciam omnia genera eſſe naturalia (alias nulla per ſecula ſeculorum in Botanicis certitudo), terrent me veſtigia tot generum ſpuriorum in Botanicam introductorum, ob ſolam hanc rationem, quot unquam genuina exſtitere.

L 4 δ. Vari-

δ. Variationem ſingularem, *petalis* ſcilicet ſingulis *quadrifidis*, hujus ſpeciei in Alpibus habuimus.

183. SILENE *floribus erectis laxe diſtantibus, caule dichotomo.*
Silene rupeſtris. Sp. pl. 602.
Lychnis ſaxatilis alpina glabra pumila. Tournef. inſt. 338. Scheuch. alp. 137.
Alſine alpina glabra. Bauh. pin. 251.
α. Per latera ſeptentrionalia Alpium lapponicarum nobis deſcendentibus in Finmarkiam aliquoties obvia erat.

184. SILENE *acaulis.*
Silene acaulis. Sp. pl. 603.
Lychnis alpina minima. Raj. hiſt. 1004.
Lychnis alpina pumila, folio gramineo. Bauh. pin. 206. Scheuch. alp. 138. 425. Dill. elth. 206. fig.
Ocymoides muſcoſus. Pon. bald. 341. fig.
Muſcus alpinus, Lychnidis flore. Bauh. hiſt. 3. p. 760.
α. Florens juga Alpium noſtrarum amœniſſima ſua corollarum purpura obveſtit, campoſque Lapponum illuminat.
β. Sæpius flore albo obſervatur.
γ. Qui prima vice hanc plantam fugitivo adſpicit oculo, eo tempore quo flore caret, facile pro Polytricho eandem habebit, quæ tamen a Muſcis, dictitante fructificatione, adeo diverſa eſt.
δ. Stamina ſemper decem in hac planta vidi, nec unquam quinque reperire potui.

185. SILENE *lapponica alpina facie Viſcariæ.*
Lychnis alpina. Sp. pl. 626.
Lychnis muſcaria rubra anguſtifolia, floribus in ſummitatibus cauliculorum ternis. Rudb. lap. 98.
Lychnis pyrenaica umbellifera minima. Tournef. inſt. 338.
α. Ubique in Alpibus noſtris obvia eſt.

β. Mul-

β. Multum laboris mihi creavit hæc planta, nec ſatisfecit deſiderio meo. Exacte enim gerit formam Viſcariæ Ruppii, adeo, ut aliam figuram addere ſuperfluum foret, niſi quod flores parum magis conferti ſint. Eandem eſſe cum Viſcaria iſta facilis dicerem hanc plantam, ejuſque tantummodo varietatem, ſi in ſeptentrione & ſupra Helſingiam reperta fuiſſet viſcoſa illa; cum autem in Lapponia vel Lapponiæ proximis non occurrat, multo minus in Alpibus, e quibus hæc nunquam deſcendit, eadem ſpecies eſſe nequit. Deſtituitur præterea noſtra viſcoſitate omni caulis.

γ. Deſcriptio hæc eſt.

Radix perennis, fibroſa.

Folia Radicalia plurima, conferta, anguſto-lanceolata, obtuſe acuminata, glabra, pollicis tranſverſi longitudine: Caulina oppoſita, prioribus conformia, paulo majora.

Caulis ſimplex ſpithamæus & altior, in quatuor ad octo uſque internodia diviſus, glaber, obtuſe tetragonus.

Corymbus terminat caulem, & flores confertiores, quam in Viſcaria, gerit. Ex alis foliorum ſuperiorum caulis oriuntur pedunculi ſemitrifidi, totidem flores ſuſtinentes, quorum intermedius inferior eſt.

Florum facies eadem ac in Viſcaria, ſed paulo minores. Calyces purpuraſcentes, Corolla purpurea, Stamina decem, Styli tres, & folia pedunculis ſubjecta purpuraſcentia ſunt.

δ. Quibus notis *Silene*, *Lychnis*, *Coronaria*, *Agroſtema*, *Drypys*, *Saponaria* (quas omnes ad Lychnides retulit Tournefortius), & *Cucubalus* diſtingui poſſint, vide characteres Generum.

ε. Synonymon Rudbeckianum debetur Authoris tabulis pictis & Tournefortianum Cl. *Dillenio*.

186. ALSINE

186. ALSINE *foliis ovato-cordatis.* *

α. *Alſine media.* Sp. pl. 389. Bauh. pin. 250.
Alſine minor. Lind. wikſ. 3.
Alſine chamædryoides. Till. ab. 3.
Alſine. Frank. ſpec. 2. Till. ic. 75.

β. *Stellaria nemorum.* Sp. pl. 603.
Alſine altiſſima nemorum. Bauh. pin. 250.
Alſine maxima ſolanifolia. Mentz. pug. fig. 2.
Alſine major ſylveſtris. Rudb. vall. 2. hort. 5. Lind. wikſ. 3.

γ. Creſcit (α) ubique, præſertim ad caſas Lapponum; (β) autem præcipue ad latera Alpium.

δ. Unicam eandemque (α, β) eſſe plantam, non latet inquirentem & ſedulo conſiderantem gradus magnitudinis. Varietas tamen notabilis eſt illa (β), quæ foliis inferioribus gaudet exacte cordatis, ſuperioribus ovatis, floribus itidem magnis, magis villoſis, immo & planta ipſa quater vel ſexies conſpicitur major. Hæc tamen omnia producuntur a ſolo, hinc in lucis & dumetis, nemoribuſque, in fimetis & ſimilibus pinguibus locis ſæpe perennat. Ad ripas fluviorum quoque non raro reperitur, & quidem quinque ſtylis piſtilli luxurians; conſideranti patebit! Cum itaque limites nulli alii, præterquam qui gradu differunt, ſtatui poſſint, diſtingui non debent plantæ, licet notæ differentes maxime ſpectabiles eſſent; ſpecies itidem omnes ſunt naturales & tot numeramus, quot ab initio creatæ ſunt (F. B. 157. 132. S. N. Reg. 1, 2, 3, 4,); reliquas parvas differentias, varietates dicimus.

186*. STELLARIA *foliis ovatis ſubſecundis ſeſſilibus, caulibus procumbentibus tetragonis, pedunculis ſolitariis abbreviatis.*

Stellaria humifuſa. Rottb. act. haſn. v. 10. p. 447. t. 4. f. 14. Swartz. act. holm. 1789. p. 125. t. 6. f. 1. Vahl. fl. dan. t. 978.

α. In

α. In Lapponiâ Norvegicâ, Finmarkiâ legit D. Græn-dahl. *Swartz.*

187. ALSINE *foliis linearibus.*
Stellaria graminea. Sp. pl. 604.
α. *Alsine pratensis, gramineo folio angustiore.* Tournef. inst. 243.
Caryophyllus arvensis glaber, flore minore. Bauh. pin. 210.
Gramen floridum album. Frank. spec. 15.
Gramen leucanthemum. Rudb. cat. 19. hort. 47. Till. ab. 32.
β. *Alsine folio gramineo angustiore, palustris.* Dill. giss. 173. app. 69.
γ. *Alsine aquatica media.* Bauh. pin. 251.
Alsine fontana. Tabern. hist. 2.
Alsine aquatica, folio gratiolæ, stellato flore. Dill. giss. 58. app. 39.
δ. Crescit hæc (α) in locis siccis, (β) in humidis graminosis, (γ) in rivulis glareosis exsiccatis.
ε. In tribus hisce variationibus (α, β, γ) unicam video plantam solo loco parum differentem;
Prima (α) enim ramosissima evadit, & vix erecta stare potest, nisi a fruticulo, ut communiter accidit, sustentetur.
Secunda (β) vero vix ramis manifestis gaudet, sed sine fulcimento erecta, flore majori instructa, persistit.
Tertia (γ) autem minor, fere procumbens & minus speciosa reperitur, cum foliis lanceolatis & latioribus.

187*. STELLARIA *foliis oblongis, pedunculis subbifloris.*
Stellaria cerastoides. Sp. pl. 604. Fl. suec. n. 394. Smith plant. ic. fasc. 1. t. 15. Gunn. norv. n. 951. t. 6. f. 2. Retz. obs. fasc. 1. n. 49.

α. In

α. In Alpibus Lapponiæ Lulensis legit Linnæus. *Flo. suec.*

STELLARIA *biflora.* Vide § 158.

SAGINÆ *speciem* § 158. vide sub Octandria Tetragynia.

188. ARENARIA *foliis ovatis acutis carnosis.*
Arenaria peploides. Sp. pl. 605.
Alsine littoralis, foliis portulacæ. Bauh. pin. 251.
Alsine maritima, foliis portulacæ. Gottsch. pruss. 12. f. 2.
Telephium maritimum portulacæ folio. Buxb. Comm. Petrop. 3 (1728) 270.
α. Ad radices Alpium lapponicarum in mari septentrionali, ut in insulis Roerstad, Salleroen, &c. copiose.

189. ARENARIA *maritima.* Rupp. jen. 1. p. 100.
Arenaria rubra β (marina). Sp. pl. 606.
Spergula maritima, flore parvo cæruleo, semine vario. Dill. app. 30.
Alsine spergulæ facie media. Bauh. pin. 251. Tournef. inst. 244.
α. Cum antecedenti sæpius occurrit.

PENTAGYNIA.

190. SPERGULA *fructu pendulo.*
Spergula arvensis. Sp. pl. 630.
Spergula. Bauh. hist. 3. p. 719. 2. Dod. pempt. 537. Rudb. hort. 107. Lind. wiks. 36.

Arenaria arvensis vulgatior. Rupp. jen. 1. p. 100.
Alsine spergula dicta major. Bauh. pin. 251.

α. In petris sæpe ad latera Alpium lapponicarum occidentalium; nullibi tamen copiosiorem hujus proventum unquam vidimus, quam in agris Finmarkiæ.

β. In Finmarkia Norvegica juxta Alpes non raro unica nocte, vento ex Alpibus spirante gelido, media licet æstate, destruitur læta seges, tum hæc planta mire luxuriat, colligitur itaque, & semina hujus cum pauca quantitate cerealium mixta pulverisantur sub lapide molari, & e farina conficitur panis nigricans quidem, sed gratus, ut ipsi nobis multoties retulerunt.

γ. *Spergula* dicta fuit hæc species a veteribus fere sola; debet itaque hæc, si genere a reliquis distincta sit planta, ut omnino est, nomen suum retinere (F. B. 245, 246), Spergulæ vero a recentioribus dictæ nova nomina accipiant. *Spergulam* itaque *Ruppii*, quæ Alsinella Dillenii est, dixi *Saginam* (§ 157): *Spergulæ* autem *Dillenii* adsignavi *Arenariæ* Ruppii nomen, a qua hæc distingui debet planta.

191. SPERGULA *caulibus simplicibus procumbentibus.*

Spergula nodosa. Sp. pl. 630.
Spergula minor, foliis Knawel, flore majusculo albo. Dill. giss. 156.
Alsine nodosa germanica. Bauh. pin. 251.

α. Hanc quidem plantam intra ipsos Lapponiæ Norvegicæ terminos non observavi, sed in loco per quadrantem horæ inde distanti, nec non in Finmarkia Norvegica.

β. Hæc a veris Spergulis genere distingui non debet, ut examinanti florem facile patebit.

192. CERASTIUM *corolla calyce majori.* *
Cerastium alpinum. Sp. pl. 628.
α. *Myosotis alpina latifolia.* Tournef. inst. 244.
Alsine myosotis facie, Lychnis alpina, flore amplo niveo, repens. Raj. syn. 349. t. 15. f. 2.
Caryophyllus holosteus alpinus latifolius. Bauh. pin. 210. prod. 104.
Herba facie auriculæ muris. Mart. spitzb. 47. tab. G. fig. d.
β. *Cerastium foliis lanceolatis glabris.* F. L. 54.
γ. In Alpium nostrarum convallibus graminosis & nemorosis florum suorum corollis latis & niveis gratam visu sese offert hæcce planta.
δ. Duas hic habemus variationes, quarum altera foliis omnino glabris & fere nitidis, altera villosis gaudet; quod autem non sint distinctæ species, docent omnes partes, etiam minimæ fructificationis, quæ sibi ut ovum ovo similes. Quænam autem sit causa glabritiei in altera planta, cum tamen ambæ mixtæ occurrant, quæro; item an hæc differat a *Cerastio hirsuto flore magno*, Dill. & in quibus?
ε. Species nostra sæpius unico modo gaudet flore, non raro etiam duos e summitate profert, plures vix observavi apud nostros Lappones, at in Hortis Belgii plures.

193. CERASTIUM *corolla calyci æquali.* *
Cerastium viscosum. Sp. pl. 627.
Cerastium hirsutum viscosum. Dill. giss. 41.
Myosotis hirsuta altera viscosa. Tournef. inst. 245.
Alsine hirsuta altera viscosa. Bauh. pin. 251.
Alsine corniculata. Rudb. vall. 2. hort. 5.
α. In sylvis graminosis sæpius prodit.
β. Florum fasciculus sæpe in globum plicatur monstrosus & sterilis, quod insectis eorumque nidis adscribendum est.
γ. Hic reperire non potui *Cerastium corolla calyce breviore,* * *Cerastium hirsutum minus parvo flore.* Dill. giss.

giff. 80. (*Cerastium semidecandrium.* Sp. pl. 627.) quod in Finmarkia aliquotics obvium erat, & staminibus quinque ab antecedentibus manifeste differebat.

CUCUBALI *speciem* 181. vide sub Decandria Trigynia.

SILENES *speciem* 185. vide sub Decandria Trigynia.

ALSINES *speciem* 186. (δ) vide sub Decandria Trigynia.

194. OXALIS *foliis ternatis, scapo unifloro.*
Oxalis Acetosella. Sp. pl. 620.
Oxys flore albo. Tournef. inst. 88.
Oxys trifolia, flore albo. Rudb. cat. 31. hort. 83.
Oxys. Frank. spec. 22.
Oxytriphyllum. Till. ab. 51. ic. 57.
Oxytriphyllum flore albo. Lind. wiks. 27.
Trifolium acetosum vulgare. Bauh. pin. 330.

α. Rarissima est hæc planta in Lapponia, visa præsertim in Lapponia Umensi.

195. SEDUM *parvum acre, flore luteo.* Bauh. hist. 3. p. 694.
Sedum acre. Sp. pl. 619.
Sedum minus flore luteo, seu Illecebra. Till. ab. 62.
Sedum minus seu Illecebra. Rudb. cat. 37. hort. 105.
Sedum minus. Till. ic. 149.
Sedum minimum. Frank. spec. 27.
Sempervivum minus vermiculatum acre. Bauh. pin. 283.

α. Visa hæc planta a nobis ad latera Alpium Lapponiæ Norvegicæ, quæ in Suecia obvia nobis non fuit.

β. Hæc est, quam tantis laudibus evehit *Below* noster (Professor olim Lundensis) contra *Scorbutum* castrensem.

196. SE-

196. SEDUM *minimum annuum, flore roſeo tetrapetalo.* Vaill. par. 182. t. 10. f. 2.
Tillæa aquatica. Sp. pl. 186.

α. Ad ripas fluvii Lulenſis copioſiſſime creſcit minima hæc planta.

β. Piſtillis gaudet hæc quatuor, num ſtamina obtineat quatuor vel octo certo determinare nequeo; ſi ſtamina huic modo ſint quatuor, diverſum dicerem eſſe genus, nec repugnaret facies.

CLASSIS

CLASSIS XI.

DODECANDRIA.

MONOGYNIA.

197. LYTHRUM *foliis oblongis acutis, floribus verticillatis.* *
Lythrum Salicaria. Sp. pl. 640.
Salicaria vulgaris purpurea, foliis oblongis. Tournef. inſt. 253.
Lyſimachia ſpicata purpurea. Bauh. pin. 246. Till. ab. 42. Rudb. cat. 26. vall. 22. hort. 69.

α. Ad latus Alpium occidentale parcius occurrit.

β. In gratiam eorum, qui varietatibus delectantur, notabilem proferam plantam, quam reperi cum itinere per Lapponiam ſatis defatigatus peterem patriam, in loco iſto, a quo tenebras cimmerias nomen ſuum accepiſſe putant, ad fluvium puta Kemi prope templum ; hæc enim *foliis gaudebat alternis, floribus in alis ſolitariis.* Caulis erat pedalis, rectius, ſimplex ; Folia alterna, cordato-lanceolata, ſeſſilia ; Flores ex ſingula ala foliorum ſuperiorum

prodibant ſolitarii, ſeſſiles. Unicam vidi talem plantam, vera autem variatio, & non diſtincta erat ſpecies.

DODECAGYNIA.

THALICTRI *ſpeciem* § 225. vide ſub Polyandria Polygynia.

CLASSIS

CLASSIS XII.

ICOSANDRIA.

MONOGYNIA.

198. PADUS *foliis annuis.*
Prunus Padus. Sp. pl. 677.
Padus germanica, folio deciduo. Rupp. jen. 1. p. 122.
Cerasus racemosa sylvestris, fructu non eduli. Bauh. pin. 451.
Cerasus avium. Lind. wiks. 8.
Cerasus avium seu Pseudo-Ligustrum. Rudb. cat. 11. hort. 25. Till. ab. 16.
Pseudo-Ligustrum. Frank. spec. 35.
Auchtia seu *Autia.* Lapponibus.

α. In sylvis copiose crescit, præsertim in locis depressis.

β. Pueri per Norlandiam maxime delectantur hisce baccis, quas cum parva quantitate salis ingerunt, adeoque edulis hic est Padus.

γ. Licet in paucis omnino differant inter se *Cerasus* & *Padus*; dictitat tamen natura hæc genera distincta esse, hinc valet magis in his minima nota distinctionis, quam in aliis sæpe generibus maxime sensibilis.

DIGYNIA.

199. CRATÆGUS *inermis foliis ellipticis ſerratis transverſaliter ſinuatis ſubtus villoſis.*
Cratægus Aria β. Sp. pl. 681.
Cratægus folio ſubrotundo laciniato & ſerrato. Vaill. par. 42.
Cratægus ſcandica, foliis oblongis nonnihil laciniatis & ſerratis. Celſ. upſ. 17.
Sorbus domeſtica. Till. ab. 64.
Sorbus torminalis. Rudb. hort. 107. Brom. goth. 110.
Cratægus folio ſubrotundo ſerrato ſubtus incano. Tournef. inſt. 633.
Meſpilus alni folio ſubtus incano, Aira Theophraſti dicta. Raj. ſyn. 453.
Sorbus alpina. Bauh. hiſt. 1. p. 65.
Alni effigie lanato folio, major. Bauh. pin. 452.
Oxel. Succis.

α. Hanc ſemel vidi ad domum Novaccolæ in Lapponia, num vero de induſtria, an caſu eo fuerit allata, fateor me ignorare; per Lapponiam alias nullibi reperitur, ſed quidem læte & ſupra Lapponiam in Finmarkia, & infra eam in Weſtrobothnia pronaſcitur.

β. A pueris & ruſticis avide expetuntur baccæ, quæ juſtam maturitatem, antequam frigus & gelu autumnale incidat, vix adquirunt.

TRIGY-

TRIGYNIA.

200. SORBUS *aucuparia.* Sp. pl. 683. Bauh. hift. 1. p. 62. Rudb. hort. 107. Till. ab. 64. Lind. wikf. 36.

Sorbus fylveftris aucuparia. Frank. fpec. 37.

Sorbus fylveftris, foliis domefticæ fimilis. Bauh. pin. 415.

Aucuparia Rivini. Rupp. jen. 1. p. 126.

Raune. Lappis.

α. In defertis Lapponiæ admodum frequens eft & juxta tuguria Lapponum enata lucum e longinquo refert.

β. *Folia* hujus arboris circa diem primam Septembris (ftylo novo) fpirante frigido aquilone, evadebant rubra, cum contra Populi, Salicum & Betulæ folia inde pallefccbant; videtur itaque Sorbus majori quantitate acidi fcaterc, quam reliquæ.

γ. Solent opulenti plurimi, cum baccæ hujus arboris rubefcere incipiunt, threnos canerc, futura fata, & adpropinquantes podagræ paroxyfmos prævidentes. Lappo autem talem morbum in mundo noftro exfiftere ne per fomnium audivit, fed agilis & levis omni anni tempore vivit. An Podagra a folo vini potu? fic fuadent Nationes podagricæ, quæ pro potu quotidiano utuntur vino. Sic ruftici noftri podagra haud infeftantur, qui nunquam vinum, fed cerevifiam fuam hauriunt; fic Lappones; fic divites noftri podagrici, qui potu vini utuntur. Ex ufu Spiritus frumenti & fimilium nunquam oriri podagram docent & Lappones & ruftici nonnulli feptentrionales, qui fæpius nimiam ejus copiam ingerunt, infcii dolorum podagricorum. Nullam vidimus gentem facilius incedentem ipfa lapponica,

incedunt enim Lappones ſine calcaneis artificialibus, utentes tantum ſoleis tenuiſſimis ſimplicibus, e pellibus confectis, nec conſtringunt ullibi artus corrigiis, fibulis, cinguliſve, accedit quod nunquam ſalſa vel vegetabilia edant, & pedibus incedant conniventibus, ductu naturæ, qui mos in Lapponia obtinet. Non ſine admiratione conſideravi Lappones duos comites meos in itinere ad Finmarkiam, quorum alter viæ dux, alter interpres meus erat. Hi enim ſuperatis Alpibus, dum ego juvenis fere viribus exhauſtus, exanimis inſtar laſſus in extremis jacui populiſque lociſque, illi ſenes ambo tanquam pueri ludentes currenteſque de viæ incommodis nihil ſentiebant, licet uterque meo ſupellectile ſatis onuſtus eſſet. Vidi ipſe ſenes plus quam ſeptuagenarios talum collo ſuo, puerorum inſtar, impoſuiſſe, & quidem ſine ulla moleſtia. O ſancta ſimplicitas diætæ omnes ſuperans laudes!

PENTAGYNIA.

201. FILIPENDULA *foliolo impari majore trifido.* *

Spiræa Ulmaria. Sp. pl. 702.

Ulmaria. Tournef. inſt. 265. Tiil. ab. 69. ic. 152. Lind. wikſ. 41.

Barba capræ floribus compactis. Bauh. pin. 164.

α. Totam Lapponiam ſylveſtrem replet, nec parca in Alpibus proſtat.

β. Maximam habet genus hujus plantæ adfinitatem cum *Spiræis.* Quod vero *Filipendula* Tournef. & *Ulmaria* ejuſdem ſint plantæ congeneres, nullo argumento deſtrui poſſe videtur.

γ. *Herba Johannis* dicitur *hæc* planta a Weſtrobothnien-

nienſibus, *Hypericum* a Suecis, *Leucanthemum* (vid. Kyberi Lexic.) ab Helvetis.

δ. Odor hujus plantæ omnium fragrantiſſimus eſt, hinc apud ruſticos per Sueciam receptum eſt diebus æſtivis & in conviviis folia ejus recenter collecta per pavimentum ſpargere, ut odor repleat totam domum, qui ſæpe tam denſus, ut vix perferri poſſit. Per hyemem autem ramos tenellos *Abietis* conſciſſos ſimili modo per pavimentum ſpargunt. En Epiſtromata, quæ illis porrigit natura ipſa.

ε. Miratus ſum, quod hæc planta tam fragrans minus, quam virtus ſuaderet ab odore deſumpta, revocata fuerit ad uſus medicos, ſed forte latet anguis ſub herba. Cum in itinere Dalekarlico (impenſis Generoſiſſimi Baronis NIC. REUTHERHOLMI, magni iſtius Gubernatoris provinciæ Dalekarlicæ ſuſcepto) Alpibus ſuperatis in Norvegiam perveniremus alte dormientibus laſſis ſociis, obambulans in triſti ſylva advertebam etiam *Equos* diſtinguere poſſe alimenta ſalubria a noxiis, ingerebant enim famelici omnes ſine diſcrimine herbas, intactas tamen omnino relinquentes *Filipendulam* hanc, *Valerianam* (§ 15), *Convallariam* (§ 112), *Angelicam* (§ 101, 102), *Epilobium* (§ 146), *Comarum* (§ 214), *Geranium* (§ 266), *Helleborum* (§ 226), *Aconitum* (§ 221), & varios frutices. Dedit hoc anſam, ut curioſo rerum naturalium ſcrutatori commendemus obſervationes inſtituendas circa plantas, quæ ſcilicet ab animalibus phytivoris, ut Bove, Ove, Capra, Cervo, Equo, Sue, Simia, &c. eorumque ſpeciebus non devorentur, quod rite obſervatum ſua utilitate non careret. Tantum vero abeſt, quin dicam, quod, quæ animalibus noxiæ vel ſalubres ſunt plantæ, itidem & nobis conveniant vel noceant; nec ſufficit cum Wepfero plantas animalibus, præſertim carnivoris, venenatas exhibere, ut inde conſtet earum effectus in noſtrum corpus.

POLYGYNIA.

202. ROSA *ſylveſtris alba cum rubore, folio glabro.* Bauh. hiſt. 2. p. 43.
Roſa canina. Sp. pl. 704.
Roſa ſylveſtris vulgaris, flore odorato incarnato. Bauh. pin. 483.
Cynoſbatos pomifera major. Rudb. it. 11.
α. Vix intra Lapponiæ fines hanc unquam legi, ſed in adjacentibus regionibus quidem; cum autem ab Archiatro Rudbeckio inter plantas lapponicas recenſeatur, eandem & ego Floræ lapponicæ inſerere volui.

203. ROSA *ſylveſtris pomifera minor.* Bauh. pin. 484.
Roſa ſpinoſiſſima. Sp. pl. 705.
Roſa pumila ſpinoſiſſima, foliis pimpinellæ glabris, flore albo. Bauh. hiſt. 2. p. 40.
α. In deſertis paſſim prope tuguria vel fluviorum ripas obvia fuit, licet nullibi copioſe.
β. Rhachis foliorum in hac ſpinoſa eſt, in antecedenti non item.

204. RUBUS *caule erecto hiſpido, foliis ternatis.* *
Rubus idæus. Sp. pl. 706.
Rubus idæus ſpinoſus. Bauh. pin. 479. Till. ab. 60.
Rubus idæus, fructu rubro. Lind. wikſ. 33.
Rubus idæus hircinus cervinus. Frank. ſpec. 36.
Rubus idæus. Rudb. cat. 36. Scheff. lapp. 359.
Hindbeeren. Schel. botn. 30.
Gippermuric. Lapp. Umenſibus.
Gappermuric. Lapp. Lulenſibus.

α. Co-

α. Copiosissime in sylvis, præsertim ad casas & tuguriola Lapponum.

β. Gipper-murie, i. e. Bacca pilei forma, cum fructus e receptaculo delapsus concavus sit, instar pilei, & supra convexus, forma tegmenti Lapponum hyemalis e pellibus.

205. RUBUS *caule aculeato reflexo perenni, foliis ternatis.**

Rubus cæsius. Sp. pl. 706.

Rubus repens, fructu cæsio. Bauh. pin. 479.

α. Semel tantum a me juxta fines Lapponiæ visus est, a Nobilissimo *Rudbeckio* etiam inter lapponicas recensetur plantas.

206. RUBUS *caule repente annuo, foliis ternatis.* *

Rubus saxatilis. Sp. pl. 708.

Rubus idæus, fructu rubi, fere absque ullis spinis. Siml. alp. 132. a.

Rubus alpinus humilis. Bauh. hist. 2. p. 61.

Rubus humilis repens saxatilis. Frank. spec. 36.

Rubus repens saxatilis. Rudb. hort. 101.

Rubus saxatilis alpinus. Clus. pan. 116.

Chamærubus saxatilis. Bauh. pin. 479. Scheuch. alp. 34.

Labrusca major & minor. Till. ab. 37.

Labrusca. Lind. wiks. 20.

Vitis sylvestris repens. Frank. spec. 38.

Vitis sylvestris longe lateque repens, Labrusca. Rudb. it. 9.

Vitis, Ribes saxatilis, fructu umbellato. Rudb. it. 9.

Taiwimurie. Lapponibus. *Toghbær* Westrobothniensibus.

α. In sylvis copiose, nec raro in Alpibus nostris observatur.

β. Notabilis est bacca hujus speciei, in qua acini distincti & separati decidunt, cum in congeneribus nascantur cohærentes & coaliti in unum corpus.

207. RU-

207. RUBUS *caule unifloro, foliis ternatis.* * Tab. V. fig. 2. B. B. 44.
Rubus arcticus. Sp. pl. 708.
Rubus humilis, fragariæ folio, fructu rubro. Rudb. it. 9. lap. 99.
Fragaria fruticans. Rudb. cat. 17.
Fragaria Suevorum fruticans. Rudb. hort. 43.
Fragaria ſeptentrionalium fruticans, baccis nigris dulcibus & mellitis. Frank. ſpec. 14.
Ackermurie Lapponibus, *äckerbær* Norlandis.

α. Planta hæc rariſſima, Botanicisque minus cognita, occurrit copioſe per Lapponiam deſertam, præſertim ad tuguria & caſas Lapponum; in Alpibus autem noſtris vel in Finmarkia eandem non obſervavimus, at in utraque Bothnia, Angermannia, Medelpadia & Helſingia copioſiſſime; in Geſtricia & Finlandia rarius nobis obvia erat. In Dalekarlia ad urbem Fahlunam ſponte hanc naſcentem detexit Clariſſ. D. *Joh. Browallius* (Philoſoph. Doct. & naturalium rerum ſcrutator ingenioſiſſimus) non longe ab urbe. In itinere Dalekarlico ad templum Elfdahliæ eam reperimus.

β. In hortis non facile colitur, & communiter ſterilis evadit. Magnus iſte Polyhiſtor S. S. Th. D. *Ol. Celſius*, Botanicus Doctiſſimus, per plures annos in horto ſuo eandem coluit, ubi quidem omni anno floruit, fructum autem ibidem matureſcere nunquam obſervavimus

γ. Rubi hujus ſpecimina ſicca habemus in America ſeptentrionali lecta, in Europæ vero aliis locis obſervatum non recordor; *Dillenius:* idque, ni fallor, in terra Hudſonis.

δ. *Dan. Kellander* (quondam Phyſicus Gothoburgenſis) integram de eadem planta habuit diſſertationem, qui etiam primus hanc plantam delineavit & depinxit, cujus ergo Helſingiam petiit, & Hudwikſvallis adumbravit; vide B. B. 44.

ε. Ingratus eſſem erga beneficam hanc plantam, quæ me

me toties fame & curſu fere proſtratum vinoſo baccarum ſuarum nectare refocillavit, ſi ejus integram non exhiberem deſcriptionem.

Radix filiformis, repens, regerminans, perennis, ſquamulis quibuſdam fuſcis hinc inde inſtructa.

Caulis ſpithamæus, filiformis, in quatuor vel quinque internodia diviſus, erectus quidem, ſed ſecundum internodia alternatim leviter inflexus, rufeſcens, obtuſiſſime tetragonus, [illegible] viſſime pubeſcens. *Rami* communiter nulli, raro tamen unicus imperfectus (ex eodem, quo floris pedunculus oritur, ſinu) inter pedunculum & petiolum egreditur, nunquam tamen eundem vidimus perfectum.

Folia ad genicula caulis ſolitaria, ternata, quorum inferiora minima, media maxima, ſumma mediæ magnitudinis exſiſtunt. *Squamulæ* foliaceæ duæ, oppoſitæ, ovatæ, conniventes & erectæ, minimæ, ad quodlibet geniculum caulis petiolo connexa, ponuntur, e quibus *Petiolus* ad angulum acutum exit pollicis tranſverſi longitudinis, filiformis, ſecundum longitudinem ſuperne excavatus, cujus apici *Foliola* tria, fere ſeſſilia (intermedium minutiſſimo inſtruitur petiolo proprio), ovata, profunde & inæqualiter crenata crenis obtuſe acuminatis, ad quas ſingulas nervi, e longitudinali venientes ramoſi recta excurrunt; ſuperne ſaturate viridia ſunt folia, inferne pallidiora, ſecundum nervos rugoſa, fere glabra, vix manifeſte pubeſcentia. Foliolum intermedium regulare eſt & a nervo longitudinali in duas partes exacte æquales diviſum, lateralia vero minus expanſa ſunt verſus marginem interiorem, verſus exteriorem autem magis prominula & quaſi lacinula dilatata.

Floris pedunculus longitudine petiolorum ex ala ultimi folii exit, erectus, quem Flos unicus terminat,

nat, cujus *Calyx* eſt Perianthium monophyllum, campanulatum, laciniis quinque ad decem, oblongis, anguſtis, acutis, viridibus, patenti-reflexis, perſiſtentibus, ultra medium diviſum. *Corolla* plana, purpurea, conſtans tot petalis, quot calyx laciniis, verticaliter ovatis, calyce paulo longioribus, patentibus, integris, unguibus anguſtis calycis parieti inſertis. *Stamina* numeroſa, incurva & conniventia, breviſſima, rubro-flaveſcentia, quæ piſtilla tegunt. *Bacca* compoſita, magnitudine fere mori, nigro-purpurea.

ζ. *Corolla* purpurea; *Caulis* ſimplex, inermis; flos unicus cum foliis ternatis, ſpeciem a congeneribus manifeſte diſtinguunt.

η. Variationem *corolla laciniata* notabilem habui in Lapponia, ubi ignis ante annos aliquot mirum in modum devaſtaverat omnia, quæ petalis inſtruebatur laciniatis, ut in *figura* 2. *Tab. V.* videre eſt, cum in naturali integra ſemper ſint petala; ideoque variantia potius delineanda curavi, quam integra naturalia, quæ facile, demptis ſerraturis, intelliguntur.

ϑ. Menſis Maii primis diebus e terræ ſinu erumpens florem gerit fere perfectum & poſt aliquot dies eum expandit, altitudinem pollicis tranſverſi non attingens, eamque floreſcentiam continuat, uſque dum juſtam & ſpithamæam adipiſcatur ſtaturam.

ι. Creſcit præſertim cum Polytricho, & ubi iſtud viget, læte etiam creſcit hæc planta; hoc eſt in locis humidis, ſabuloſis & glareoſis, ſuperne terra fœcunda tectis, per æſtatem ſiccis.

κ. Moleſtiam aliquam pariunt baccæ hujus plantæ ſiticuloſis, cum maturæ receptaculum ſuum, more congenerum, non dimittant, ſed arcte retineant.

λ. Conſici curant Magnates per Norlandiam e baccis Syrupum, Gelatinam, vinum Rubeatum, &c. quæ partim ab illis ipſis conſumuntur, partim Holmiam ad amicos mittuntur, tanquam bellaria ſuaviſſima,

rariſſi-

rarissimaque; & sane inter omnes baccas Sueciæ sylvestres videntur hæc tenere primas.

μ. Primus *inventor* hujus plantæ est *Olaus Rudbeckius* pater, qui eandem per *Celsium* patrem habuit ex Helsingia & in catal. horti Upsaliensis 1658. primus nominavit.

208. RUBUS *caule bifolio & unifloro, foliis simplicibus.* * Tab. V. fig. 1.
Rubus Chamæmorus. Sp. pl. 708.
Rubus humilis palustris, fructu e rubro flavescente. Rudb. it. 9. lap. 99.
Rubus palustris, folio ribes. Frank. spec. 37.
Chamærubus foliis ribes. Bauh. pin. 480.
Chamæmorus. Raj. syn. 260.
Chamæmorus Suevorum. Rudb. hort. 27. Brom. goth. 18.
Chamæmorus norvagica. Lind. wiks. 8.
Chamæmora seu Morus norvagica. Scheff. lap. 359.
Morus norvagica. Till. ab. 46. ic. 159.
Hiortron Suecis. Schell. botn. 30.
Latoch. Lapponibus.
Snotter Westrobothniensibus. *Moltebær* Norvegis.

α. In Lapponiæ sylvis in immensa copia prostat, nec non copiose in Alpium convallibus generatur.

β. Loca amat paludosa, cæspofa & nemorosa simul, & quæ nec læta fovent gramina, sed per æstatem siccissima persistunt. In talibus locis per totam Norlandiam, Smolandiam & omnes Sueciæ provincias sylvestres frequentissima est.

γ. Cum planta hæc mihi a teneris notissima fuerit, ejus descriptionem & figuram tradam, ut omne dubium de nostra specie evanescat. Quam enim *Clusius* in *pannonicis* 118. sub *Chamæmori* nomine describit, illa est vel distincta species a nostra, vel sane pessime adumbrata; ille enim suæ plantæ adscribit

1. *Caulem incurvatum secundum genicula,* qualem exhibet

exhibet præcedens; cum nostra caule erecto insistat.

2. *Florem purpureum*, ut in præcedenti nostra; in hac alba est corolla, nec unquam rubra.

3. *Folia plura & acutiora*, ut in illa (licet non ternata); cum nostra duobus obtusis instruatur.

δ. *Radix* filiformis, repens, regerminans, perennis.

Caulis simplicissimus, erectus, spithamæus, squamula una alterave amplexicauli ovata inferne cinctus, foliis duobus, raro admodum tribus, ramo vero nullo, instructus.

Folium inferius e medio caule egreditur, auctum squamulis duabus, subrotundis, oppositis, geniculo caulis adfixis, erectis, ad basin petioli positis; *Petiolus* pollicis est transversi longitudine, filiformis, superne longitudinaliter exaratus. *Discus* folii est circumscriptione (dempta una sexta parte circuli ad basin folii) rotundus, ad basin profunde emarginatus, semiquinquelobatus, lobis obtusis, inæqualiter crenatis, quorum inferiores duo paulo minores; superficies autem levissime pubescens est & secundum nervos plicata. *Folium* vero *superius* per spatium aliquod ab inferiori distans nullis gaudet ad basin petioli squamis, inferiori, dempta magnitudine, in omnibus simillimum est.

Flos unicus, respectu ipsius plantæ magnus, terminatrix, cujus *Calyx* monophyllus, quinquepartitus (raro quadripartitus), in lacinias ovato-acutas divisus. *Petala* quinque, verticaliter ovata, alba, fere erecta, stamina albo-flavescentia. *Bacca* magnitudine Mori, composita, primo rubra; dein, dum matura est, flava, mollis, minusque acida, quam congenerum.

Figura nostra Tab. V. fig. 1. plantam *florentem* exhibet; cum *fructu* eandem bene depinxit *Tillandsius*, in icone 159.

ε. Pueris immo & aliis maxime placent baccæ. We-

stro-

ſtrobothnienſes immenſam copiam baccarum conditarum Holmiam omni autumno tranſmittunt pro acetariis.

ζ. Lappones baccas contritas lacte Rhenonum mixtas ſummo cum delectamento comedunt, nec nobis diſplicebant hæc eorum confectionibus ſaccharatis innocentiora bellaria.

η. Baccas integras, in nive Alpium ſepultas, per integram hyemem conſervant, & vere inſequenti eaſdem tam gratas, ac cum defoderentur, inde extrahunt.

θ. Dani maxime, ne dicam nimium, evehunt vires baccarum in Scorbuto, quarum tamen effectus minus innotuit inquilinis, quam exteris. *Sim. Paulli, Chamæmoris ad ſatietatem commeſtis ſcorbutici in Norvegia pene deplorati, feliciter ſanantur. Th. Bartholinus* med. domeſt. 30. *Norvegia Chamæmorum ſuam habet antiſcorbuticam, ſupraque medicorum ſpem & exſpectationem poſitam, quæ cruda, condita, in ſpiritum attenuata, palato pariter ac torpidæ ſcorbuticorum affectioni inſervit, noſtriſque pro panacea probatur*, &c. vide eundem p. 106.

209. FRAGARIA *vulgaris*. Bauh. pin. 326.
Fragaria veſca. Sp. pl. 708.
Fragaria. Till. ab. 29. ic. 113.
Fragaria minor. Rudb. vall. 14.
Fragaria baccis rubris. Frank. ſpec. 14.
Fragaria minor, fructu rubro. Rudb. cat. 17. hort. 43. Lind. wikſ. 13.

α. *Fragaria minor, fructu dulci ſubalbido.* Lind. wikſ. 13.
Fragaria minor, dulci fructu. Rudb. cat. 17. hort. 43.

β. *Fragaria minime veſca.* Lind. wikſ. 13.
Fragaria altera. Dod. pempt. 672. figura.
Trifolium nodoſum repens. Rudb. lap. 100.

γ. *Fra-*

γ. *Fragaria parvæ pruni magnitudine.* Rudb. lap. 100. *Erdbeeren* Schell. botn. 30.

δ. In ſylvis frequentes, pauciores tamen quam in Suecia; in Alpibus rarius obveniunt.

ε. *Varietas* illa (α) ſæpius in locis umbroſis legitur; (β) autem inter lapides ſtolones reptantes exſerit, & communiter ſterilis eſt; (γ) vero in Lapponia rariſſima, communiter minor parva pruno.

ζ. *Baccas* miſcent Lappones cum Kappatiàlmas ſuo (§ 143. δ), & cum ſummo oblectamento Fraga cruda adſumunt.

η. *Bacca* Fragariæ ſingularis eſt, ut & tota hiſtoria Baccæ apud Botanicos obſcura, pauca itaque exempla proferam. *Bacca* naturaliſſima eſt, dum Pericarpium ſemina ambiens emollitum repletur pulpa fluida, ut baccæ *Phyſalidis*, *Rivinæ*, *Bromeliæ*, *Convallariæ*, *Phytolaccæ*, &c. *Drupa*, dum intra ejuſmodi pulpam ac corticem nux reconditur, loco ſeminum; ut in *Ceraſo*, *Pruno*, &c. Bacca & Drupa poteſt etiam eſſe ſicca, ſi modo caro tegat nucem vel ſemina; ut in *Amygdalo* vel *Galio*, cum inter ſiccum & fluidum nulli dentur alii limites, niſi ratione gradus. Sed ſunt & aliæ baccæ ſingulares; Ex. gr. *Dilleniæ* (C. G. 455) & *Nymphææ* bacca pericarpio membranaceo tegitur. *Cucubali* T. & *Androſæmi* T. bacca caret pulpa. *Morus* & *Bliti ſpecies* (Chenopodio-Morus Boerh. ſeu Morocarpus Rupp.) baccam gerunt e Perianthio ſuccoſo reddito productam. *Taxus* baccam adquirit a receptaculo annulari tandem facto ſuccoſo & majori, quam ut tegere queat ſemen a lateribus, licet dehiſcat in apice. In hoc ordine Polygyniæ longe aliter producuntur baccæ & ſane leviſſimo gradu a non bacciferis diſtinguuntur: Ex. gr. Receptaculum *Tormentillæ* concavum eſt & ſiccum. Receptaculum *Potentillæ* leviter convexum eſt & ſiccum, cui undique adſiguntur ſemina nuda. Receptaculum *Comari* ſcrotiforme, carnoſum & calyci ad-

adhærens. Receptaculum *Fragariæ* ſubovatum, pulpoſum, molle, deciduum, cum ſeminibus nudis. Receptaculum *Roſæ* concavum, cum calyce extenſum, Ficus inſtar, ore ſuo connivens, ſemina plurima nuda continens, carnoſo-pulpoſum. Receptaculum *Rubi* ovato-oblongum, carnoſum, ſemina plura gerens ſub tunica involuta, quæ pulpa repletur. Hinc videre eſt, quod neque fructus *Roſæ*, neque *Fragariæ* vera bacca dici poſſit; quod Fragaria, Comarum, Potentilla, Tormentilla fere nullas alias characteriſticas notas pro diſtinctione admittant, prætérquam quæ gradu differunt. Quod in hiſce generibus magni facienda ſit Receptaculi ſtructura. (F. B. 175. 169.)

9. Ex dictis patet, quid reſpondendum ad Magni BOERHAAVII quæſtionem (H. Lugdb. v. 2. p. 60), *an Rubos Fragariis jungere licet?* Certe videtur, ſi conſideremus in quam paucis hæc duo genera inter ſe differant, ſcilicet in eo ſolum, quod membranula modo tegat ſemina Rubi, quæ minus manifeſta eſt in Fragariis. Pulpa ſucculenta, quæ in Fragaria Receptaculum commune ſeminum molle exhibet, hic ſemina intra tunicam iſtam membranaceam ambit, & baccam conſtituit, licet tam parva tamque fere ſit nulla, in hoc ordine tamen conſtituit characterem, quem ſi non pro ſufficienti adſumeremus, neceſſario ad idem genus referre deberemus Roſam, Rubum, Fragariam, Potentillam, Tormentillam, Sibbaldiam, Comarum, Geum & Dryadem, cum aliæ notæ diſcrepantes dentur nullæ conſtantes; quod autem maxime paradoxon foret (§ 111. β).

210. POTENTILLA *foliis pennatis, caule repente.* *
Potentilla Anſerina. Sp. pl. 710.
Potentilla. Bauh. pin. 321. Till. ab. 55.
Potentilla ſeu Anſerina. Rudb. cat. 34. hort. 93.

 Pen-

Pentaphylloides argenteum alatum seu Potentilla. Tournef. inst. 298.

α. In sylvis rarius crescit.

β. Trado duo diversa Genera Authorum sub uno eodemque nomine, *Quinquefolium* puta & *Pentaphylloides* Tournef. cum in re omnino nulla, examinatis omnibus fructificationis partibus, differant (F. B. 165), nec repugnat facies, nec usus medicus, nec ulla a priori vel posteriori desumpta ratio. Nullum sane est genus, quod non a sola fructificatione distingui possit, licet nos sæpe lateat, quid essentialem constituat characterem; ignoscamus antecessoribus, qui ab una vel altera fructificationis parte genera distinguere tentârunt, si aliquando ad folia, similesque partes confugere ipsis placuit; nobis autem patent septem fructificationis partes distinctæ (F. B. 86), quarum consideratio genuina semper differentiam generis subministrat. Fructificationis istud summum inventum, Harveano æquiparandum, in omnibus valet classibus & generibus, quod tamdiu, crede mihi, persistet, quamdiu unquam Harveanum in physiologicis.

γ. Genus itaque nostrum, ex duobus Tournefortianis compositum (β), in posterum *Potentillam* vocamus (F. B. 213, 244, 242), cum *Quinquefolium* seu *Pentaphyllum* contraria evadant (F. B. 232) & *Pentaphylloides* indignum sit vocabulum (F. B. 226).

211. POTENTILLA *foliis ternatis incisis, caule diffuso.*

Potentilla norvegica. Sp. pl. 715.

Pentaphylloides majus erectum, flore luteo, ternis foliis fragariæ instar hirsutis. Moris. hist. 2. p. 193. s. 2. t. 20. f. 2. Scheuch. alp. 138.

Quinquefolium fragæfolium, flore luteo. Lind. wiks. 31.

Trifolium norvegicum majus surrectum, foliis crenatis,

tis, flore luteo. Kylling. act. hafn. 1672, p. 346. figura.

α. Intra fines Lapponiæ rara est planta, in adjacentibus undique provinciis vulgatissima, bis modo vel ter eandem in Alpibus Lapponum Norvegicorum legi.

211*. POTENTILLA *foliis ternatis incisis subtus tomentosis, caule adscendente.*

Potentilla nivea. Sp. pl. 715. Fl. suec. 2. n. 458.

α. In Alpibus Lapponiæ Westrobothniensis. *Fl. suec.*

212. POTENTILLA *foliis quinatis incisis, caule adsurgente.*

Potentilla verna. Sp. pl. 712. Sowerb. engl. bot. t. 37.

Quinquefolium minus repens lanuginosum luteum. Bauh. pin. 325 ?

Pentaphyllum Tormentillæ facie. Rudb. cat. 32. hort. 85. vall. 28.

Pentaphyllum facie Tormentillæ. Till. ab. 52.

α. In desertis & Alpibus viget.

212*. POTENTILLA *foliis radicalibus quinatis serratis acuminatis; caulinis ternatis, caule declinato.*

Potentilla aurea. Sp. pl. 712. Oed. dan. t. 114.

α. In Alpibus Lapponiæ Norvegicæ. Am. acad. v. 7. 475.

213. TORMENTILLA *sylvestris.* Bauh. pin. 326.

Tormentilla erecta. Sp. pl. 716.

Tormentilla vulgaris. Lind. wiks. 37.

Tormentilla. Frank. spec. 29. Rudb. hort. 109. vall. 34. Till. ab. 66. ic. 30.

Fòrbwn Lapponibus.

α. Planta hæc maxima in copia per totam Lapponiam prostat, hinc Lapponibus notissima.

 β. In

β. In Suecia communiter in ſiccis aridis obvia fuit, in Lapponia vero ſemper in paludibus.

γ. Piſtillorum numerus in hac planta variat, utpote qui communiter ſtylos octo, ſæpe ſedecim, rarius quatuor exhibet.

δ. Lapponibus ſummum uſum præbet hæc planta, præcipue pro ſcopo tingendi, hac enim varia, e lana confecta (a vicinis empta) tingunt; præprimis autem rubrum colorem pellibus nudis ſeu coriis mollibus inducunt, maſticando ſcilicet radicem, & inungendo, rubra inde facta ſaliva, pelles; brevi ſane compendio! hinc videbis veſtimentorum, quibus utuntur, partem illam rubram, quæ carpum collumque tegit, cingula rubra, ocreas rubras, &c. vide Alnum (§ 340. γ).

ε. *Barthol. domeſt.* 23. *In inſulis Ferröenſibus tam copioſe provenit ad ſubigenda coria & ſuum eſcam, ut famuli ruſticorum ſingulis diebus effodere teneantur Tormentillæ tonnam mediam.* Quod idem etiam in Lapponia uſum habere poſſet, apud Novaccolas, niſi Pineum panem præferrent. *Barthol. act. haſn.* 1671. *p.* 88.

214. COMARUM.

Comarum paluſtre. Sp. pl. 718.
Quinquefolium paluſtre rubrum. Bauh. pin. 326.
Quinquefolium paluſtre rubeum. Frank. ſpec. 25.
Pentaphyllum aquaticum. Rudb. cat. 32. hort. 85.
Pentaphyllum aquaticum repens. Till. ab. 52.
Pentaphyllum paluſtre, flore rubello. Lind. wikſ. 28.
Pentaphylloides paluſtre rubrum. Tournef. inſt. 298.

α. *Pentaphylloides paluſtre rubrum, craſſis & villoſis foliis, Suecicum & Hybernicum.* Pluk. alm. 284. phyt. 212. f. 2.

β. In humidis Lapponiæ deſertæ.

γ. *Varietas* iſta (α) rarius obſervatur & plane non differt a naturali planta, præterquam quod folia villoſa ſint, quæ tamen hirſuties anno demum inſe-

quenti

quenti & foliis per hyemem deſtructis exſiccatiſque præcipue obſervatur.

δ. *Novi* hujus *generis* planta magis diſtincta eſt a Potentillis, quam Fragaria, ut patet inſpicienti Corollam, Receptaculum & Filamenta; vide Characterem C. G. 417.

215. DRYAS. *

Dryas octopetala. Sp. pl. 717.

Dryadæa. S. N.

Caryophyllata alpina, Chamædryos folio. Moriſ. hiſt. 2. p. 432. Tourneſ. inſt. 295. Scheuch. alp. 33. 332.

Chamædrys alpina, ciſti flore. Cluſ. pan. 611. Bauh. pin. 248.

Chamædrys montana. Tabern. hiſt. 2. p. 98. fig.

Herba Cervi. Siml. alp. 129. b.

Hirtzwurtz. Siml. alp. 130. b.

α. In Alpibus lapponicis frequentiſſima eſt, extra eas nulli obvia fuit.

β. Genus hoc a ſequenti, cum quo commixtum fuit a Botanicis, manifeſte differt calycis & corollæ diviſione in octo ſegmenta, petalorum forma, fructu & facie, cujus itaque characterem dedimus C. G. 419.

γ. Specioſa eſt planta, *Folia* radicalia, ovata, ad marginem reflexa, perennantia, inferne alba. *Scapus* nudus, uniflorus. *Corolla* nivea, patens, plana, decidua. *Semina* oblonga, ſeta villoſa longiſſima erecta notata.

δ. Sæpe *corolla duplicata* variationem exhibet.

ε. *Dryadem* a Dryadibus Deabus quercuum dixi hanc plantam, cum folia quodammodo formam foliorum Quercus exhibeant.

216. GEUM *rivale.* Sp. pl. 717. Geſn. hort. 260. b.

Caryophyllata ſeptentrionalium rotundifolia, pappoſo flore. Lob. ic. 694.

Caryophyllata aquatica, nutante flore. Bauh. pin. 321.
Caryophyllata pratensis purpurea. Frank. spec. 8.
Caryophyllata pratensis, Benedicta rubra. Till. ab. 15.
Caryophyllata montana rubra minor. Rudb. cat. 10. hort. 23.
Caryophyllata montana, flore purpureo papposo nutante. Lind. wiks. 7.

α. In nemoribus satis frequens est planta.

β. *Geum* T. & *Saxifragam* T. genere convenire diximus (§ 173. δ), ergo excluditur ex Decandria Digynia Geum (F. B. 246); Saxifragæ autem nomen retinetur (F. B. 241), vacuum itaque Gei vocabulum, hujus plantæ olim synonymon (F. B. 244), loco nominis Caryophyllatæ (F. B. 227), huic generi imponimus.

CLASSIS XIII.

POLYANDRIA.

MONOGYNIA.

217. ACTÆA *caule inermi.*
Actæa ſpicata. Sp. pl. 722.
Chriſtophoriana vulgaris noſtras racemoſa & ramoſa. Tournef. inſt. 299.
Chriſtophoriana. Till. ic. 148.
Aconitum racemoſum. Bauh. pin. 183.
Aconitum racemoſum bacciferum. Frank. ſpec. 2.
Aconitum bacciferum ſeu Chriſtophoriana. Rudb. hort. 3. Till. ab. 2.
Betneka-mùrie. Lapp. i. e. *Baccæ caninæ.*
α. In deſertis parœciæ Jokmock & alibi rarius.
β. Retinco in hocce genere nomen antiquiſſimum Plinii *Actæam* (F. B. 241. 237), cum nullus mihi ſanctus in Botanicis ſit Chriſtophorus (F. B. 236). Baccæ enim hæ a devio peragrante loca commeſtæ, canum inſtar Actæonis, dominum ſuum, in beſtiam tranſmutatum, tanquam feram pellunt, donec deſtruant & occidant adſumentem, hinc Poetæ fabula de Actæone.

 γ. Unum

γ. Unum vel alterum novimus trifte exemplum eorum a quibus baccæ adfumptæ, ut mirum nobis non videatur, cur veteres eam ad Aconita demandaverint. Baccæ ipfæ atræ malignam fuam indolem produnt (F. B. 365), fecundum tritum illud: Hic Niger eft, hunc tu Romane caveto.

217*. PAPAVER *capfulis hifpidis, fcapo unifloro nudo hifpido, foliis fimplicibus pinnato-finuatis.*
Papaver nudicaule. Sp. pl. 725. Oed. dan. t. 41.
α. In Alpibus Lapponiæ Norvegicæ. *Am. acad. v.* 7. 474.

218. NYMPHÆA *calyce magno pentaphyllo.*
Nymphæa lutea. Sp. pl. 729.
Nymphæa lutea major. Bauh. pin. 193.
Nymphæa flore luteo major. Rudb. hort. 79.
Nymphæa citrina lutea. Frank. fpec. 21.
Nymphæa flore luteo. Till. ab. 48. Lind. wikf. 26.
α. In fluviis rarius, præfertim in minoribus.
β. Calyx hujus floris pentaphyllus & coloratus, magnitudine corollam longe fuperans omnino non fufficientem præbet notam pro genere diftinguendo, cum ftamina & fructus ab aliis omnibus differant (F. B. 171. 173. 170. 175), confirmante idem facie (F. B. 168).

219. NYMPHÆA *calyce tetraphyllo, corolla multiplici.*
Nymphæa alba. Sp. pl. 729.
Nymphæa alba major. Bauh. pin. 193.
Nymphæa alba. Frank. fpec. 21. Till. ab. 48.
Nymphæa flore albo. Lind. wikf. 26.
Nymphæa flore albo pleno. Rudb. hort. 79.
Leuconymphæa, Nymphæa alba major. Boerh. lugdb. 1. p. 281.
α. In fluviis inferioribus Umenfibus & Pithoenfibus rarius.

β. Flos

β. Flos hujus plantæ plenus non eſt, ut nec Meſembryanthemi, licet petala plura numerentur, quam partes perianthii, cum ſtamina perfecta conſpiciantur (F. B. 121), & ſemina fœcunda perficiantur (F. B. 150).

220. EUPHORBIA *inermis, foliis ſubrotundis crenatis.*
Euphorbia helioſcopia. Sp. pl. 658.
Tithymalus helioſcopius. Bauh. pin. 291.
Tithymalus ſubrotundis foliis majoribus crenatis. Herm. lugdb. 600.
Eſula ſoliſequa. Rupp. jen. 1. p. 260.

α. Unicam plantam nuper enatam vidi in agro Novaccolæ, nec alibi ullam; ideoque ſeminibus cerealium mixta in Lapponiam tranſlata fuit, ubi vix unquam ad maturitatem perduci poteſt, hinc planta lapponica vera non eſt.

β. Qui vel fugitivis oculis unquam adſpexit *Tithymalum* Tournefortii, *Tithymaloidem* ejuſdem & *Euphorbium*, vix poteſt habere argumentum aliquod pro diſtinguendis generibus, cum in illis vix ulla pars fructificationis differat, præſertim cum ſuccus ille famoſiſſimus & vis deleteria, tam in Tithymalo, quam in Euphorbio, deprehendatur.

TRIGYNIA.

221. ACONITUM *foliis peltatis multifidis hiſpidis, petalo ſupremo cylindraceo.*
Aconitum lycoctonum. Sp. pl. 750.
Aconitum lycoctonum luteum. Bauh. pin. 183.
Aconitum lycoctonum luteum majus. Dod. pempt. 439.

Aconi-

Aconitum lycoctonum, flore luteo. Besl. eyst. æst. 1. fol. 11.
Aconitum lycoctonum, flore purpureo, folio platani. Rudb. hort. 1.
Aconitum lycoctonum. Frank. spec. 1.
Aconitum cæruleum seu Napellus primus. Rudb. lap. 96.
Napellus. Rudb. cat. 29.
Calceolus Lapponum aut Brassica rangiferorum. Scheff. lap. 360.
Lappschuh. Schell. botn. 31. i. e. calceus lapponicus.
Acharas. Lapponibus.
Giske. Medelpadis.

α. Planta hæc in Suecia non obvia fuit, nisi postquam Medelpadiam & Angermanniam intrâssem, ubi ad radices montium majorum quibusdam in locis copiose pronascebatur; mox siluit, nec in conspectum prodiit nisi ad latera Alpium lapponicarum; ubi frequentia sua se veram esse plantam alpinam probavit.

β. Neque in Norlandia ab ullo animali tangitur, nec in Lapponia a rangiferis editur, licet Scheffero *Brassica rangiferorum* dicatur; *Calceus* autem *lapponicus* nominatur a figura corollæ referentis calceum Lapponis.

γ. Corollæ florum in nostra luteæ non sunt, ut exterorum volunt nomina, sed e cinereo cærulescentes ubique; quarum forma etiam galea cylindracea, optime a Tournefortio in institut. Tab. 240. fig. I. L. depicta, a congeneribus differt.

δ. *Radix* huic perennis.
Caulis erectus, simplex, teres, altitudine humana, cinereo-viridis, levissime pilosus.
Folia ad radicem plurima, conferta; singula peltata, a centro undique ultra spithamam extensa, ad duas tertias partes in quinque lobos divisa, quorum singuli palmato-lanceolati, tripartiti, serrati, supina

ſupina ſuperficie obſcure viridia, prona vero viridia nitida & venoſa. Petiolis gaudent hæc folia fere teretibus, hinc inde tamen planiuſculis.

Flores ad duas tertias partes cauli ſuperiori inſident, alterni, pedunculis pollicis tranſverſi longitudine, quibus ſingulis foliolum ejuſdem longitudinis, lineari-lanceolatum ſupponitur.

ε. *Aconitum* non minus, quam *Cicutam* (§ 103), ob venenum ſuum fuiſſe omni ævo famoſiſſimas, plena docent patrum Botanices ſcripta; & credidere veteres, illum nunquam ſurgere, qui ſub illa dormiret, & ſagittas Aconiti ſucco inquinatas lethalia facere vulnera, hinc Poetæ eandem ex ſpuma rabidi iſtius canis infernalis, Cerberi, natam fabulati ſunt. Fidem nobis faciant, ſi non alia, certe Matthioli experimenta in ſubjectis humanis ad mortem damnatis inſtituta, ubi decantatiſſimis ſuis antidotis e morte eripere eoſdem non potuit. Similia in brutis capta experimenta videas apud Wepferum de Cicuta; at ego longe mitiorem Aconiti hujus effectum a me obſervatum tradam:

In itinere per Medelpadiam primo vere inſtituto, adverti feminam folia Aconiti hujus legentem, quæ, in quem uſum illa legeret, interrogata, ad cibum inde parandum, reſpondebat. Ego melius ipſi conſulturus (putabam enim eam inſciam hujus, folia illa eſſe Geranii (§ 266) credere) per ſuperos & inferos, ne ultimum ſibi ferculum pararet, monui. Illa autem ſubridens nil periculi latere regerebat, & hanc plantam ſe optime noſſe, atque toties, immo quotannis cum conterraneis eam ſe adſumpſiſſe dicebat, meque iſtam plantam non rite cognoſcere putabat. Introeo domunculam ejus, femina conſcindit folia, coquit illa cum parva quantitate pinguedinis, parat inde juſculum, adſumit idem cum marito, duobus liberis & quadam vetula; ſic

Lurida terribiles miſcent aconita Novercæ

& quod miratus ſum abſque ulla moleſtia, ullove inſequente

ſequente ſymptomate; & ſane quæ non invenit ratio, ſæpe invenit temeritas. Quæro itaque:
An Aconiti vis in ſeptentrione a frigore enervetur? negativam ipſe defenderem reſponſionem, cum etiam in Iemtia, quæ majorem poli agnoſcit elevationem, quam Medelpadia, conſcindatur radix lacteque miſceatur & muſcis offeratur, ut inde pereant ac abigantur.
An vis Aconiti deleteria in ſola radice, non vero in foliis conſiſtit? cum experimenta Matthioli & Wepferi cum radicibus inſtituta ſint & radices in Iemtia exhibeantur muſcis, quodammodo veriſimile videretur, ſed dubio omni non caret.
An planta adhuc, tempore vernali, tenella, particulis iſtis noxiis deſtituitur, quibus adultior imprægnatur? Sic urtica recens progerminans & plures plantæ apud nos coctæ tempore vernali eduntur, quæ per æſtatem non poſſunt adſumi. Vel
An particulæ acres & venenatæ per diuturnam deſtruuntur coctionem? Sic ſane videtur, dum pinguedo iſta non erat ſufficiens tali veneno ita obvelando, ut nullam pareret noxam.

HEXAGYNIA.

222. STRATIOTES.*
Stratiotes Aloides. Sp. pl. 754.
Stratiotes foliis aloës. Gund. apud Johren. præfat.
Aloides. Boerh. lugd. 2. p. 132.
Aizoon Suecorum. Till. ab. 3.
Militaris aizoides. Lob. ic. 375.
Jucca paluſtris ſeptentrionalium. Till. ab. 70.
Aloë paluſtris. Bauh. pin. 286.

Aloë-

Aloëfolia palustris anglicana spinifera, flore albo tripetalo, seminibus croceo colore. Pluk. alm. 19.
Sedum aquaticum. Frank. spec. 27. Rudb. cat. 37. hort. 105.

α. Ad fluvium Kemensem in fossa sub aqua nascentem semel legi.

β. Characterem generis dedimus C. G. 458, ubi videre est, in quantum a Morso Ranæ (*Hydrocharis* sub Dioecia Enneandria) differat.

γ. *Stratiotes* nomen impositum fuit a Vaillantio ipsi Myriophyllo Rivini, quæ planta Hottonis memoriæ commendata est omnibus, qui rem herbariam, sapientiam & virtutem amant coluntque, absit itaque, ut heic loci deleretur Stratiotes vel locum Hottoniæ occuparet.

POLYGYNIA.

223. PULSATILLA *involucro piloso nitido.* ‡
Anemone vernalis. Sp. pl. 759.

α. *Pulsatilla, apii folio, vernalis, flore majore.* Bauh. pin. 177. prod. 94. *carneo.* Rudb. lapp. 99.

β. *Pulsatilla, apii folio, vernalis, flore minore.* Bauh. pin. 177. prod. 94.

γ. In Alpibus lapponicis raro obvia est, in Alpibus vero Dalekarlicis & proximis sylvis omnium copiosissime exsistit.

δ. Authores duas distinctas (α, β) tradunt species, quas easdem esse plantas docent descriptiones.

224. THALICTRUM *pratense.* Lind. wiks. 37.
Thalictrum flavum. Sp. pl. 770.

Thalictrum majus, ſiliqua anguloſa aut ſtriata. Bauh. pin. 336.
Thalictrum nigrius, caule & ſemine ſtriato. Bauh. hiſt. 3. p. 486. figurâ.
Thalictrum vulgare. Rudb. hort. 109.
Ruta pratenſis. Till. ab. 60. ic. 98.
α. In deſertis graminoſis frequentiſſima eſt hæc planta.

225. THALICTRUM *caule fere nudo ſimplici, foliis obtuſis.* *
Thalictrum alpinum. Sp. pl. 767.
Thalictrum minimum montanum atrorubens, foliis ſplendentibus. Boerh. lugd. 1. p. 44. fig. Raj. ſyn. 204.
Thalictrum montanum minimum præcox, foliis ſplendentibus. Moriſ. hiſt. 3. p. 325. ſ. 9. t. 20. f. 14.
Thalictrum inodorum omnium minimum. Rudb. lap. 100.
α. Planta hæc puſilla & tenella natales ſuos debet ſolis Alpibus, licet ſæpe in proxime adjacentibus aquis reperiatur diſſeminata.
β. Flores hujus ſpeciei ſtamina & piſtilla duodecim obtinent, reliquæ autem ſpecies ſtaminibus octodecim vel pluribus inſtruuntur.
γ. *Radix* perennis, nigricans.
Folia Radicalia plurima, compoſita, petiolis erectis filiformibus, longitudine pollicis tranſverſi, ad apicem trifidis, medio ramulo longiori inſidentia; *Foliola* ſubrotunda, triloba, obtuſa, rigida, margine reflexo, per unicam alteramve oppoſitionem adfixa, claudente ſemper impari. Caulina vix ulla.
Caulis erectus, filiformis, vix ſpithamæus, ſuſtinens in ſummitate flores ſex uſque ad duodecim, alternos, propriis pedicellis inſidentes, quos ſquamula ad baſin ſubjecta firmat.
Florum corolla brunno-fuſca, ſtamina vero lutea ſunt.

226. HEL-

226. HELLEBORUS *caule simplici, flore pedunculato.* *

Trollius europæus. Sp. pl. 782.

Helleborus niger, ranunculi folio, flore globoso majore. Tournef. inst. 272. Scheuch. alp. 39.

Pseudo-Helleborus-Ranunculoides, flore globoso. Moris. hist. 3. p. 467. s. 12. t. 2. f. 2.

Helleboro-Ranunculus flore luteo globoso. Boerh. lugdb. 1. p. 297.

Ranunculus montanus, aconiti folio, flore globoso. Bauh. pin. 182.

Ranunculus flore luteo globoso. Rudb. hort. 97.

Ranunculus globosus. Rudb. vall. 30.

Trollius. Rupp. jen. 1. p. 149.

α. In Alpibus nostris copiose viget hic flos speciosissimus & campos istarum convexos flavis florum globis, distincte natis, reddit gratissimos adspectu. Non raro etiam in sylvis juxta ripas conspicitur.

β. A Rhenonum & aliorum animalium devastatione, privilegio naturæ, ut venenatæ plantæ omnes, munita est.

γ. Incertos nos reliquerunt Botanici recentiores circa genus Hellebori, dum alii plures plantas conjungunt, alii distinguunt ab eadem familia. Certe si petala & fructus tantum constituant, secundum data principia, characteres, diversa est hæc planta ab Helleboris; cum hæc gaudeat petalis numerosis (quindecim sæpius), conniventibus, deciduis; Capsulis numerosissimis, sine stylis. At in Helleboris reliquis petala quinque vel sex, patentia, persistentia; Capsulæ tres ad septem usque cum stylis longis, &c. Cum autem omnia genera sint naturalia, sollicite inquirentes observamus notam quandam huic generi propriam, nec ulli alii in tota rerum natura concessam (F. B. 171, 105), nempe Nectaria (F. B. 110), quæ sunt tubuli labiati, a petalo distincti, diversæ in his structuræ, quam in Nigellis, quæ in hocce

hocce genere characterem essentialem subministrabunt (F. B. 181). Conferamus itaque omnes flores diversarum specierum hujus generis, & videbimus nullam certam notam desumi posse a reliquis partibus, nectaria autem semper sibi similia sunt, ergo in hisce consistit essentia. Examinemus itaque flores hujus plantæ & videbimus mox nectaria hæc inter petala & stamina posita, licet labio unico manifesto, altero vix conspicuo notata, hinc dico hanc esse speciem Hellebori generis: Nec negat facies, nec odor, nec vires.

δ. Si Rivino notum fuisset, in quanam parte essentia floris consisteret (F. B. 88. S. N. veg. 6), nunquam retulisset Helleborum ad Flores compositos.

227. CALTHA. Till. ic. 64.

Caltha palustris. Sp. pl. 784. Frank. spec. 7. Rudb. cat. 8. hort. 21. Till. ab. 12. Lind. wiks. 6.
Caltha palustris, flore luteo. Rudb. vall. 7.
Caltha palustris, flore simplici. Bauh. pin. 276.
Populago flore majore. Tournef. inst. 273.
Pseudo-Helleborus-Ranunculoides pratensis rotundifolius simplex. Moris. hist. 3. p. 461.

α. In Lapponiæ sylvis ad ripas minorum fluviorum frequens.

β. Hæc est prima herba, quæ tempore verno apud Lappones floret, flores enim circa finem Maii sæpe explicare incipit.

γ. *Calthæ* vocabulum in hoc genere receptissimum antiquissimumque cum Populaginis Tournefortii nomine commuto; in compositis, pro Caltha Tournefortii, Calendulæ nomine receptissimo utor.

227*. RANUNCULUS *foliis palmatis lævibus incisis, caule erecto, bracteis linearibus.*

Ranunculus platanifolius. Mant. 79. Oed. dan. t. 111.

α. In

α. In Alpibus Lapponiæ Norvegicæ. *Am. acad. v.* 7. 474.

228. RANUNCULUS *pratenſis erectus acris.* Bauh. pin. 178.
Ranunculus acris. Sp. pl. 779.
Ranunculus pratenſis acris, flore luteo. Lind. wikſ. 32.
Batrachium. Frank. ſpec. 6.
α. Ubique in ſylvis graminoſis occurrit.
β. Omni tempore incertum fuit, quæ plantæ eſſent veræ *Ranunculi* ſpecies, quæ vero non, cum tot diverſæ in his reperiantur notæ. Aliæ enim gaudent petalis paucioribus; aliæ pluribus; aliæ ſeminibus in globum, aliæ in ſpicam collectis; aliæ ſemina ſubovata, aliæ echinata, aliæ compreſſa, &c. proferunt; hinc Tournefortius Ranunculis admiſcuit *Hepaticam*, *Aliſmam*, *Sagittariam*, *Myoſurum*, *Adonidem*, & *Anemonem*, ex Ranunculorum numero autem excluſit Vaillantius *Ranunculoidem*, alii *Ficariam* ſeu Chelidonium minus: Verbo nulli certi limites in hoc genere fuere poſiti ab ullo Botanico. Puto autem me veram notam eſſentialem in hoc genere inveniſſe, quam dudum in S. N. obſ. veget. 20. exhibui, quæ in omni nobis nota ſpecie obtinuit; iſta conſiſtit in puncto excavato mellifero intra unguem petalorum poſito. Punctum hoc nectariferum in aliis nudum, in aliis margine cylindraceo cinctum, in aliis autem ſquamula tectum; loco tamen & uſu convenit in omnibus. Hinc dico, quod *Hepatica*, *Aliſma*, *Sagittaria*, *Anemone* & *Myoſurus* ſint diverſi generis, quod etiam confirmat calyx in Ranunculo ſemper deciduus. *Adonis* calyce gaudet pentaphyllo deciduo, ut Ranunculi, ſed punctis nectariferis deſtituitur, ergo tantum differt a Ranunculis, quantum Caltha ab Helleboris, id eſt, ſolis nectariis. Chelidonium minus vero ſeu *Ficaria* punctis nectariferis inſtruitur,

ergo Ranunculi ſpecies genuina eſt & erit. Vide Tab. III. fig. 6.

γ. Hæc planta jucundo ſpectaculo omnia prata Weſtrobothniæ, e longinquo viſa, flavo tegmine obducit.

δ. In Suecia Æltegræs dicitur & a mulierculis interne exhibetur in febre ſtomachali & intermittenti, pro doſi capitula ſeminum tria; profecto medicamentum validum, quod craſſiſſimæ cuti ruſtici alicujus extus applicatum effectum ſuum produceret.

ε. Ruſtici non ſecant gramen antequam Ranunculus hic defloruit, nec priùs maturum eſſe cenſent.

229. RANUNCULUS *bulboſus*. Sp. pl 778. Park. theatr. 329.
Ranunculus pratenſis, radice verticilli modo rotunda Bauh. pin. 179.
Ranunculus pratenſis dulcis. Rudb. hort. 95.
α. Cum antecedenti ſæpius in pratis conſpicitur.

230. RANUNCULUS *pratenſis repens hirſutus.* Bauh. pin. 179.
Ranunculus repens. Sp. pl. 779.
Ranunculus hirſutus ſylveſtris. Rudb. hort. 95. Till. ab. 57.
Ranunculus. Till. ic. 89.
α. Cum antecedenti frequens, præſertim ad margines agrorum apud Novaccolas.

231. RANUNCULUS *caule unifolio & unifloro, foliis tripartitis.* * Tab. III. fig. 4.
Ranunculus lapponicus. Sp. pl. 778.
Ranunculus caule nudo unifloro, foliis trifidis. F. L. 56.
α. In deſertis Lapponiæ Umenſis juxta fluvium Juchtan bis vel ter lecta fuit Ranunculi hæc ſpecies, ni fallor, nova.
β. *Radix* filamentoſa.

Folium Radicale unicum, petiolo longitudine digiti filiformi infidens, ad bafin fere tripartitum, lobis verfus bafin anguftioribus, verfus apicem latioribus & obtufis, tribus vel quatuor crenis incifum. *Caulinum* etiam unicum, petiolo breviori infidens, minus, priori conforme, cauli adfixum, aliquando in medio, aliquando prope radicem.

Caulis filiformis, fpithamæus, fimpliciffimus, rectus.

Flos unicus, terminatrix, luteus. *Calyx* flavus, communiter triphyllus, lævis, magnitudine petalorum, reflexus. *Petala* quinque, concava, utrinque acuta, parva. *Stamina* duodecim ufque ad quindecim. *Piftilla* fex ufque ad octodecim. *Semina* acuminata, apice reflexa, in globum congefta.

γ. Figura noftra bene repræfentat plantam, & fecundum vivum exemplar exfculpta eft.

δ. Proxime accedit ad *Ranunculum fecundum.* Mart. fpitzb. 44. G. e. eundem tamen non dixerim.

232. RANUNCULUS *caule unifloro, foliis radicalibus palmatis, caulinis multipartitis feffilibus.* * Tab. III. fig. 2.

Ranunculus nivalis. Sp. pl. 778.

Ranunculus quartus. Mart. fpitzb. 44. tab. H. fig. b.

Ranunculus minimus alpinus luteus. F. L. 56.

α. Planta eft mere alpina & in Alpibus noftris ad rivulos, e nive incumbente ortis, frequentiffima.

β. *Radix* tuberofa, fufiformis, perennis.

Caulis fimplex, erectus, glaber, vix longitudine digiti.

Folium Radicale unicum vel alterum petiolis minutiffimis infidens, in quinque lobos femiovatos ad medium ufque divifum. *Caulinum* communiter unicum (rarius duo oppofita) feffile, in tria vel quatuor foliola ovato-oblonga ad bafin ufque divifum, & mediæ caulis parti adnexum.

Flos unicus, terminatrix, cujus *Calyx* pentaphyllus,

foliolis ovatis, concavis, flavescentibus, villis nigris adspersus. *Petala* quinque, verticaliter ovata, patentia, vix emarginata, quorum tubi melliferi margine elevato destituuntur.

γ. En Variationem singularem hujus speciei

RANUNCULUS (prædictus) *pygmæus*. Tab. III. fig. 3.

? *Ranunculus uniflorus, folio trifido*. Lind. wiks. 32.

? *Ranunculus montanus minimus uniflorus*. Brom. goth. 94.

In Alpibus nostris frequentissimus est, eumque diu pro distinctissima ab antecedenti specie habui, donec tandem vidi eandem esse plantam cum priori, quæ enata hoc eodem anno e semine, sequenti experiebatur metamorphosin omnino singularem.

233. RANUNCULUS *caule bifloro, calyce hirsuto*. * Tab. III. fig. 1.

Ranunculus glacialis. Sp. pl. 777.

Ranunculus montanus purpureus, calyce villoso, Felicis Plateri. Bauh. hist. 3. b. p. 846. Scheuch. alp. 339. & 139. t. 20. f. 1.

Ranunculus primus. Mart. spitzb. 43. Tab. I. fig. d.

Ranunculus alpinus roseus purpureus, calyce hirsuto. Rudb. lap. 99.

α. *Ranunculus alpinus roseus albus, calyce hirsuto*. Rudb. lap. 99.

β. Ubique floret in Alpibus nostris altissimis & nive obductis speciosissimaque sua corolla valde placet.

γ. Quam primum erumpit flos purpurascit, deinde quotidie pallescit magis magisque, hinc D. Rudbeckii varietas (α).

δ. Figuram exhibuimus cum pessima sit Martens, nec optima Scheuchzeri.

ε. Descriptionem bonam dedit laudatus Scheuchzerus, hinc superfluum foret eandem iterum describere; dicam modo folia esse parum succulenta, & calycem purpurascentem, sed crassis crinibus fuscis ex-

terne adſperſum; communiter eidem cauli inſident flores duo.

234. RANUNCULUS *foliis inferioribus capillaceis, ſuperioribus peltatis.* *

Ranunculus aquatilis. Sp. pl. 781.

Ranunculus aquaticus, folio rotundo & capillaceo. Bauh. pin. 180.

Ranunculus fluviatilis, folio parum ſciſſo. Lind. wikſ. 32.

Ranunculus aquaticus rotundifolius. Rudb. hort. 97.

Ranunculus fluviatilis. Frank. ſpec. 26.

Ranunculoides foliis variis. Vaill. act. 1719. p. 37.

α. Ubique reperitur in fluviis maximis Lapponiæ ſylveſtris, ſi modo aqua lente labatur, nec rapido agitetur motu.

β. Creſcit ſæpe in aquis pedes viginti profundis per Lapponiam, & tamen e fundo non emergit ante medium Junii, attamen ante finem Julii per hanc altitudinem excrevit, & folia natantia cum flore & fructu abſolvit, ut circa diem quartam Auguſti ſemina dejiciat & a frigore deſtructus cadat, adeoque in hanc plantam optime quadrat tritum, *repente exorta, pauliſper floruit, repente occidit.*

γ. Ubi fluvii dilatantur in formam lacuum, ſæpe totam aquam ante finem Julii tegit hæc planta, & e longinquo perbelle in ipſa aqua repræſentat ſuaviſſimum pratum albis floribus pictum.

δ. Singulare eſt in plantis plurimis aquaticis, quod folia iſta ſub aqua poſita ſint capillaria, ſupra aquam autem lata & plana; contra vero in montibus & ſiccis locis folia inferiora latiora & magis integra, at ſuperiora magis diviſa. (F. B. 314). Quæ ratio?

ε. Planta hæc licet recta excreſcat, tamen repens eſt, ex ſingula enim foliorum multifidorum, & ſub aqua naſcentium ala erumpunt nonnulla omnium longiſſima fila, quæ terram petunt & radices in illa agunt.

O 3 ζ. Vail-

ζ. Vaillantius e Ranunculis aquaticis foliis capillaceis novum conſtituit genus, ſed ſine omni ratione ſufficienti; Tubus enim mellifer in hac ſpecie margine cylindraceo cingitur.

235. RANUNCULUS *foliis ovato-oblongis integerrimis, caule procumbente.* *
Ranunculus Flammula. Sp. pl. 772.
Ranunculus longifolius paluſtris minor. Bauh. pin. 180.
Ranunculus flammeus. Frank. ſpec. 25.
Ranunculus flammula. Rudb. cat. 35. hort. 95. Till. ab. 57.
Ranunculus flammula paluſtris longifolius. Lind. wikſ. 32.

α. In ſylvis ad rivulos rarius.

β. Etiam hæc planta ab aliis *Æltegræs* dicitur & ut prior (228. δ) interne uſurpatur.

236. RANUNCULUS *foliis linearibus, caule repente.* * Tab. III. fig. 5.
Ranunculus reptans. Sp. pl. 773.
Ranunculus foliis lanceolato-linearibus integris, caule repente. F. L. 56.
Ranunculus minimus. Till. ab. 57.
Ranunculus paluſtris, anguſtioribus foliis, minimus. Brom. goth. 95.
Ranunculus paluſtris, longifolius minimus reptans. Mart. burſ. 505.

α. Ad ripas lacuum & fluviorum præſertim Lulenſium Lapponiæ ſylveſtris in locis glareoſis frequens eſt.

β. Rarioris hujus plantæ ſpeciem figura Tab. III. 5. addita deſcriptione exhibeo, cum a nullo alio eam noverim datam.

γ. *Radix* perennis.
Caulis ſimpliciſſimus, filiformis, digitalis vel ſpithamæus, procumbens, arčteque terræ adpropinquans, in plura internodia diviſus, ſingulo articulo

culo per diſtantiam pollicis tranſverſi remoto. E ſingulo articulo exſeritur tenuis & ſibroſa radix, quæ mox terræ infigitur.

Flos communiter unus, raro duo, caulem terminat, parvus, pentapetalus, flavus.

Folia ad ſingula genicula duo, tria vel quatuor, quorum maxima longitudine pollicis tranſverſi, erecta, ſeſſilia, lineæ forma & latitudine.

Non raro etiam ex ſingula ala ſolitarius oritur flos.

CLASSIS XIV.

DIDYNAMIA.

GYMNOSPERMIA.

237. GALEOPSIS *corolla rubra aut alba.* †
Galeopsis Tetrahit. Sp. pl. 810.
Ladanum verticillis crebrioribus, flore purpureo, caule fulcrato. Dill. giss. 135.
Tetrahit verticillis crebrioribus, flore purpureo, caule fulcrato. Dill. app. 103. Celſ. upſ. 41.
Galeopsis procerior, calyculis aculeatis, flore purpuraſcente. Tournef. inſt. 185.
Lamium, cannabino folio, vulgare. Raj. ſyn. 240.
Cannabina flore purpuraſcente. Boerh. lugdb. 1. p. 159.
Cannabis ſpuria. Riv. mon.
Urtica aculeata, foliis ſerratis. Bauh. pin. 232.
Cannabinaſtrum, urticæ folio, flore rubro. Heiſt. helmſt. 1731. p. 31. & 1732. p. 5.

α. In agris Novaccolarum & in ſtabulis rangiferorum ad caſas Lapponum vulgaris eſt.

(Varie-

(Varietatem hujuſce plantæ, a nemine adhuc deſcriptam, prope Matlock in comitatu Derbienſi Angliæ, anno 1788, inveni, cui flos terminalis ſemper regularis, quadrifidus, hypocrateriformis, ſtaminibus æqualibus, erat; reliquis floribus figurâ ſuâ naturali gaudentibus.) *J. E. Smith.*

β. Tot impoſita fuere huic generi a Botanicis nomina, quot ſyſtematici ferme fuere. Cum reliquæ ſpecies Galeopſidis Tournef. ſine controverſia ad Stachyos genus amandari debeant, quid vetat, quo minus hæc receptiſſimum nomen Galeopſidis retineat?

GALEOPSIS *corolla flava, labio inferiori maculato.*

Galeopſis Tetrahit β. Sp. pl. 810.

Tetrahit verticillis crebrioribus, flore flaveſcente, caule fulcrato. Celſ. upſ. 42.

Lamium cannabinum aculeatum, flore ſpecioſo luteo, lobis purpureis. Pluk. phyt. 41. f. 4.

Cannabina flore magno luteo labiis purpureis. Boerh. lugd. 1. p. 159.

Cannabis ſpuria, flore majore. Riv. mon.

Cannabis ſpuria, flore ſpecioſo luteo, labro purpureo. Raj. hiſt. 561.

Cannabis ſpuria anguſtifolia, variegato flore, polonica. Barrel. ic. 1158.

α. Cum præcedenti ubique mixta obſervatur & in Lapponia & in tota Suecia.

β. A priori vix diſtingui poteſt, niſi ſola corolla, quæ in hac duplo major eſt & flava, labio inferiore purpuraſcente. Hinc num ſpecie ab antecedenti diverſa ſit, an vero minus, vix facile determinatur; ego pro varietate potius haberem plantam hanc nulla figura a priori diverſam.

238. PRUNELLA *flore minore, vulgaris.* Bauh. hiſt. 3. p. 428.

Prunella vulgaris. Sp. pl. 837.

Brunella

Brunella major, folio non diffecto. Bauh. pin. 260.
Brunella. Riv. mon.
Prunella vulgaris, flore purpureo. Rudb. cat. 34. hort. 93.
Prunella flore purpureo. Lind. wikſ. 30.
Prunella. Till. ab. 55. ic. 135.
Confolida minor. Frank. ſpec. 10.

α. In defertis locifque depreffis Lapponiæ paffim legitur.

β. Rarius *flore albo* occurrit, dum etiam tota planta albidior folito evadit.

239. SCUTELLARIA *foliis cordato-lanceolatis crenatis.*
Scutellaria galericulata. Sp. pl. 835.
Scutellaria. Riv. mon.
Caffida paluftris vulgatior, flore cæruleo. Tournef. inft. 182.
Lyfimachia cærulea galericulata vel Gratiola cærulea. Bauh. pin. 246.
Lyfimachia galericulata. Frank. ſpec. 19.
Lyfimachia galericulata cærulea. Rudb. cat. 26. hort. 96. Till. ab. 41.
Lyfimachia repens, flore cæruleo galericulato. Lind. wikſ. 22.

α. Cum antecedenti paffim, præfertim ad ripas fabulofas fluviorum.

β. Planta hæc quafi media eft inter Prunellam & Dracocephalon, ab omnibus vero diftinctiffima calyce, pericarpii inftar, includente femina, figura fingulari ſpectabili.

ANGI-

ANGIOSPERMIA.

240. MELAMPYRUM *foliis lanceolatis, florum paribus remotis.*
Melampyrum luteum latifolium. Bauh. pin. 234.
α. *Melampyrum minus, flore albo.* Rudb. cat. 27. hort. 73. Lind. wikf. 24.
Melampyrum pratenſe. Sp. pl. 843.
Melampyrum luteum latifolium. Celſ. upſ. 32.
Melampyrum latifolium, flore albo, labio inferiore duabus maculis luteis diſtincto. Raj. ſyn. * 286.
β. *Melampyrum latifolium, floribus parvis luteis.* Celſ. upſ. 32.
Melampyrum ſylvaticum. Sp. pl. 843.
Kowall. Lykſelenſibus.
γ. In ſylvis omnium copioſiſſima, etiam in Alpibus vulgaris eſt.
δ. Ambæ iſtæ varietates (α, β) in Suecia vulgares omnino ſunt, eas autem diſtinctas eſſe non dixerim, nec ſtatuit Rajus in Synopſi; notabiles tamen ſunt & plurimis differunt, licet minus evidentibus notis; quænam harum naturalis ſit planta, difficile determinatur, crederem ego priorem (α), cum copioſior exſiſtat, atque oris labia, ut in congeneribus, clauſa ſint, licet hæc pro varietate, altera vero pro naturali habeatur in Raj. ſyn.
ε. Differentiæ, quæ variationes haſce (δ) diſtinguunt, ſunt ſequentes:
α. in pratis & ſiccioribus naſcitur,
β. vero in ſylvis & dumetis.
α. caule magis erecto gaudet,
β. caule nutante magis.
α. folia magis erecta & conniventia,
β. folia omnino patentia gerit.

α. corolla

α. corolla alba gaudet, verſus labia flaveſcente,
β. vero corolla fulva tota, & antecedenti longe breviori.
α. rictu oris ſeu labiorum clauſo,
β. rictu oris aperto & dehiſcente inſtruitur.

ζ. Varietatem (β) ex Helvetia per D. Geſnerum ſub nomine: *Stæhelina flore flavo* Halleri in Comm. reg. Succ. habuit Clariſſimus GRONOVIUS.

η. Butyro colorem flavum inducere Caltham (§ 227), dum tempore vernali a vaccis adſumitur, ſtatuerunt veteres, ut *Palmberg* in *Sertis floreis Suecanis* & alii, cujus flavi flores inſtar croci adſumpti, lac tingerent; hoc tamen falſum eſſe videmus, cum boves caltham non edant; nec crederem ſingulas plantas, ſine diſcrimine, recentes ſimul hanc flavedinem producere, cum in aliis locis flavum magis, in aliis vero magis fulvum obſervemus butyrum; nec quod hæc unica ſit cauſa, unquam ſtatuerem. Ad templum Lykſelenſe in Lapponia Umenſi butyrum, quantum novi, omnium præſtantiſſimum adquiritur, nec aliud vidi unquam tam intenſe fulvo colore ſaturatum ac hoc; hinc expetitur a mercatoribus Umenſibus præ alio omni, cum carius vendi poſſit & miſceri cum alio, ut mixtum præſtantius evadit. Inquirenti mihi in eodem loco conſtituto cauſam, reſpondebatur Kowall (α, β), quæ planta copioſius hic pronaſcebatur, hæc efficere, quod confirmabant mox paſcua boum a me viſa, majori hujus plantæ copia tecta, quam unquam obſervavimus alibi.

241. PEDICULARIS *caule ramoſo, floribus ſolitariis remotis.*

Pedicularis ſylvatica. Sp. pl. 845.
Pedicularis pratenſis purpurea. Bauh. pin. 163.
Pedicularis pratenſis. Frank. ſpec. 23.
Pedicularis flore purpureo. Till. ab. 51.
Pedicularis. Till. ic. 131.
Criſta galli ſeu Pedicularis pratenſis, flore purpureo. Lind. wikſ. 10.

Criſta

Crista galli aquatica, flore purpureo. Rudb. hort. 29.

α. Non raro etiam *floribus albis* legitur, dum simul tota planta e viridi albicans deprehenditur.

β. Huic adjungam quatuor alias species in Alpibus nostris frequentissimas. Non nego, quod in Alpibus Helveticis habeantur eædem, licet & descriptiones & figuræ Pedicularium omnium, præsertim alpinarum, imperfectæ omnino a Botanicis traditæ sint, ut nullus aliquid certi ex istorum libris, figuris vel descriptionibus, colligere queat. Vidi specimina varia plantarum exsiccatarum ex Alpibus Helveticis deprompta, sed nulla eorum nostris exacte respondentia. Forte etiam locus remotissimus multa in plantis his diversa procreat, hinc describo & depingo nostras species, ne ullum remaneat apud Botanicos dubium de iis, quas sub nostro nomine intelligimus.

242. PEDICULARIS *caule simplici, foliis lanceolatis semipinnatis serratis acutis.* * Tab. IV. fig. 1.

Pedicularis lapponica. Sp. pl. 847.

Pedicularis caule simplici, foliis lanceolatis serrato-pinnatis acutis. F. L. 57.

α. Ubique in Alpibus nostris sabulosis & lapillosis frequens est.

β. Pedicularis Tab. IV. fig. 1. videtur nova & nondum descripta. *Dillenius.*

γ. *Radix* perennis.

Caulis spithamæus, erectus, fere rectus, teres, lævis.

Folia Radicalia vix ulla; *Caulina* septem vel octo, lanceolata, acuta, basi angustata in petiolum, alterna, pinnatim fere & ad medium divisa in quatuordecim ad viginti pinnas, *pinna* singula denticulis utrinque duobus ad quinque usque parvis crenata, glabra.

Spica laxa, tetragona caulem terminat, singulis floribus

ribus ſubjicitur unicum folium, inferiora folia floribus longiora, ſuperiora vix calycis longitudinem adſequentia, flores a perpendiculo declinantes ſex ad ſedecim uſque in eadem ſpica.

Floris ſinguli *Calyx* lævis, tubulatus, ore bifido obtuſo. *Corolla* ringens, flava, labio ſuperiori compreſſo, apice producto, deorſum reflexo, & prominente, roſtri aquilini inſtar.

243. SCEPTRUM CAROLINUM *Rudbeckii.* it. dedic. vide noſtram Tab. IV. fig. 4. & 5.

Pedicularis Sceptrum Carolinum. Sp. pl. 845.

Sceptrum Carolinum, flore aureo magno, rictu floris ſanguineo. Rudb. lap. 100.

Antirrhinum aquaticum, flore luteo Suevorum. Rudb. hort. 9.

Antirrhinum noſtrum aquaticum, flore luteo. Rudb. cat. 4.

Alectorolophus lapponica lutea, digitalis flore. Petiv. hort. n. 52 (in Raii hiſt. 3. app. p. 241).

Pedicularis alpina, folio Ceterach. Helw. flora. 39.

α. In Alpium lapponicarum nemoribus eſt locus hujus plantæ natalis, licet non raro in ſylvis, præſertim ad ripas, obſervetur per totam Lapponiam ſylveſtrem, præcipue Luleníem; non raro etiam in locis ab Alpibus noſtris remotiſſimis legitur, ut inter Kemi & Io, ubi totam viam regiam adeo implevit, ut fere equo, qui relaxatis habenis curſum ſuum accelerat, obniti poſſit.

β. Hiſtoria hujus plantæ data eſt in Diſp. de *ſceptro Carolino* per Nobiliſſ. *Rudbeckium* nepotem, vide B. B. 45.

γ. Plantam hanc ſpecioſam in Suecia primus nominavit *Rudbeckius pater* nomine Antirrhini; *Rudbeckius filius* autem in itinere per Lapponiam, eandem reperit juxta fluvium Luleníem prope Harefby, ubi etiam ejus & Illuſtrium Comitum nomina arbori inciſa

incifa legi. Placuit ipfi præ reliquis fpeciofiffima hæc planta, caule fuperbiens *recto firmoque*, floribus fere *verticillatis*, *fceptri* inftar, exornata, quorum finguli lucent faturato flavo *colore aureo* & limbo inftruuntur perfonato *Leonis ori* fimili, at *labiis* parum *fanguinea rubedine* tinctis. Hinc in dedicatione itineris lapponici tomi primi (qui prodiit) hanc plantam *Sceptrum Carolinum* dixit a Rege noftro p. m. potentiffimo Carolo XII, tum armis bellique fortunæ imperante.

δ. *Figuram* hujus plantæ optimam fplendidiffimamque dedit magnus nofter *Rudbeckius filius* in itin. lap. fed ad fpecimen tenue confectam exhibuit laudatus *Helwing* in Flora fua quafi modo genita: *Nos* tertiam exhibuimus Tab. IV. fig. 4. 5. fed tantum quoad fummam partem caulis *b.* & unicum folium radicale *a.* cum flore *c.* pericarpio *d.* & feminibus *e.*

ε. Differt hæc fpecies a reliquis nobis notis congeneribus: 1. *Corollæ* rictu claufo. 2. *Pericarpio* fubrotundo, acuminato, fed regulari, reliquæ enim notæ fpecies acumine obliquo inflexum gerunt pericarpium. 3. *Magnitudine;* adfcendit enim ad altitudinem dimidiam humanam. 4. *Flores* deinde quafi verticillatos, quatuor, quinque, tres, ad genicula pofitos, remotos, profert, 5. *Labii inferioris* apice purpurafcentes, toto petalo alias flavo.

ζ. Eandem obfervavimus in Weftrobothnia, Oftrobothnia, Dalekarlia prope Alpes Dalekarlicas ut Sernæ, Tranftrandiæ, &c. at Cl. *Celfius* in Uplandia eandem anno 1729, fponte nafcentem nobis demonftravit.

η. Ufum hujus plantæ nullum novi, fed fane eam vidiffe fufficit, præterquam quod Tranftrandiæ vulgus femina ejus contrita dentibus adponat, ad dolores dentium fopiendos.

θ. Defcriptio hæc eft.

Radix *ejus eft femipedalis in fibras definens, craffitie minimi*

minimi digiti, ſenſim anguſtior, ramulos tenues hinc illincque emittens, ad cujus caput vel ſummum, ubi marginem terræ attingit, barbam emittit villoſam, intra quam folia emergunt.

Folia *e radice exſurgunt, quatuor ad octo, petiolis brevibus, medio ſinuatis, e latiuſculo principio ſenſim ſenſimque in nervum attenuatis, qui intra baſin ipſius folii vicem nervi ſupplent. Coſta ſeu nervus longitudinem folii pertranſit, qui reſpectu ipſius folii ſatis magnus & craſſus eſt, a latere ſuperiori cum ipſo folio parallelus, ab inferiori vero valde prominens. Ramos partiales continuo ad lacinias folii emittit, qui interdum oppoſite, interdum alterne ab eodem egrediuntur. Folii vero corpus longitudine pedem Pariſienſem dimidium, latitudine uncias duas æquat. Dividitur porro ipſum folium in plurimas lacinias ad coſtam fere ſectas inter ſe æquales, prope apicem tamen minores; laciniæ hæ, ut ipſum folium, obtuſæ, ſerratæ & iterum, quemadmodum folium, in lacinias minores, ſubdiviſæ, non vero tam profunde quam ipſum folium. Totus foliorum margo, ſub quo etiam intelligimus & comprehendimus lacinias majores & minores, undique obtuſe ſerratus eſt. Color foliorum viridis, veluti ac omnium fere plantarum, ſaturatior autem ac in aliis, magiſque ad nigredinem vergens.*

Caulis *vero rotundus, leviter ſtriatus, leviter etiam ſcaber, foliis communiter deſtitutus, exceptis illis, quæ ad exortum floris emergunt. Longitudo ejus ad minimum ſuperat pedem unicum, duos communiter æquat, raro vel tres. Raro etiam ramoſus evadit caulis, interdum tamen unicum vel alterum emittit ramulum. Ab una eademque radice communiter ſingularis exit caulis, ſæpe tamen duo ad quinque circumcirca ad majoris exortum collocantur.*

Flores *in caule ſæpe oppoſiti terni, quaternive vel quini, veluti ad unum internodium egrediuntur, communiter tamen leviter ſparſi reperiuntur. Petiolis*

omnibus

omnibus destituuntur, quos flores Botanici vocant Sessiles. Ad exortum florum foliola nonnulla subjiciuntur, quasi vicem calycis communis supplerent. Foliola hæc, reliquis satis similia, sed veluti ac ipsi flores sessilia, h. e. sine caule, parum laciniata, magis autem acuminata & serrata, longitudine semiunciæ exporriguntur. Foliolis hisce remotis, alia adhuc minora in conspectum prodeunt, quorum singula singulis calycibus florum subjiciuntur, quibus etiam satis similia sunt, ut facile ab incautis pro parte quadam calycis haberentur; a parte inferiore calycem ambiunt, longitudine superant eundem.

Calyx *monophyllus, ventricoso-tubulatus, minus tamen ac in speciebus Fistulariæ, sub quarum sectione, ut antea dictum est, Sceptrum Carolinum refertur, rectus, in caule decussatim fere positus, ore obtuso, quadrifido, obtuse serrato, usque ad maturescentiam fructus superstes.*

Corollæ Petalum *unicum, tubulatum, personatum, marcescens, calyce duplo longius, ore, in duo labia clauso, diviso, quorum superius concavum, galeatum, emarginatum, ad margines a latere interiore leviter pubescens: inferius autem longitudine superiori par, in tres lacinias obtusas & æquales, sectum. Totum petalum, colore insignitur luteo, exceptis laciniis labii inferioris: hinc cecinit* Rudbeck fil.

Hwars blomma lik en hielm so gul som gullet lyser
Med blek och blodig mun samt blod-bestænkte blad.

Stamina *quatuor secundum galeam, sub qua etiam reconduntur, incurva, & apicibus oblongis instructa sunt.*

Pistillum *germine ovato, stylo simplici intra labium superius corollæ, corolla fere longius, stigmate obtuso gaudet.*

Fructus *intra calycem positus per maturitatem in capsulam membranaceam, globosam cum acumine, transformatur, & septo intermedio in duo dividitur locu-*

P *lamenta,*

lamenta, ab apice per maturitatem ad basin usque dehiscit in valvulas.

Semina *plurima, membrana rugosa, magnitudinem seminum longe superante inclusa, ita ut unumquodque triangulari propria sua membrana, trigona rugosa a ceteris soluta placentæque adfixa circumdetur.*

Qui plura desiderat, adeat prædictam dissertationem de Sceptro Carolino.

244. PEDICULARIS *caule simplici, foliis semipinnatis obtusis, laciniis imbricatis crenatis.* Tab. IV. fig. 2.

Pedicularis flammea. Sp. pl. 846.

Pedicularis caule simplici, foliis oblongis obtusis, laciniis pennatis, imbricatis. F. L. 57.

α. In Alpium lapponicarum summis jugis frequens est.

β. Pedicularis Tab. IV. fig. 2. est *Pedicularis alpina folio ceterach.* Bauh. pin. 163. Tournef. inst. 173. a Gesnero (*Herba foliis Asplenio persimilibus Gesn. fract.*) breviter sine icone descripta. *Dillenius.*

γ. Hæc quoad faciem primo intuitu antecedenti valde similis est, licet vigesies minor; differt deinde a reliquis nostris,

1. quod folia Filipendulæ sint simillima, & laciniæ imbricatæ;
2. quod radix tuberosa sit & fusiformis;
3. quod florum corollæ fulvæ sint & labii superioris apex purpurascens;
4. quod labium inferius sit superiore dimidio brevius.

δ. *Radix* tuberosa, fusiformis (ut Sisari off.) basi squamis nonnullis coronata.

Caulis simplex, sine ramis, vix digiti longitudine, teres, nigro-purpurascens, erectus.

Folia Radicalia plurima, patentia, singula petiolis filiformibus insidentia, obtuse lanceolata, ad nervum longitudinalem fere pinnatim divisa, *Pinnis*

fere

fere ovatis, proximis, ita ut margo alterius pinnæ incumbat proximæ, per margines crenatis, ſingula crena minoribus crenulis notata. Caulina rariora, nonnulla ſpicæ ſubjecta, radicalibus ſimilia.

Spica caulem terminat, ejuſque tertiam partem tegit, erecta, compreſſa, oblonga. *Calyx* ſtriatus, tenuis, quadridentatus, oblongus. *Corolla* anguſta, labio inferiori minimo, ſuperiori anguſto, fere erecto, obtuſo; tota eſt fulva, excepto apice labii ſuperioris nigro-purpuraſcente. Pericarpium acuminatum, apice incurvo.

245. PEDICULARIS *caule ſimplici, calycibus villoſis, foliis linearibus dentatis crenatis.* * Tab. IV. fig. 3.

Pedicularis hirſuta. Sp. pl. 847.

Pedicularis caule ſimplici, foliis oblongis dentato-pinnatis, calycibus villoſis. F. L. 57.

α. In iiſdem locis cum antecedenti provenit, nec extra Alpes hanc vel illam unquam obſervavimus.

β. *Radix* perennis, ramoſa, fere carnoſa, & fibroſa.

Caulis ſimplex & ſine ramis, longitudine dimidii digiti, reſpectu magnitudinis craſſus, ad baſin ſquamis oblongis, confertis, cinctus.

Folia Radicalia fere ſquamæ lineares ſunt, Caulina ſquamis paulo longiora & ad apicem crenata, ſuperiora circumſcriptione ſua lineari-lanceolata, ultra mediam partem pinnatim in denticulos diviſa, parte intermedia & integra remanente plana, lata, & orta e petiolo lato, amplexicauli. *Denticuli* autem anguſtiſſimi ſunt & minutiſſime crenati.

Spica florum caulem terminans breviſſima eſt, ſed craſſa & quadrangularis, conſtans floribus ſex uſque ad duodecim, ſeſſilibus, *Calycibus* magnis, ovatis, ultra medium quadrifidis, acutis, hirſutis, cinereis, *Petalo* vero pallide incarnato toto, labio

bio inferiori breviori, ſuperiori erecto obtuſo. Macula cordata ſaturate carnea in labio inferiori conſpicitur.

γ. Differt & a *Pediculari vulgari minori* & ab omnibus aliis, foliorum petiolis latis amplexicaulibus, Calycibus villoſis, Corollæ colore & crenis foliorum.

246. EUPHRASIA *caule ſimplici, foliis cordatis ſeſſilibus obtuſe ſerratis.* *

Bartſia alpina. Sp. pl. 839.

Pedicularis alpina, teucrii folio, atro-rubente coma. Tournef. inſt. 172.

Chamædri vulgari falſæ aliquatenus affinis alpina & Clinopodium alpinum Ponæ. Bauh. hiſt. 3. p. 289.

Clinopodium alpinum. Pon. bald. 343.

Clinopodium alpinum hirſutum. Bauh. pin. 225. Pluk. phyt. 163. f. 5.

α. Locus hujus natalis in Alpibus, ubique tamen ad majorum fluviorum ex Alpibus prodeuntium ripas ſatam videre licet eandem in ſylvis Lapponiæ.

β. *Radix* perennis, fibroſa.

Caulis ſimplex, erectus, ſpithamæus.

Folia oppoſita, cordata, ſeſſilia, obtuſe ſerrata; inferiora gradatim minora, ſuperiora propiora, colore atro-purpuraſcente picta.

Flores ex alis foliorum ſupremorum & coloratorum prodeunt ſolitarii, ad idem latus inflexi.

247. EUPHRASIA *caule ramoſo, foliis ovatis acute dentatis.* *

Euphraſia officinalis. Sp. pl. 841.

Euphraſia officinarum. Bauh. pin. 233.

Euphraſia vera. Rudb. cat. 16. hort. 41.

Euphraſia. Dod. pempt. 54. Frank. ſpec. 13. Till. ab. 27. ic. 25. Rudb. vall. 13. Riv. mon.

α. *Euphraſia minor.* Dill. app. 53.

Euphra-

Euphrasia quædam alpina parva, duas uncias vix exsuperans. Scheuch. alp. 334.

β. In Alpibus & desertis vulgaris est.

γ. Varietas ista (α) differt a naturali planta,

1. quod flores in naturali triplo sint majores, quam in hac;
2. quod calyx in hac quadrifidus sit, in naturali vero quinquefidus;
3. quod hæc minor sit naturali;
4. quod hæc sæpius ramis careat. Qui tamen considerat faciem, & texturam, easdem esse species facile agnoscit.

248. RHINANTHUS *corollæ labio superiore breviore.* *

Rhinanthus Crista galli. Sp. pl. 840.

α. *Crista galli femina.* Bauh. hist. 3. p. 436.
Crista galli flore luteo. Rudb. hort. 29.
Crista galli. Frank. spec. 11. Rudb. cat. 12.
Crista galli seu Pedicularis pratensis, flore luteo. Lind. wiks. 10.
Pedicularis pratensis lutea vel Crista galli. Bauh. pin. 163. Tournef. inst. 172.

β. *Crista galli mas.* Bauh. hist. 3. p. 436.
Crista galli. Till. ic. 130.
Crista galli major & elatior, calyce floris hirsuto, rictus limbo violaceo. Rupp. jen. 1. p. 234.
Pedicularis pratensis lutea erectior, calyce floris hirsuto. Tournef. inst. 172.

γ. In sylvis & Alpibus utraque variatio copiose provenit.

δ. Ambas has varietates (α, β) conjunxerunt veteres, proinde male excepti a recentioribus, qui tamen, qua in re differant, non dixere; quid obstaret, si hoc etiam tempore aliquis has conjungere tentaret? Plantam utramque optime novi; possunt etiam facile Synonyma variationum proprio suo individuo adsignari & sane primo intuitu a Botanices tyrone

 optime

optime diſtingui, nam *illa* (α) creſcit in pratis ſiccioribus, floribus ad unum latus magis vergentibus, colore totius plantæ obſcuriore & magnitudine inferiore; *Hæc* (β) vero in agris vel ſubhumidis occurrit, pallidior, major, & floribus magis diſtantibus. Cum autem deſcriberem omnes partes, etiam minimas fructificationis, nec ullam obſervare poteram differentiam in parte quacunque plantæ quoad numerum, figuram, ſitum, vel proportionem (F. B. 282), & ne quidem in ipſa macula ad rictum corollæ poſita: unde has plantas varietates eſſe intellexi; qui itaque poſthac has ad diverſas refert ſpecies, tenetur indicare differentiam aliquam e numero, figura, proportione vel ſitu partium depromptam, niſi ex profeſſo varietates recenſeat, tum enim gaudet privilegiis iiſdem, quæ conceſſa ſunt Tulipamaniacis, &c.

ε. Genus hoc nil commune habet cum Pediculari, ad quam relatum fuit a Tournefortio; ſed omnino ad Rhinanthum (Elephantem T.) pertinet, licet ſuperius corollæ labium in hac brevius ſit inferiore: Confirmant hæc facies, fructus, diverſæ ſpecies.

249. LIMOSELLA. * Lind. alſat. 156. t. 5. f.
Limoſella aquatica. Sp. pl. 881.
Menyanthoides vulgaris. Vaill. pariſ. 126.
Plantaginella paluſtris. Bauh. pin. 190. Dill. app. 113.
Plantaginella. Buxb. Comm. Petrop. 3 (1728), 271.
Spergula perpuſilla lanceatis foliis. Gottſch. pruſſ. 261. f. 81.
Alſine paluſtris repens, foliis lanceolatis, floribus albis perexiguis. Pluk. phyt. 74. f. 4.

α. Ad ripas majorum fluviorum inferioris Lapponiæ ſylveſtris interdum occurrit.

250. PLANTA *noſtra Tabula XII. figura* 4.
Linnæa borealis. Sp. pl. 880.

Cam-

Campanula serpillifolia. Bauh. pin. 93. prod. 35. Scheuch. alp. 131. Tournef. inſt. 112. Rudb. lap. 96. f. 1.

Nummularia norvegica, flore purpureo. Kyll. A. D. 2. p. 346. fig. C.

Nummularia norvegica repens, folio dentato, floribus geminis. Petiv. cent. 787.

Nummularia major, rigidioribus & rarius crenatis foliis, flore purpureo gemello. Pluk. alm. 264.

Windgræs. Angermannis.

α. Primarius hujus locus natalis in noſtro ſeptentrione eſt, ubi in ſylvis vix ulla planta hacce vulgatior eſt. In Suecia inferiore, ut in Uplandia, Dalekarlia, Nericia, Oſtrogothia, Smolandia & Scania ſylveſtri, eadem licet rarius a nobis lecta fuit. In Finmarkia integra fere montium juga tegit.

β. Characterem hujus generis dedit *Clariſſ.* Botanicus D. D. *Gronovius* in Characteribus noſtris Genericis § 523. ab omni parte perfectum (qui eandem ex Alpibus Italicis habuit), cum iſta Buxbaumii deſcriptio minus quadret.

γ. Cum *Rubeolis* nihil habet commune, nec præterquam foliis orbiculatis in ulla re cum *Nummulariis* convenit, quæ quantum a *ſerpylli* foliis differant, patet inſpicienti.

δ. *Radix* fibroſa, perennis.

Caules radicati, plures, pedales, teretes, filiformes, ſimpliciſſimi, procumbentes, radices rarius ex geniculis emittentes, debiles, rubri, gemmiferi, pilis albis.

Rami alterni, breves.

Folia oppoſita, ovato-orbiculata, unica alterave crena utrinque notata, dilute viridia, petiolis vix manifeſtis inſidentia, per primam hyemem perſiſtentia.

Scapus hinc inde ex alis foliorum, digiti longitudine, erectus, ſemibifidus, duos flores in apice gerens.

 Flos

Flos nutat, extus albus, intus leviter villofus, incarnatus, noctu imprimis fragrantiffimus.
Bacca ficca, trilocularis; *femina* bina, ovata.
Floret circa folftitium. Æftivatio omnino Lonicerae, cui ordine naturali convenit.

ε. *Rarius* apud nos ad maturitatem perveniunt omnia ifta in capfula contenta femina, quæ tamen in germine per tranfverfum diffecto manifefte confpiciuntur, communiter tamen duo lateralia vigent.

ζ. Vidi in Lapponia Umenfi caules hujus plantæ, qui pedum octodecim longitudinem attigere.

η. Notabile in hac planta eft, quod germen ac pericarpium fpatio quodam removeatur a flore pedicello cohærente, id quod in nullo alio genere contingere novi.

ϑ. Vulgus Angermanniæ plantam coctam, fomenti & cataplafmatis inftar, doloribus rheumaticis, præfentanea medela, imponere folet. *Artedi.*

CLASSIS

CLASSIS XV.

TETRADYNAMIA.

SILICULOSA.

251. THLASPI *ſiliquis orbiculatis, foliis oblongis glabris.*
Thlaſpi arvenſe. Sp. pl. 901.
Thlaſpi arvenſe, ſiliquis latis. Bauh. pin. 105.
Thlaſpi vulgare ſegetum. Rudb. hort. 109. Lind. wikſ. 37.
Thlaſpi latius. Dod. pempt. 712.
α. In agris Novaccolarum paſſim & rarius occurrit.

252. THLASPI *ſiliquis verticaliter cordatis.*
Thlaſpi Burſa paſtoris. Sp. pl. 903.
Burſa paſtoris. Frank. ſpec. 7. Rudb. cat. 8. hort. 19.
Burſa paſtoris major vulgaris. Rudb. vall. 7.
Burſa paſtoris minor vulgaris. Rudb. vall. 7.
Burſa paſtoris major. Till. ab. 11. Lind. wikſ. 6.
α. *Burſa paſtoris major, folio non ſinuato.* Bauh. pin. 108.
Burſa paſtoris major, folio ſinuato. Bauh. pin. 108.
Burſa

Bursa pastoris minor, foliis integris. Cels. ups. 13.

β. In desertis passim obvia est hæc una eademque planta.

γ. Dum e speciebus conficiuntur genera, erunt varietates species: omnes enim istæ sub (α) comprehensæ, nil nisi meræ varietates exsistunt, quæ limites non servant.

δ. *Bursam pastoris* sub *Thlaspeos* genere comprehendimus, sic dictitante flore, & semine. *Siliqua* enim membranaceo margine caret in Bursa pastoris, in Thlaspi T. non item; considera itaque omnes species Thlaspeos, & videbis prædictæ (§ 251) *siliculam* membrana cinctam maxima, reliquas species minori; in aliis scilicet speciebus ad apicem magis patent, in aliis ad pericarpii basin; visa sic inconstantia marginis membranacei, sequitur nullam ab eo desumi debere notam in genere, ergo nec Bursam pastoris distinguendam esse a Thlaspi, præsertim cum cetera paria sint & margo omnis Thlaspeos demptus, in plurimis speciebus, siliquam exacte Bursæ pastoris repræsentet.

253. SUBULARIA.

Subularia aquatica. Sp. pl. 896.

Subularia erecta, junci foliis acutis mollibus. Raj. syn. 3. p. 307.

Subularia lacustris seu Calamistrum herba aquatico-alpina. Raj. syn. (edit. 1690) p. 210. fig. (Est Isoetes lacustris. *J. E. Smith.*)

Juncifolia sub aquis nascens, cochleariæ capsulis. Raj. syn. (edit. altera) 281.

Graminifolia aquatica, thlaspeos capitulis rotundis, septo medio siliculam dirimente. Pluk. phyt. 188. f. 5.

α. Ad ripas lacuum Lapponiæ sylvestris sub aqua & viget & floret minima hæc planta, nec ut reliquæ species ex aquis, instante florescentia, emergere potest.

β. Reli-

β. Reliquæ ſpecies ab Anglis ad hoc genus relatæ diverſa gaudent fructificatione, & novam conſtituunt familiam Calamiſtri nomine diſtinguendam. *Dillenius.*

γ. *Buxbaumius* hanc ad *Drabas* retulit, quod facies & modus naſcendi confirmat, licet ſiliqua magis ventricoſa ſit, & petala ferme integra.

254. DRABA *caule ramoſo folioſo, foliis dentatis.*
Draba incana. Sp. pl. 897.
Draba alpina hirſuta. Celſ. upſ. 19.
Burſa paſtoris alpina hirſuta. Bauh. pin. 108. prod. 51.
Alyſſum alpinum, polygoni folio incano. Tournef. inſt. 217.

α. In Alpibus lapponicis copioſe & ubique conſpicitur.

β. Petala floris emarginata ſunt, non vero bipartita, genere tamen convenire hanc cum *Draba caule nudo, foliis crenatis,* docent facies & reliqua attributa fructificationis.

255. DRABA *ſcapo nudo ſimplici, foliis lanceolatis integerrimis.*
Draba alpina. Sp. pl. 896. Oed. dan. t. 56.

α. In Alpibus noſtris planta eſt vulgatiſſima, extra quas nunquam ſponte pronata a nobis obſervata.

β. In hortis faciem adeo mutat, ut vix eandem dignoſceres plantam; longe enim hirſutior evadit & tenerior, ut in Horto Academico Lugduno-Batavo viſum fuit.
(Hîc de Drabâ ciliari, ni fallor, loquitur Linnæus. *J. E. Smith.*)

γ. In Alpibus noſtris lapponicis eſt hujus
Radix fibroſa, perennis.
Folia radicalia circiter viginti, lanceolata, in orbem patentia, plana, longitudine minimi tranſverſi digiti, ſetis parvis albicantibus ſupra & infra

infra adſperſa, quæ in marginibus maxime conſpicuæ.

Scapus nudus, ſimplex, digitalis, erectus, ad apicem gerens *flores* numeroſos, ſparſos, ſingulos petiolo breviſſimo inſidentes.

Florum Calyx breviſſimus, tetraphyllus. *Petala* quatuor, flava, emarginata. *Stamina* ſex, quorum duo breviora. *Germen* ovatum. *Stylus* vix ullus. *Stigma* obtuſum.

255*. DRABA *ſcapo unifolio, foliis ſubhirſutis, ſiliculis obliquis pedicellatis.*

Draba hirta. Sp. pl. 897.

α. In Alpibus lapponicis invenit Solander. *Faun. ſuec.* p. 557.

256. COCHLEARIA *foliis radicalibus ſubrotundis, caulinis oblongis ſinuatis.*

Cochlearia officinalis. Sp. pl. 903.

Cochlearia folio ſubrotundo. Bauh. pin. 110.

Cochlearia major batavica, ſubrotundo folio. Moriſ. hiſt. 2. p. 308. ſ. 3. t. 20. f. 1.

Cochlearia. Dod. pempt. 593. Paull. dan. 206. fig.

α. Ad littora Oceani ſeptentrionalis, juxta radices Alpium lapponicarum, aliquoties hanc plantam obſervavimus. Ad littora maris Baltici & Bothnici a Nob. Rudbeckio eam viſam refert Lind. Scorbut. 35, ubi tamen nobis non obvia fuit.

β. Cochleariam acetoſa mixtam, cum carne rangiferina elixatam, edere Groenlandos in Scorbuto Borrich. A. D. 1671. p. 35. refert. Certe ſi de Groenlandis verum, nunquam tamen Lapponibus innotuit hic uſus ipſis omnino non neceſſarius.

SILIQUOSA.

257. ARABIS *caule ſimplici, foliis ovatis utrimque denticulatis.*
Arabis alpina. Sp. pl. 928.
Leucojum vernum perenne album majus. Tournef. inſt. 221.
Draba alba ſiliquoſa. Bauh. pin. 109.
Draba altera. Cluſ. pan. 462.
α. In Alpibus noſtris communis eſt planta, in ſylvis non obvia.
β. In Lapponiæ Alpibus nunquam nobis viſa fuit hæc planta altitudinem digiti ſuperaſſe, in hortis autem pedalis evadit & ramoſa.

258. CARDAMINE *foliis pinnatis, caule erecto.*
Cardamine pratenſis. Sp. pl. 915.
Cardamine pratenſis, magno flore purpuraſcente (vel *albo*). Tournef. inſt. 224.
Naſturtium pratenſe, magno flore. Bauh. pin. 104.
Naſturtium pratenſe, flore ſimplici. Rudb. vall. 26.
Naſturtium pratenſe. Rudb. cat. 29. hort. 79. Lind. wikſ. 26.
α. In ſylvis & Alpibus paſſim obvia eſt.

259. CARDAMINE *foliis ternatis crenatis, caule ſimplici.* *
Cardamine trifolia. Sp. pl. 913.
Cardamine alpina I. trifolia. Cluſ. pan. 456. Rudb. lap. 96.
Naſturtium alpinum trifolium. Bauh. pin. 104.
α. Eſt planta mere alpina, in Lapponia rarius obvia.

Vix

Vix in tota Lapponiâ, quantum ſcio, poſt tempora Rudbeckii inventa eſt, & vereor ne et ille etiam aliam intellexerit ſpeciem. *Afzelius.*

260. CARDAMINE *foliis ſimplicibus ovatis, petiolis longiſſimis.* * Tab. IX. fig. 2.
Cardamine bellidifolia. Sp. pl. 913.
Naſturtium alpinum, bellidis folio, minus. Bauh. pin. 105. Scheuch. alp. 44.
α. Eſt etiam hæc planta ſolum alpina & in Alpibus lapponicis copioſiſſima.
β. *Folia radicalia* plurima, exacte ovata, integerrima, minima, petiolis triplo longioribus quam folia, qui ad baſin & radicem fere terni cohærent, ſi accurate diſtinguantur. *Caulis* breviſſimus, vix foliis altior, ſiliquas gerens, reſpectu ipſius plantæ, longiſſimas.
γ. Synonyma Cluſiana, in priori editione citata, prout erronea omiſi. Cel. Jacquin pro *Plantula Cardamines æmula* Cluſii ſpeciem Arabis ad Linnæum miſit a Card. bellidifoliâ diſtinctiſſimam. *J. E. Smith.*

261. SISYMBRIUM *corolla calyce minore, foliis multifidis linearibus.*
Siſymbrium Sophia. Sp. pl. 920.
Sophia chirurgorum. Till. ic. 51. Rudb. hort. 107. Lind. wikſ. 36.
Herba Sophia. Frank. ſpec. 16.
Eryſimum Sophia dictum. Raj. ſyn. 298.
Siſymbrium annuum, abſinthii minoris folio. Tournef. inſt. 226.
Accipitrina. Rupp. jen. 1. p. 74.
Naſturtium ſylveſtre tenuiſſime diviſum. Bauh. pin. 105.
α. In deſertis aliquando, ad domunculas Novaccolarum copioſe conſpicitur.

262. SISYMBRIUM *aquaticum, foliis in profundas lacinias diviſis.* Tournef. inſt. 226.

Siſym-

Sisymbrium amphibium α. Sp. pl. 917.
Radicula aquatica, foliis in profundas lacinias divisis. Dill. app. 9.
Raphanus aquaticus, foliis in profundas lacinias divisis. Bauh. pin. 97.
Rapistrum aquaticum. Rudb. hort. 97.
Eruca palustris aquatica. Frank. spec. 13.
α. In sylvis Lapponiæ paludosis interdum provenit.

263. ERYSIMUM *foliis integris, lanceolatis.* *
Erysimum cheiranthoides. Sp. pl. 923.
Conringia leucoji folio, flore luteo. Heist. helmst. 1730. p. 10.
Eruca sylvestris latifolia, folio integro, flore luteo minore. Moris. hist. 2. p. 229.
Myagrum siliqua longa. Bauh. pin. 109.
Myagro affinis planta, siliquis longis. Bauh. hist. 2. p. 894.
Turritis leucoji folio. Tournef. inst. 224.
α. In agris Finnonum seu Novaccolarum parcius crescit.

264. ERYSIMUM *foliis basi pinnato-dentatis, apice subrotundis.*
Erysimum Barbarea. Sp. pl. 922.
Sisymbrium erucæ folio glabro, minus & præcocius. Tournef. inst. 226.
Eruca palustris, Nasturtii folio, siliqua oblonga. Rudb. lap. 97.
Barbaræa foliis minoribus & frequentius sinuatis. Raj. syn. 297.
α. *Sisymbrium erucæ folio glabro, flore luteo.* Tournef. inst. 226.
Eruca lutea latifolia sive Barbaræa. Bauh. pin. 98.
Barbaræa. Dod. pempt. 712.
β. Ad ripas fluviorum, præsertim magni istius fluvii Lulensis, in superioribus Lapponiæ sylvis, obvia fuit.

γ. A Barbaræa proprie ſic dicta (α) ut varietas, at non ut diſtincta ſpecies, ſeparari debet; Caulis noſtræ plantæ eſt ſimplex & pedalis, foliaque tenuiora.

264*. CHEIRANTHUS *foliis linearibus integris ſubtomentoſis.*
Cheiranthus alpinus. Mant. 93.
α. In Herbario Linnæano e Lapponiâ.
β. *Caulis* ſimplex, nec ramoſus.
Folia radicalia ovalia, petiolata.
Flores ſulphurei, majuſculi.
Non confundendus cum Ch. alpino Jacquini. *J. E. Smith.*

265. BRASSICA *campeſtris perfoliata, flore luteo.* Gottſch. pruſſ. 29.
Braſſica campeſtris. Sp. pl. 931.
? *Braſſica campeſtris perfoliata flore albo* (*luteo* nobis). Bauh. pin. 112.
Braſſica ſylveſtris perfoliata. Dod. pempt. 626.
α. Semper integros Novaccolarum agros cum ſegete, dum floret, luteo obducit colore planta hæc ipſis admodum moleſta.
β. Communiter pedalis & bipedalis eſt planta ac ramoſa, non raro tamen in locis ſterilibus altitudinem pollicis tranſverſi vix excedit, ſine ramis, tenella; foliis minutiſſimis, uniflora, floris magnitudine tamen ad naturalem plantam accedente, unde facile diverſam diceret quis eſſe plantam.

CLASSIS

CLASSIS XVI.

MONADELPHIA.

DECANDRIA.

266. GERANIUM *petiolis bifloris, foliis peltatis multifidis, caule erecto.*
Geranium ſylvaticum. Sp. pl. 954.
Geranium batrachioides, folio aconiti. Bauh. pin. 317. Tournef. inſt. 266.
Geranium II. batrachioides alterum. Cluſ. pan. 417.
Geranium montanum noſtras. Raj. hiſt. 1062. ſyn. 361.
Geranium. Till. ic. 33.
Gruinalis pratenſis, folio ranunculi aconitive. Rupp. jen. 1. p. 116.

α. Nulla nec in ſylvis denſiſſimis eſt frequentior, nec in Alpibus ſpecioſior planta.

β. Floris color communiter cæruleus eſt, variat tamen ſæpius; 1. dum *corolla alba* evadit & *ſtamina cærulea* perſiſtunt, 2. dum *corolla & ſtamina alba* fiunt ſimul, 3. dum corolla ex *cæruleo & albo variegata* explicatur.

CLASSIS XVII.

DIADELPHIA.

DECANDRIA.

267. ASTRAGALUS *alpinus minimus.* † F. L. 58. vide Tab. IX. fig. 1.

Aſtragalus alpinus. Sp. pl. 1070.

Aſtragalus quidam montanus, vel Onobrychis aliis: Bauh. hiſt. 2. p. 339. Tournef. inſt. 416.

Aſtragalus alpinus, foliis viciæ ramoſus & procumbens, flore glomerato albo-cæruleo. Scheuch. alp. 509. f. 7.

Onobrychis IV. Cluſ. hiſt. 2. 240.

Onobrychis floribus viciæ majoribus cæruleo-purpuraſcentibus, vel foliis tragacanthæ. Bauh. pin. 351.

α. In Alpibus creſcit hæc planta copioſe, non raro etiam in remotiſſimis Lapponiæ ſylvis juxta ripas fluviorum obſervatur, in Suecia alias ignota eſt planta.

β. Variat ſæpe corolla alba in Alpibus.

γ. Maxime differt hæc planta facie, ſecundum locum & ætatem. Singula enim foliola ſeu pinnæ in tenella planta fere orbiculata ſunt, in provectiori vero oblonga ſeu lanceolata. Noſtra figura, licet ſecun-

cundum ſiccum exemplar a ſculptore confecta ſit, repræſentat tamen & majorem & minorem plantam.

267*. PHACA *caulescens erecta glabra, leguminibus oblongis inflatis ſubpiloſis.*
Phaca frigida. Syſt. nat. ed. 10. 1173.
Phaca alpina. Fl. ſuec. no. 657. Fl. dan. t. 856.
α. In Alpibus Tornoenſibus. *Fl. ſuec.*
β. Hæc planta, mere Lapponica, non confundenda cum Phaca frigida Jacquini. *J. E. Smith.*

268. CICER *foliis linearibus, pedunculis multifloris.*
Ervum hirſutum. Sp. pl. 1039.
Cracca minor. Riv. tetr.
Vicia ſegetum, cum ſiliquis plurimis hirſutis. Bauh. pin. 345.
α. In agris Novaccolarum ſegeti immixta copioſe creſcit.
β. Eſt vera Ciceris ſpecies, uti patet conſideranti fructificationes plantarum congenerum.

269. VICIA *pedunculis multifloris, fulcris foliorum acutis integris.*
Vicia Cracca. Sp. pl. 1035.
Arachus hirſutus, flore cæruleo. Till. ab. 5.
Arachus perennis hirſutus. Rudb. cat. 5. hort. 11. Lind. wikſ. 4.
Vicia multiflora. Bauh. pin. 345.
Cracca major. Frank. ſpec. 11.
Cracca. Riv. tetr.
α. *Cracca flore albo.* Celſ. upſ. 17.
β. *Cracca ſegetum purpuro-violacea.* Celſ. upſ. 17.
γ. *Cracca ſegetum purpuro-violacea, cum alis albicantibus.* Celſ. upſ. 17.
δ. In deſertis paſſim; in Finmarkia adjacente copioſiſſime.
ε. Variat admodum colore corollæ, præſertim in Finmarkia.

---

270. VICIA *pedunculis multifloris, fulcris foliorum crenatis.*
Vicia ſylvatica. Sp. pl. 1035.
Cracca ſylvatica rotundifolia, floribus ex albo variis. Rupp. jen. 2. p. 212.
Arachus longiſſimus, flore pallido. Rudb. cat. 5. hort. 11. Till. ab. 5.
Vicia multiflora maxima perennis, tetro odore, floribus albentibus lineis cæruleis notatis. Pluk. phyt. 71. f. 1.
α. Ad terminos Lapponiæ & Finmarkiæ rarius conſpicitur.

271. LATHYRUS *foliis pinnatis, pedunculis multifloris.*
Lathyrus paluſtris. Sp. pl. 1034.
Lathyrus perennis latifolius, flore purpuraſcente, alatus. Lind. wikſ. 21.
Lathyrus paluſtris, flore orobi nemorenſis verni. Rupp. jen. 2. p. 210. fig.
Vicia lathyroides noſtras, ſeu Lathyrus viciæformis Raii. Pluk. phyt. 71. f. 2.
Clymenum pariſienſe, flore cæruleo. Tournef. inſt. 396.
Piſum lapponicum littoreum, &c. Petiv. hort. n. 49. (in Raii hiſt. 3. app. p. 247.)
α. In ſylvis Lapponiæ ubique occurrit, præſertim in ſubhumidis.

272. PISUM *marinum.* Raj. hiſt. 892.
Piſum maritimum. Sp. pl. 1027. Smith ſpicil. faſc. 1. t. 9.
Piſum ſpontaneum perenne repens humile. Moriſ. hiſt. 2. p. 47. Munt. phyt. t. 230. figura.
α. Plantam hanc intra fines ipſius Lapponiæ me non obſervaſſe fateor, ad ſummum vero apicem ſinus Bothnici, inter Kemi & Uloam, copioſe conſpiciebatur.

β. Sa-

β. Saporem aliquem amarum in ſeminibus non percepi, & ſi quidam adeſt, levi elixatione, infuſione vel coctione facile poſſet tolli, ut in aliis leguminoſis idem obtinetur.

γ. Licet planta hæc dicatur maritima, vidi tamen eandem in ſicciſſima arena per aliquod ſpatium a mari remotam, ubi ne minima humiditas a mari adfluere poterat. Si itaque hæc terræ committeretur, commode quoque creſceret in ſteriliſſimis Lapponiæ ſylveſtris campis arenoſis, quæ procul dubio maximum uſum præberet Novaccolis & aliis Lapponiæ incolis; dum facies, magnitudo ſeminum & ſapor iiſdem videbatur qualitatibus gaudere ac Piſum ſativum; accedit quod hæc perennis ſit, nec a frigore lædatur (quod locus natalis ſpontāneus confirmat), quæ proprietas in ſativis non obtinetur. Si etiam in loco natali ſola in arena viget, cur non & in cultura eandem læta exciperet nutricem. Operæ pretium foret hæc experimento inſtituto decidere.

δ. Accolæ littoris Orfordienſis in magna annonæ charitate anno 1555, hiſce Piſis ſe ſuoſque ſuſtentarunt. *Geſn. aqu.* 4. p. 256. *Caii opuſc. lib.* 2. 29. 2.

273. TRIFOLIUM *pratenſe, flore monopetalo.* Tournef. inſt. 404.

Trifolium pratenſe. Sp. pl. 1082.

Trifolium pratenſe purpureum minus, folio maculoſo. Lind. wikſ. 38.

Trifolium pratenſe purpureum. Bauh. pin. 327. Rudb. hort. 111.

Trifolium pratenſe, flore purpureo. Frank. ſpec. 30.

Trifolium flore purpureo. Till. ab. 67.

Triphylloides pratenſe, flore monopetalo. Pont. anth. 240.

α. *Triphylloides alpinum, flore albo.* Pont. anth. 240.

β. In ſylvis ſæpe, in agris Novaccolarum copioſe, in Alpibus rarius, in Finmarkia copioſiſſime obſervatur.

γ. In Alpibus raro admodum flore albo obvia fuit (*a*).
δ. Hiberni suo Chambroch, quod est Trifolium pratense purpureum, aluntur, celeres & promptissimi roboris. *Mund. diæt.* 125. conficiunt enim panem e floribus hujus plantæ melleum odorem spirantibus, qui magis placet, quam qui ex Spergula (190) recensita paratur.

274. TRIFOLIUM *repens*. Riv. tetr. Sp. pl. 1080.
Trifolium pratense. Till. ic. 103.
Trifolium pratense album. Bauh. pin. 327. Rudb. hort. 111. Till. ab. 66.
Trifolium pratense album, folio non maculoso. Lind. wiks. 38.
α. In desertis passim.
β. Solet vulgus tanquam e Barometro ex inspectione hujus plantæ prædicere ingruentem tempestatem; folia enim calido exsistente aere relaxat, humido autem ingruente eadem erigit, quod non tantum de Trifolio valet, sed ferme de omnibus plantis, quarum stamina declinata sunt. Flores itidem fere omnes connivent instante pluvia, quasi scientes aquam actum generationis turbare, coagulando vel diluendo farinam genitalem, cum actu generationis celebrato nulla conniventiæ signa ostendant. Sic Mimosæ, Cassiæ, Bauhiniæ, Parkinsoniæ, Guilandinæ & adfines omni vespera connivent foliis, licet in hybernaculis nullus sit frigoris major accessus, quam interdiu. Undenam hæc sensatio? quænam mutatio tempore nocturno in aere, præter caloris & lucis absentiam?
γ. Synonymon Bauhini potius ad Trif. montanum referendum censet Cl. Afzelius. *Conf. act. soc. linn.* T. 1. 232.

CLASSIS

CLASSIS XVIII.

POLYADELPHIA.

POLYANDRIA.

275. HYPERICUM *vulgare.* Bauh. pin. 279.
Hypericum perforatum. Sp. pl. 1105.
Hypericum vulgare ſeu Perforata caulē rotundo, foliis glabris. Bauh. hiſt. 3. p. 381.
Hypericon. Dod. pempt. 76.

α. Ad terminos Lapponiam a Finmarkia diſtinguentes rarius.

β. Si ſtaminum filamenta accurate inſpiciantur, patebit ea in tres vel quinque phalangas eſſe digeſta & ad baſin coalita, licet hoc in noſtris Europæis admodum obſcure, in *Laſiantho* autem evidentiſſime conſpici poteſt.

CLASSIS XIX.

SYNGENESIA.

MONOGAMIA.

276. VIOLA *foliis cordato-obtusis, pedunculis caulinis.*
Viola biflora. Sp. pl. 1326.
Viola alpina rotundifolia lutea. Bauh. pin. 199. Moris. hist. 2. p. 475. Scheuch. alp. 342.
Viola montana, flore luteo. Clus. pan. 356.
Viola rotundifolia montana major; vel Ptoræ valdensium facie, floribus luteis. Pluk. phyt. 234. f. 1.
Viola flore luteo. Riv. pent.
α. *Viola alpina rotundifolia minor.* Pluk. phyt. 233. f. 7. fig. optima.
β. Locus hujus natalis in solis Alpibus, licet non raro extra eas, aere vel aqua delata, conspiciatur in sylvis.
γ. Major & minor planta, apud Botanicos distincta, ejusdem est speciei; nostra ad minorem (α) propius accedit.
δ. Dividunt violas communiter Botanici in tricolores & martias: *Violas martias* dicunt perennes, foliis cor-

cordatis, verno tempore florentes; *Violas tricolores* autem foliis ovato-oblongis gaudentes & annuas, (quæ omnes unius ſunt ſpeciei); planta vero præſens inter has quaſi media eſt. Staminum antheræ in violis omnes margine membranaceo cinctæ ſunt, & coalitæ in unum corpus in Violis tricoloribus; in Violis martiis vero minus evidenter.

2. Singularis in genere Violarum eſt ſtigmatis piſtilli flexura, ſub qua foramen latet. Generationem plantarum abſolvi, dum genitura (farina antherarum) cadit in vulvam (Stigma) in omni flore, oculis patet (F. B. 145), ibi glutine quaſi adfixa tenetur genitura, quod autem introeat tubam (Stylum) perveniatque ad ovarium (Germen) & in ova ſe inſinuet, ego perſpicere nunquam potui. In Violis vero, & præſertim tricoloribus jucundo ſpectaculo licet videre, flore nuper explicato, virgineam vulvam laſcive hiantem, globi inſtar concavi & aperti ad latus, albam & nitidam, ſimulac autem genituram ſuam projecerunt quinque ejus adfines mariti totam vulvam farina genitali repletam coloreque fuſco deſpurcatam obſervabis, tuba tamen exſiſtente clara & pellucida. Ante hanc fœcundationem ſi comprimas vulvam, exſtillabit liquor quidam lacunarum melleus, qui farinam iſtam genitalem retinet, attrahit & forte extrahit.

3. *Radix* plantæ noſtræ perennis, articulata & fibroſa.

Folia omnia cordato-reniformia, leviſſime ſerrata, quorum plura radicalia; tria quatuorve caulina, alterna, petiolata.

Caulis ſimplex, altitudine petiolorum foliorum radicalium, vel paulo altior, e ſingula foliorum ala ſingulum florem emittens, pedunculo ſimplici inſidentem.

Floris corolla lutea eſt & petala verſus ungues ſtriis nigris conſpicua.

276*. VI-

276*. VIOLA *caulibus erectis, foliis cordatis oblongis.*
Viola montana. Sp. pl. 1325. Fl. ſuec. 2. n. 787.
α. In Alpibus.

277. VIOLA *foliis cordatis oblongis, pedunculis fere radicatis.*
Viola canina. Sp. pl. 1324. Till. ic. 110.
Viola cærulea martia inodora ſylvatica, in cacumine ſemen ferens. Bauh. hiſt. 3. p. 543.
Viola martia inodora ſylveſtris. Bauh. pin. 199.
Viola ſylveſtris inodora, flore cæruleo. Rudb. vall. 35.
Viola canina martia inodora. Lind. wikſ. 40.
α. *Viola martia alba.* Bauh. pin. 199.
β. In ſylvis lapponicis non ita frequens naſcitur.
γ. Totum campum tectum viola hac, corolla alba ludente, in Lapponia Umenſi prope Grancœam vidimus.
δ. Difficillime dignoſcuntur ſpecies violarum martiarum, cum folia, abſoluta floreſcentia, majora evadant, & in humidis glabra fiant.
ε. Singulo pedunculo adfiguntur duæ ſquamulæ oppoſitæ & acutæ, in hac ſpecie prope calycem, in ſequenti autem mediæ pedunculi parti inſident.

278. VIOLA *foliis ſubrotundis cordatis, pedunculis radicatis.*
Viola paluſtris. Sp. pl. 1324.
Viola paluſtris rotundifolia glabra. Moriſ. hiſt. 2. p. 475. ſ. 5. t. 35. Plot. ox. 147. t. 9. f. 2.
α. In aquoſis Lapponiæ ſylveſtris & alpinæ vulgatiſſima eſt.
β. *Radix* geniculata, ſquamis nigro-fuſcis veſtita, perennis.
Folia radicalia duo vel tria, orbiculata fere, ſed cordata, glabra, margine vix conſpicue ſerrato; Petioli ſimplices.

Scapus

Scapus ſeu pedunculus radicatus, ſimplex, petiolis ſimillimus, ſed iis duplo longior.

Floris corolla incana cum leviſſima rubedinis mixtura perfuſa. *Petalum nectariferum* reliquis non longius eſt, ſed concavum, emarginatum, interne lineis quinque vel ſeptem nigris, rectis, bifurcatis, petalo dimidio brevioribus notatum.

γ. Species hæc reliquis longe minor eſt, & occurrit etiam hic alia variatio, major corolla pallide alba, quæ quaſi inter hanc & antecedentem eſt media.

279. LOBELIA *foliis bilocularibus ſubulatis.* *
Lobelia Dortmanna. Sp. pl. 1318.
Dortmanna lacuſtris, floribus ſparſis pendulis. Rudb. lap. 97. f. 2. egregia.
Gladiolus lacuſtris Dortmanni. Raj. ſyn. 287*. Raj. hiſt. 1325.
Gladiolus ſtagnalis aut lacuſtris. Rudb. elyſ. 2. p. 17. f. 7.
Leucoium paluſtre, flore ſubcæruleo. Bauh. pin. 202.
Campanula aquatica. Blair. obſ. 103. t. 2.
Notgræs. Smolandis.

α. In fluviis Lapponiæ ſylveſtris ſemel modo & quidem ſine flore eam obſervavi, in Suecia autem plurimis in locis, ut Stenbrohult in Smolandia, Kiellſlætten in Dalekarlia, &c.

β. *Dortmanna* hæc Rudb. ejuſdem generis eſt cum *Rapuntio* T. *Cardinali* Riv. *Lobelia* Pl. (F. B. 216); retinemus itaque nomen *Lobeliæ* (F. B. 238), cum *Rapuntium*, *Rapunculus*, *Rapiſtrum* a *Rapa*, cum qua nullam habent affinitatem, conficta ſint vocabula (F. B. 228. 227), *Cardinalis* autem nomen minus quadrat, niſi caput monachi placeat vocare proprie *Monachum* & Papas (Solani ſpeciem) *Papam;* uno verbo nomina ejuſmodi conveniunt potius Tulipamaniacis & Hyacinthophilis, quam Botanicis. *Dortmannæ* nomen dein ſerius eſt impoſitum (F. B. 242).

γ. Fruc-

γ. Fructus bilocularis eſt, & folia ipſa fiſtuloſa bilocularia. Creſcit ſemper ſub aquis, ſed caulem floriferum extra aquas exſerit, qui, ubi aqua profunda, altus evadit; ubi minus alta, brevior; quod curioſum eſt.

POLYGAMIA ÆQUALIS.

280. LEONTODON *calyce inferne reflexo.*
Leontodon Taraxacum. Sp. pl. 1122.
Dens leonis, qui Taraxacum officinarum. Vaill. act. 1721. p. 177.
Dens leonis, latiore folio. Bauh. pin. 126.
Dens leonis, folio ampliore. Lind. wikſ. 11.
Dens leonis. Frank. ſpec. 11. Till. ab. 23. ic. 40.
α. In Alpibus & ſylvis vulgatiſſima eſt.
β. Nunquam adſumitur loco cibi hujus radix a Lapponibus, vix quoque ab aliis per Sueciam.

281. HIERACIUM *vulgare.* Till. ab. 34.
Leontodon autumnale. Sp. pl. 1123.
Hieracium chondrillæ folio glabro, radice ſucciſa majus. Bauh. pin. 127.
Hieracium minus præmorſa radice ſive Fuchſii. Bauh. hiſt. 2. p. 1031.
Hieracium. Till. ic. 84.
Accipitrina minor. Frank. ſpec. 1.
α. Ubique in ſylvis graminoſis frequens eſt.

282. HIERACIUM *foliis integerrimis lanceolatis, ſcapo multifloro.*
Hieracium Auricula. Sp. pl. 1126.

Pilo-

Pilosella major erecta altera. Bauh. pin. 262.
Hieracium pilosellæ folio, erectum minus. Tournef. inst. 471.
Auricula muris angustifolia minor. Lind. wikf. 5.
Auricula muris minor. Frank. spec. 5.
α. In desertis graminosis sæpius provenit.

283. HIERACIUM *caule unifolio & unifloro, calyce villoso.*
Hieracium alpinum. Sp. pl. 1124.
Hieracium alpinum pumilum folio lanuginoso. Bauh. pin. 129.
Hieracium alpinum latiore folio pilosum flore majore. Pluk. phyt. 194. f. 2.
Hieracium villosum alpinum, flore magno singulari. Raj. syn. 169. t. 6. f. 2.
Pilosella monoclonos non repens alpina minor lanuginosa, amplo flore. Moris. 3. p. 78. f. 7. t. 7.
Dens leonis alpinus minimus pilosellæ folio. Tournef. inst. 469.
α. Figura in Raj. syn. bona est, sed calyx magis rotundus magisque ventricosus conspicitur ob prominentes undique villos.
β. Est planta pure alpina & in hyperboreis nostris locis vulgatissima.
γ. *Radix* fibrosa, perennis.
Folia radicalia plurima, ovata, per margines obtuse denticulata, in petiolos sensim desinentia, hirta & incana.
Caulis simplicissimus, vix spithamæus, villosus, unico communiter foliolo minimo, incertæ sedis, notatus.
Flos terminatrix, unicus, cujus *calyx* est ante explicationem globosus, ventricosus, hirsutie nigricante expansus. *Corolla* flavæ.

283*. HIERACIUM *foliis lanceolatis dentatis glabris, scapo subnudo unifloro, calyce hirsuto.*

Hiera-

Hieracium Taraxici. Sp. pl. 1125.
Picris Taraxici. Allion. fl. ped. n. 769. t. 31. f. 1.

α. In Alpibus Pithœenſi-Lapponicis legit Solander anno 1753.

β. Plantam hybridam ex Hieracio alpino matre et Leontod. Taraxaco patre putat Linnæus. Conf. Diſquiſ. de ſexu plantarum, p. 27.

284. HIERACIUM *caule ramoſo, foliis ovatis dentatis.*
Hieracium murorum. Sp. pl. 1128.
Hieracium murorum, folio piloſiſſimo. Bauh. pin. 129.
Hieracium montanum hirſutum. Rudb. cat. 20. hort. 51. Till. ab. 34. Lind. wikſ. 18.

α. In Alpium noſtrarum convallibus graminoſis, præſertim ubi tuguria Lapponum poſita fuere, non infrequens eſt.

β. Singulares ſunt gallæ iſtæ, in alis foliorum quandoque obviæ, oblongæ & villoſæ, quas muribus adſimilavit *Heucherus* in *Supplem. Horti Wittemb.* unde *Hieracium myophorum* dicta fuit planta.

285. HIERACIUM *caule ſupra folia ramoſo, foliis amplexicaulibus dentatis glabris.*
Hieracium paludoſum. Sp. pl. 1129.
Hieracium montanum, cichorei folio. Raj. ſyn. 166.
Hieracium montanum latifolium glabrum minus. Bauh. pin. 129?

α. In uliginoſis locis non raro provenit.

286. HIERACIUM *foliis radicalibus pinnato-dentatis, caulinis lanceolatis vix denticulatis.*
Crepis tectorum. Sp. pl. 1135.
Hieracium majus erectum anguſtifolium, caule lævi. Bauh. pin. 127.
Hieracium vulgare tectorum minus. Lind. wikſ. 18.

α. In montibus ſiccis & tectis Novaccolarum quandoque viget.

287. HIE-

287. HIERACIUM *foliis lanceolato-linearibus, obſcure denticulatis ſparſis.*
Hieracium umbellatum. Sp. pl. 1131.
Hieracium anguſtifolium, caule folioſo. Rudb. cat. 20. hort. 51. Till. ab. 34. Lind. wikſ. 18.
Hieracium fruticoſum anguſtifolium majus. Bauh. pin. 129.
Accipitrina. Frank. ſpec. 1.
α. In ſylvis paſſim.
β. Flores omnes ad apicem caulis poſiti ſunt, quorum unus alterve explicatur, reliquorum rudimentis parvis ad latera perſiſtentibus. Sic in Suecia communiter. In Lapponia autem contrario modo incedit natura, dum flos intermedius terminatrix intra calycem parvum coercetur, nec dehiſcere poteſt; laterales autem ſex uſque ad decem, in totidem pedunculis ejuſdem longitudinis ejuſdemque inſertionis, eodem tempore florent & umbellæ formam repræſentant.

288. HYPOCHÆRIS *hirſuta, endiviæ folio, magno flore.* Vaill. act. 1721. p. 214.
Hypochæris maculata. Sp. pl. 1140.
Hieracium alpinum latifolium hirſutie incanum, flore magno. Bauh. pin. 128.
Hieracium pannonicum latifolium I. Cluſio. Bauh. hiſt. 2. p. 1026.
Hieracium primum latifolium. Cluſ. hiſt. cxxxix.
α. In Alpibus & ſylvis Lapponiæ hinc inde ſeſe offert.
β. In plurimis pharmacopœis per Sueciam divenditur hæc ſpecies pro *Arnica* (§ 304), cum faciem eandem gerant folia & flores, niſi floſculi obſerventur, quæ eſt fraus *quid pro quo* dicta & inexcuſabilis error.

289. SONCHUS *ramoſus annuus, foliis laciniatis.*
Sonchus oleraceus. Sp. pl. 1116.

Sonchus lævis laciniatus latifolius. Bauh. pin. 124.
Sonchus lævis minor, paucioribus laciniis. Bauh. pin. 124.
Sonchus lævis latifolius. Lind. wikſ. 36.
Sonchus lævis. Rudb. vall. 33. hort. 107.

α. In agris Novaccolarum rarius, ſine dubio cum ſegete in Lapponiam tranſlatus.

290. SONCHUS *Lapponum altiſſimus, floribus cæruleis.* †
Sonchus alpinus. Sp. pl. 1117. Sm. pl. ic. t. 21.
Sonchus ſylveſtris purpureo-cæruleus anguſtifolius. Rudb. lap. 100.
Sonchus cæruleus latifolius. Scheuch. alp. 50.
Sonchus lævis, flore cæruleo. Cluſ. pan. 651.
Sonchus lævis laciniatus cæruleus, ſeu alpinus cæruleus. Bauh. pin. 124.
Ierja Lapponibus. *Tota* Dalekarlis.

α. Ad latera Alpium lapponicarum & in convallibus admodum vulgaris eſt hæc planta mere alpina.

β. Planta eſt omnium ſpecioſiſſima caule ſuo recto rigidoque altitudinis humanæ & majoris, foliis nitidiſſimis, thyrſo recto, cæruleo & longiſſimo inſtructa.

γ. Planta etiam hæc eſt Lapponibus notiſſima & tertia (§ 101. 130) earum, quæ Lapponum palatis placet; editur enim caulis crudus, antequam flores explicantur, more angelicæ (§ 101), diſſecatur nimirum caulis, folia decerpuntur, cortex fibroſus & tenax a baſi ſua ſeparatus detrahitur cultello, unguibus vel dentibus, editur deinde pars carnoſa & ipſis gratiſſima eſt, mihi autem non arridebant hæc fercula, ſine ſale & oleo nimis amara.

δ. Synonyma dubia ſunt. Anne duæ ſpecies Lapponiæ indigenæ ſub hoc numero confuſæ? *J. E. Smith.*

291. SERRATULA *foliis ovato-lanceolatis, radicalibus ſerratis, caule thyrſifloro.*
Serratula alpina. Sp. pl. 1145.
Cirſium minus anguſtifolium, floribus compactis. Rudb. lap. 97.
Cirſium humile montanum, cynogloſſi folio, polyanthemum. Raj. ſyn. 193. Dill. elth. 82. t. 70.
Cirſium montanum polyanthemum, ſalicis folio anguſto denticulato. Raj. ſyn. 193.
Cirſium montanum cambro-britannicum, capitulis compactis, hieracii fruticoſi anguſtis foliis. Moriſ. hiſt. 3. p. 149.
Cirſium alpinum boni Henrici facie. Tournef. inſt. 448.
Carduus mollis, lapathi foliis. Bauh. pin. 377.
Carduus mollis II. Cluſ. pan. 664. fig. deſcr.

α. Eſt planta vere alpina, in nemoribus Alpium frequentiſſima, non raro etiam ad ripas fluviorum ex Alpibus delabentium.

β. Conjunximus ſtudio nomina duplicis apud Botanicos putatæ plantæ, quæ tamen eadem ipſa eſt, nec quidem varietas. Folia enim in aptioribus locis, quæ radicalia ſunt, lata baſi extenduntur, mali vel boni Henrici inſtar; in aliis vero fere lanceolata ſunt.

γ. *Radix* perennis.
Folia Radicalia ovato-lanceolata, ſerrata, ſerraturis in ſetas non deſinentibus, ſed patentibus, ſuperne fere glabra, inferne villoſa albida: *Caulina* vero lanceolata, integerrima, fere ſeſſilia, ſeptem vel decem.
Caulis ſpithamæus, ſimpliciſſimus.
Flores in thyrſum faſtigiatum octo ad duodecim caulem terminant, quorum calyx oblongus, fere cylindraceus, Corolla cærulea.

292. CARDUUS *calyce inermi, foliis lanceolatis margine ciliatis.*

 Car-

Carduus heterophyllus. Sp. pl. 1154.
Cirſium pratenſe, ſingulari capitulo magno uno gemino tergeminoque, foliis aliis integris, aliis diſſectis. Celſ. upſ. 16.
Cirſium ſingulari capitulo ſquamato, vel incanum alterum. Bauh. pin. 377.
Cirſium. Rudb. cat. 12. hort. 29.
Cirſium Britannicum Cluſii repens. Bauh. hiſt. 3. p. 46.
Cirſium Helenii folio, capite magno. Vaill. act. 1718. p. 157.
α. In ſylvis Lapponiæ eſt planta vulgatiſſima.
β. *Folia Radicalia* ovali-lanceolata, integerrima, terræ incumbentia, forma cynogloſſæ, margine ſetulis non pungentibus ciliato, ſuperne viridia nitida, ſubtus leviter villoſa, pulchre nivea: *Caulina* longitudinaliter diviſa, rara, ex alis eorum ſæpe ramulus uniflorus. Caulis pedalis & ſeſquipedalis. Flos magnus, corolla belle purpurea.

293. CARDUUS *radice repente, foliis lanceolatis dentatis, margine aculeato.*
Serratula arvenſis. Sp. pl. 1149.
Carduus vinearum repens, folio ſonchi. Bauh. pin. 377.
Carduus in avena proveniens. Bauh. pin. 377.
α. In agris Novaccolarum inter ſegetem luxuriat.

294. BIDENS *foliis tripartito diviſis.* Tournef. inſt. 462.
Bidens tripartita. Sp. pl. 1165.
Verbeſina foliis tripartito diviſis. Rupp. jen. 1. p. 156.
Cannabina aquatica, folio tripartito diviſo. Bauh. pin. 321.
Cannabina aquatica femina. Frank. ſpec. 8.
Ceratocephalus vulgaris, tripteris & pentapteris folio, caule rubente. Vaill. act. 1720. p. 327.
α. In humidis rarius.

295. TA-

295. TANACETUM *foliis pinnatis planis, pinnis ſerratis.*
Tanacetum vulgare. Sp. pl. 1184. Frank. ſpec. 29. Rudb. hort. 107. vall. 33. Till. ab. 64. Lind. wikſ. 37.
Tanacetum vulgare luteum. Bauh. pin. 132.
Tanacetum. Till. ic. 95.
α. In pratis Novaccolarum occurrit.
β. Vidi uxores Novaccolarum per Lapponiam & Ruſticorum in Weſtrobothnia ſollicite colligere hanc plantam & exſiccare, nec, in quem finem, facile ſcire licuit; tandem edoctus fui, feminas in iiſdem locis inde conficere balnea vaporis pro emolliendis adpropriatis membris inſtante partu, atque pro eodem facilius excludendo.

POLYGAMIA SUPERFLUA.

296. SENECIO *minor vulgaris.* Bauh. pin. 131.
Senecio vulgaris. Sp. pl. 1216.
Erigeron majus ſeu Senecio. Rudb. cat. 15. hort. 39.
Erigerum majus & minus. Till. ab. 26.
Erigerum minus. Rudb. cat. 15. hort. 39.
Erigerum. Frank. ſpec. 13. Lind. wikſ. 12.
α. In ſylvis rarius enaſcitur.

297. ARTEMISIA *vulgaris major.* Bauh. pin. 137.
Artemiſia vulgaris. Sp. pl. 1188. Rudb. cat. 5. hort. 11. vall. 4. Lind. wikſ. 4. Till. ab. 5.
Artemiſia officinarum, flore purpuraſcente. Vaill. act. 1719. p. 285.

 Arte-

Artemisia caule purpurascente. Rudb. cat. 5. hort. 11. vall. 4. Lind. wiks. 4.
Arthemisia alba & rubra. Frank. spec. 4.
Buris. Dalekarlis.
α. In sylvis & agris Novaccolarum.
β. Flos compositus (F. B. 117.) radiatus, qui hermaphroditos & femininos flosculos includit, triplex modo exsistit respectu corollæ propriæ, 1. ubi feminæ gaudent corollula tubulosa; ex. gr. Xeranthemum, 2. ubi feminarum corollula ligulata est; ut in Radiatis plurimis Tournefortii seu Doronico § 304. Solidagine § 306. Erigero § 308. Astere § 307. Achillæa § 311, &c. 3. ubi feminæ carent corollulæ limbo; ut in Artemisia § 297. Gnaphalio § 302.

298. GNAPHALIUM *floribus, per caulem simplicissimum, sparsis.*
Gnaphalium sylvaticum. Sp. pl. 1200.
Gnaphalium rectum. Bauh. hist. 3. p. 160.
Gnaphalium majus, angusto oblongo folio. Bauh. pin. 263.
Gnaphalium majus. Frank. spec. 15. Rudb. cat. 18. hort. 47.
Filago floribus per caulem sparsis. Dill. giss. 149.
Elichrysum spicatum. Tournef. inst. 453.
α. In Alpibus lapponicis frequentissima, nec raro in sylvis.
β. Differentiæ characteristicæ, quæ distinguunt genus *Elichrysi* T. & *Filaginis* T. necdum indicatæ sunt, nec dantur certi limites, nec separationem urget facies.
γ. *Gnaphalii* nomen retinemus in conjuncto genere *Filaginis* & *Elichrysi*, more antiquorum, cum Gnaphalii T. genus forte eandem agnoscat familiam.

299. GNAPHALIUM *caule dichotomo erecto, floribus in alis sessilibus.*

Filago

Filago germanica. Sp. pl. 1311.
Gnaphalium vulgare majus. Bauh. pin. 263.
Gnaphalium montanum incanum. Rudb. cat. 18. hort. 47.
Gnaphalium montanum incanum erectum. Till. ab. 31.
Gnaphalium germanicum. Bauh. hift. 3. p. 158.
Filago elatior, capitulis denfe conglobatis. Dill. giff. 140.

α. In montibus glareofis fabulofis & ficcis copiofe.

300. GNAPHALIUM *caule ramofo diffufo, floribus confertis terminatricibus.*
Gnaphalium uliginofum. Sp. pl. 1200.
Gnaphalium longifolium humile ramofum, capitulis nigris. Raj. fyn. 181.
Gnaphalium medium. Lind. wikf. 16.
Gnaphalium repens. Rudb. cat. 19. hort. 47.
Gnaphalium incanum repens. Till. ab. 31.
Filago paluftris, capitulis nigricantibus, fupina. Rupp. jen. 1. p. 185.
Filago incana, capitulis in fummis caulibus & ramulis difpofitis. Dill. app. 2.

α. In Alpibus & fylvis fubhumidis & fabulofis fimul.
β. Capitula florum in Lapponia pallida funt, in Suecia autem nigricantia.

301. GNAPHALIUM *caule fimpliciffimo, capitulo terminato floribus oblongis.* †
Gnaphalium alpinum. Sp. pl. 1199.

α. In Alpibus noftris frequentiffima eft.
β. Dum floret, caulis vix duorum tranfverforum digitorum altitudinem obtinet; antequam vero femen ad maturitatem pervenit, fpithamæam adquirit.
γ. Curiofum erat videre in caule hujus plantæ fructificantis femina aliarum plantarum hujus foliis & cauli adhærere, quafi vifco oblinita fuiffet, cum tamen fola hirfuties eadem detineat.

δ. Synonyma omnia, quia mihi dubia ſaltem, ne falſa dicam, videntur, delevi. Fl. dan. t. 332. eſt Gn. ſupinum Linnæi. *J. E. Smith.*

302. GNAPHALIUM *caule ſimpliciſſimo, floribus coloratis terminato.* †

Gnaphalium dioicum. Sp. pl. 1199.

Gnaphalium montanum. Frank. ſpec. 15.

Gnaphalium montanum, flore albo (vel rubro). Rudb. cat. 18. hort. 47.

Gnaphalium montanum, flore variegato. Lind. wikſ. 16.

Gnaphalium, flore purpureo, minus. Lind. wikſ. 16.

Gnaphalium. Till. ic. 71. *variorum colorum.* Till. ab. 31.

Helichryſum montanum. Vaill. act. 1719. p. 293.

Hermaphroditum.

Gnaphalium montanum, longiore & folio & flore. Bauh. pin. 263.

Elichryſum montanum, longiore & folio & flore, Tournef. inſt. 453.

Mas.

Gnaphalium montanum, flore rotundiore. Bauh. pin. 263.

Elichryſum montanum, flore rotundiore. Tournef. inſt. 453.

Kattfœtter. Suecis, id eſt, Pes felis.

α. In Alpibus paſſim.

β. Planta hæc, licet ſexu differat, genere tamen diſtingui non debet a reliquis Elichryſis, floris color in aliis albus eſt, in aliis purpuraſcens, in aliis ex utroque mixtus.

303. TUSSILAGO *ſcapo thyrſifloro faſtigiato, floribus radiatis.* *

Tuſſilago frigida. Sp. pl. 1214.

Cacalia foliis cutaneis acutioribus & glabris. Rudb. lap. 96.

 ? *Peta-*

? *Petasites minor alpinus, folio anguloso crassiori.* Tournef. inst. 451.

? *Petasites minor, tussilaginis folio.* Moris. hist. 3. p. 95. s. 7. t. 10. f. 4.

α. In Alpium lapponicarum proximis & depressis locis vulgatissima, nec non in vicinis ipsarum Alpium nemoribus deprehenditur. Floret circa finem Maii, & semina dejicit circa finem Junii.

β. Veteres a sola facie, a solis foliis Petasitidem vocarunt Tussilaginem majorem, nec solliciti de florum differentiis, nisi postquam systematici exorti fuere, tum visum fuit Petasitidem & Tussilaginem diversissimas esse plantas, diversissima genera, nec fuit qui hac de re inde dubitavit. Sed redeunt secula. Consideremus quæso flores & videbimus monstra. Ex. gr.

1. *Petasites vulgaris* gaudet *flosculis omnibus hermaphroditis, corollulâ tubulata vestitis omnibus.*
   Facies: *Flores in thyrsum collecti.*
2. *Tussilago* instruitur *flosculis,* quorum illi, qui *discum* occupant, *hermaphroditi sunt, corollulâ tubulata vestiti. Radium vero constituunt feminini flosculi, corollula ligulata induti.*
   Facies: *Flos unicus scapum terminans.*
3. *Petasites minor.* C. B. gaudet flosculis pluribus hermaphroditis, corollula tubulata vestitis, quos circumstant alii plures flosculi feminini, corollula omni carentes (nisi tunicam angustissimam basin styli vestientem absque omni limbi signo, corollulam dicas).
   Facies: *Flores in thyrsum collecti.*
4. *Petasites cujus synonyma dedimus,* gerit flores compositos ex flosculis hermaphroditis, corollula tubulata vestitis in disco, in radio autem flores femininos corollula ligulata indutos.
   Facies: *Flores in thyrsum congesti.*

   Hinc secundum Faciem retulere species thyrsiferas (3, 4) ad Petasitidem, cum tamen eas secun-

dum fructificationes ad Tussilaginis genus amandare debuissent; dicam uno verbo: Radius in hoc genere nihil valet. Calyx, receptaculum, semina, facies, vires conveniunt, ergo genus naturale, ergo non dilacerandum. Nos sumus ministri, non magistri naturæ.

γ. Plantam non ubique vulgarem verbis paucis describam.

Radix perennis, repens.

Folia omnia radicalia, circumscriptione triangularia, basi sua (petiolo adnexa) in profundum sinum, cordati instar folii, excavata, apice obtuse acuta, per margines laterales undulato-acuta, septem scilicet vel octo prominentiis utrinque notata, superne glabra, inferne villis minimis tecta, nivea. Petioli tenues vix spithamæi.

Scapus spithamæus, teres, una alterave ala membranacea amplexicauli lata instructus, quæ apice suo terminatur in rudimentum quoddam folioli.

Flores plures, sex ad duodecim, scapum terminant, fastigiati; constantes *Calyce* oblongo; *Corolla* alba radiata; *Staminibus* in flosculis disci, nullis vero in flosculis radii; *Stylo* cum stigmate bifido in disco, simplici in radio; *Seminibus* pappo, calyce triplo vel quadruplo longiore, coronatis.

δ. Hinc nostra gerit folia simillima *Petasitidi minori alteri tussilaginis folio. Fag. paris.* flores radiatos exacte *Petasitidis majoris, radice repente, folio crasso non angulcso Till. Pis.* sed fastigiatos, ut *Petasites Tussilaginis folio minimus Gesn.* qui minus radiati sunt.

304. DORONICUM *foliis oblongo-ovalibus.* *

Arnica montana. Sp. pl. 1245.

Arnica Schroederi. Rupp. jen. 1. p. 163.

Alisma. Matth. comp. 604.

Alisma Matthioli seu Doronicum vulgare germanicum. Rudb. hort. 3.

Doro-

Doronicum plantaginis folio alterum. Bauh. pin. 185. Tournef. inst. 487. Scheuch. alp. 36. Rudb. lap. 97.
Chrysanthemum latifolium. Lind. wiks. 8.
Caltha alpina. Frank. spec. 7.
Hæstfibla. Smolandis.

α. In Suecia inferiore, uti in Smolandiæ & Scaniæ pratis vulgaris est hæc planta, cum illa a Clarissimo Rudbeckio inter plantas Lapponicas recenseatur, eandem quoque enumeravimus, licet in Lapponia nobis obvia non fuerit, forte nec obvia erit, dum in superioribus Sueciæ provinciis non reperitur, nec dubito, quin sequentem sub hoc nomine intellectam voluerit Nobilissimus author, cum ista in Lapponia frequentissima sit, alias per Sueciam nullibi obvia, nec in catalogo ejus nominata.

β. Odor foliorum & radicis, viscositas ista villosiuscula foliorum Nicotianæ adfinis, plantam admodum suspectam reddunt. Non repugnat tamen, quo minus summe resolvens sit hæc amasia Stahlianorum.

γ. Rusticos Smolandiæ vidi folia hujus plantæ, loco Nicotianæ, in defectu Tabaci, eligere & haurire.

δ. Cum calyx sit radio corollæ longæ brevior, secus ac in aliis nobis notis Doronici speciebus, eandem retulit *Ruppius* ad peculiare genus, quod tamen, reliquis partibus fructificationis, facie & viribus examinatis, naturæ repugnare judicamus.

305. DORONICUM *foliis lanceolatis.* *
Arnica montana β. Sp. pl. 1245.
Alisma Matthioli seu Plantago montana. Bauh. hist. 3. p. 20.
Doronicum VI. pannonicum Clusii. Raj. hist. 276.
Doronicum IV. Clus. pan. 522.
Mutterwurtz. Siml. alp. 131. b.

α. In Alpium campis convexis passim provenit, quæ alias per Sueciam obvia non est.

β. Cum antecedenti specie a plurimis confunditur hæc planta,

planta, a qua tamen differt foliorum figura manifeste, & flore in caule unico, cum præcedens etiam duobus lateralibus instruatur.

γ. Miror Lappones, qui sæpius tam intensa pica Tabaci laborant, non hujus plantæ folia substituere, sed potius præ defectu adsuetarum deliciarum tabescere.

306. SOLIDAGO *floribus per caulem simplicem undique sparsis, foliis lanceolatis.*
Solidago Virgaurea. Sp. pl. 1235.
Virgaurea seu Doria. Rupp. jen. 1. p. 169.
Virga aurea latifolia serrata. Bauh. pin. 268.
Virga aurea foliis serratis. Frank. spec. 31.
Virga aurea folio serrato. Lind. wiks. 40.
Virga aurea. Till. ab. 68.

α. In sylvis passim, in Alpibus vero copiose.

β. Folia radicalia serrata sunt, caulina interdum serrata, sæpius tamen integerrima occurrunt, nec tamen distincta est species.

γ. *Nomen Virgæ aureæ* est genericum duobus vocabulis integris constans (F. B. 221), *Doria* autem ex lingua gallica derivatur (F. B. 229), *Virgauream* non facile admittunt critici; *Solidago* vero est Synonymon antiquum (F. B. 242), & inculpatum.

307. ASTER *caule unifloro, foliis integerrimis calyce villoso subrotundo.* Tab. IX. fig. 3.
Erigeron uniflorum. Sp. pl. 1211.
Asteri montano purpureo similis vel globulariæ. Bauh. hist. 2. p. 1047. Scheuch. alp. 329.
Conyza cærulea non acris, lævi folio. Rudb. lap. 97.

α. In omnibus Alpibus nostris vulgatissima est, nec extra eas in Suecia obvia fuit.

β. Obscura satis est hæc planta in foro Botanico, figuram itaque ejus dedimus. Joh. Bauhinus eandem satis bene & descripsit & depinxit, longe tamen perfectior est descriptio Scheuchzeri.

γ. Fa-

γ. Faciem gerit exacte Bellidis adeo, ut pro eadem planta eam Botanices ignarus facile ſumeret, niſi calyx præſertim ante explicationem floris globum hiſpidum repræſentaret; folia duo, tria, quatuorve, ſæpius modo unicum gerit caulis, qui abſoluta floreſcentia, in duplam triplamve altitudinem extenditur.

308. ERIGERUM *vulgare*. †
Erigeron acre. Sp. pl. 1211.
Aſter arvenſis cæruleus acris. Tournef. inſt. 481.
Aſter conyzoides. Rudb. cat. 5. Till. ab. 6. Lind. wikſ. 4.
Conyza cærulea acris. Bauh. pin. 265.
Conyza cærulea. Frank. ſpec. 10.
α. In ſylvis & Alpibus frequens eſt.
β. In Alpibus ſæpius corolla alba obvia eſt & acrimonia fere omni orbata.

309. ANTHEMIS *vulgaris*. †
Matricaria Chamomilla. Sp. pl. 1256.
Chamæmelum vulgare. Bauh. pin. 135.
Matricaria leucanthemos annua, Chamæmeli folio, ovariis nigricantibus. Vaill. act. 1720. p. 287.
Chamomilla. Till. ab. 17.
α. In ſylvis rarius, præſertim juxta domos Novaccolarum, eorumque agros.

310. CHRYSANTHEMUM *foliis oblongis ſerratis.*
Chryſanthemum Leucanthemum. Sp. pl. 1251.
Leucanthemum vulgare. Tournef. inſt. 492.
Bellis ſylveſtris, caule folioſo, major. Bauh. pin. 261.
Bellis major campeſtris. Rudb. cat. 6. hort. 15. Till. ab. 8.
Bellis ſylveſtris. Lind. wikſ. 5.
Bellis. Till. ic. 119.
Bellidioides vulgaris. Vaill. act. 1720. p. 281.

α. In-

α. In latere Alpium a parte Finmarkiæ rarius, iſtuc caſu e Finmarkia, ubi frequens eſt, delata.

311. ACHILLÆA *foliis pinnato-pinnatis.*
Achillæa Millefolium. Sp. pl. 1267.
Achillæa vulgaris, flore albo. Vaill. act. 1720. p. 320.
Millefolium vulgare. Bauh. pin. 140.
Millefolium vulgare majus. Frank. ſpec. 20.
Millefolium. Till. ic. 74.
Millefolium purpureum. Rudb. cat. 28. hort. 75.
Millefolium flore purpureo. Lind. wikſ. 24.
Millefolium albo, carneo, rubro flore, majus & minus. Till. ab. 45.
α. *Millefolium flore albo.* Lind. wikſ. 24.
Millefolium album. Rudb. cat. 28. hort. 75.
β. *Millefolium vulgare minus.* Frank. ſpec. 20.
γ. *Galentära.* Dalekarlis.
δ. In ſylvis Lapponiæ vulgaris eſt herba.
ε. Quod Millefolium T. & Ptarmica T. ſint unius ejuſdemque generis plantæ, non eget demonſtratione, cum nulla argumenta, niſi nuda quædam authoritas, obſtent. Conjunctis hiſce generibus, nomen *Millefolii* retineri nequit, cum folia ſint ſimplicia in Ptarmica T. (F. B. 232). *Ptarmica* T. autem eſt terminus artis medicæ (F. B. 231), hinc cum Vaillantio nomen *Achillææ* adſumimus (F. B. 237. 242. 244).
ζ. A Tranſtrandienſibus Dalekarlis interdum loco Humuli in conficienda cereviſia adhibetur, unde citiſſime inebriantur convivæ, hinc illis nomen Guttæ inſaniæ. Ex *itin. Reuterholmiano.*

CLASSIS

CLASSIS XX.

GYNANDRIA.

DIANDRIA.

312. ORCHIS *palmata pratenſis maculata.* Bauh. pin. 85.
Orchis maculata. Sp. pl. 1335.
Orchis palmata maculoſa, flore purpureo. Rudb. hort. 81.
Palma Chriſti maculoſa pratenſis. Frank. ſpec. 22.
Palmata ſpecioſiore thyrſo, folio maculato. Bauh. hiſt. 2. p. 774.

α. In pratis Novaccolarum rara eſt planta.

β. Habent & Lappones ſua in patria aphrodiſiaca naſcentia, quamvis eis nunquam utantur. Steriles licet quidem præ omnibus reliquis Europæis ſint Lappones (forte ob contemptum muriæ), apud eos tamen ſine Cerere & Baccho non frigere Venerem vix adſererent ipſi.

313. SATYRIUM *foliis oblongis caulinis.*
Satyrium viride. Sp. pl. 1337.

Orchis

Orchis palmata, flore galericulato dilute viridi. Gottſch, pruſſ. 182. f. 59.
Orchis palmata, flore viridi. Bauh. pin. 86. Rudb. elyſ. 2. p. 216. f. 17. opt.
Orchis flore vireſcente. Rudb. hort. 81.

α. In pratis Novaccolarum rarius.

β. Non diſtinguimus Satyria ab Orchidibus. reſpectu radicis ſubrotundæ & palmatæ, more Rivinianorum; ſed a nectarii figura, quæ in Orchide tubulata ſeu corniculata eſt, in Satyrio noſtro vero ſcrotiformis.

314. SATYRIUM *foliis ovatis radicalibus.*
Satyrium repens. Sp. pl. 1339.
Helleborine ſylvatica, radice repente. Rupp. jen. 1. p. 278.
Helleborine radice repente, foliis maculis nigris teſſulatis. Moriſ. hiſt. 3. p. 487. ſ. 12. t. 11. f. 10.
Orchioides floſculis pallidis inodoris. Trew. in Comm. Lit. Norimb. a. 1731. p. 61.
Orchis radice repente. Cam. hort. t. 35.
Pſeudo-orchis. Rudb. elyſ. 2. p. 209. f. 8.
Pyrola acutifolia polyanthos, radice geniculata. Gottſch. pruſſ. 210. f. 68.

α. In nemoribus Lapponiæ ſylveſtris paſſim obſervatur.

β. Foliorum maculæ teſſulatim incumbentes in aliis fere nigræ ſunt, in aliis fere purpuraſcentes, in aliis albidæ, in aliis vix ullæ conſpiciuntur.

γ. Licet in hac radix ſit fibroſa & repens, in præcedenti vero palmata, genere tamen eas diſtingui non debere jubet eſſentialis character (F. B. 171. § 313. β), utriſque perfecte ſimillimus, confirmat facies eadem, flores verſus alterum latus inflexi & foliorum maculæ (etiam in antecedenti, quamvis obſcuræ & parti inferiori foliorum adpictæ) utriſque communes.

315. NE-

315. NEOTTIA *radice reticulata.*
Ophrys corallorhiza. Sp. pl. 1339.
Corallorhiza. Kram. tent. 44.
Orobanche spuria seu Corallorhiza. Rupp. jen. 1. p. 284. t. 2.
Orobanche radice coralloide. Bauh. pin. 88. Rudb. elys. 2. p. 231. f. 9.
Orobanche radice corallinæ. Rudb. hort. 83.
Orobanche Sueonum, radice coralloides, flore albo. Rudb. elys. 2. p. 234. f. 16.
Orobanche coralloides fundboënsis. Rudb. elys. 2. p. 234.
Orobanche radice corallinæ minore alba. Moris. hist. 3. p. 504. s. 12. t. 16. f. 21.
Dentaria coralloide radice. Clus. pan. 450.

α. In Lapponiæ sylvis, ubi solum campestre, licet arboribus consitum, frequens omnino est. Nullibi tamen in majori copia hanc legimus, quam in Westrobothnia, ut ad Luloam antiquam & in insula marina Pithoënsi, Longoen dicta.

β. *Corolla* lutea; sed *Labium* niveum, obtusissimum, emarginato-retusum, basi purpureo-maculatum. *Petala* tria exteriora angustiora, canaliculata, patulo-incurva; duo lateralia latiora, breviora, erectiora.

γ. *Nidus avis* T. & *Corallorhiza* Rup. considerata facie externa, genere convenire videntur.

316. OPHRIS *foliis cordatis.*
Ophrys cordata. Sp. pl. 1340.
Ophris minima. Bauh. pin. 87. Rudb. elys. 2. p. 227. f. 4.
Bifolium minimum. Bauh. hist. 3. p. 534. Moris. hist. 3. p. 489.
Pseudo-orchis minima bifolia. Moris. hist. 3. s. 12. t. 11. f. 4.

α. Rara hæc planta in Lapponiæ sylvis vulgaris est & eodem delectatur loco cum Rubo (§ 208).

316*. OPHRYS

316*. OPHRYS *bulbis ovatis, ſcapo nudo, foliis ſubulatis, nectarii labio indiviſo obtuſo utrinque unidentato.*
Ophrys alpina. Sp. pl. 1342. Fl. ſuec. 2. n. 817.
α. In Alpibus Lapponiæ Lulenſis. J. Hollſten. *Fl. ſuec.*

317. HERMINIUM *radice globoſa.*
Ophrys Monorchis. Sp. pl. 1342.
Orchis odorata moſchata, ſive Monorchis. Rupp. jen. 1. p. 282. t. 2.
Monorchis montana minima, flore obſoleto vix conſpicuo. Mich. gen. 30. t. 26.
Monorchis bifolia floribus pallide virentibus Pruſſiæ. Moriſ. hiſt. 3. p. 497. ſ. 12. t. 15. f. 8.
Orchis coleo unico ſeu Monorchis floſculis pallide viridibus. Gottſch. pruſſ. 184. f. 61.
Orchis unico bulbo. Frank. ſpec. 22.
Orchis odorata moſchata, ſive Monorchis. Bauh. pin. 84. Rudb. elyſ. 2. p. 207. f. 1.
α. In Lapponia Umenſi ſemel a nobis obſervata fuit. Eandem per Sueciam aliquoties antea legimus, Wikſbergæ ſcilicet & in Græſœa, ubi copioſiſſime creſcit.
β. Folia communiter duo ad radicem poſita ſunt, rarius etiam folia alterna diſperguntur, ut in figura Cl. Michelii videre eſt.

318. CYPRIPEDIUM *foliis ovato-lanceolatis.*
Cypripedium Calceolus. Sp. pl. 1346. Sowerby engl. bot. t. 1.
Calceolus. Rupp. jen. 1. p. 277.
Calceolus marianus. Tournef. inſt. 437.
Calceolus mariæ. Rudb. hort. 19.
Calceoli mariani altera icon. Dod. pempt. 180.
Helleborine flore rotundo, ſive Calceolus. Bauh. pin. 187.
Ankenbullen. Siml. alp. 130. b.
α. In Lapponia Tornenſi rarius. Nullibi copioſiorem hujus

hujus proventum obſervavimus, quam in Oſtrobothnia, inter Uloam & Kemi.

β. Cypripedium, quaſi calceum Veneris, diximus a floris figura & viribus. Calceus eſt nomen æquivocum (F. B. 231).

319. CYPRIPEDIUM *folio ſubrotundo.* * Tab. XII. fig. 5.

Cypripedium bulboſum. Sp. pl. 1347. Smith Spicil. faſc. 1. t. 11.

Calceolus mariæ Lapponum puſillus, flore ex flavo-rubro-variegato. Rudb. lap. 96.

Orchis lapponenſis monofolia. Rudb. elyſ. 2. p. 209. f. 10.

Orchis Lapponum. Rudb. hort. 81.

α. Hæc planta rariſſima debetur ſolis Rudbeckiis, nec ſcio alium, qui eandem obſervaverit, nec ipſe eam reperire potui, licet de ea admodum fuerim ſollicitus.

β. Figuram itaque a Clar. Rudbeckii filio vivis coloribus nitidiſſime depictam & nobiſcum communicatam heic æri inciſam ſiſtimus, cum paucis licitum ſit adire Rudbeckiorum Campos Elyſios. Deſcriptionem etiam ſecundum eandem figuram confecimus.

Radix bulboſa, ſolida, globoſa, alba.

Folium unicum radicale ſubrotundum, vix acuminatum, ſuperne viride teſſulatum, inferne ruſeſcens.

Caulis vix ſpithamæus, ſimpliciſſimus, vaginis nonnullis involutus, quem terminat unicus flos.

Floris petala lanceolata fere & purpurea ſunt. Nectarium autem dependens maximum e luteo-viride albedine mixtum, interne purpuraſcens.

γ. Nota fuit hæc planta Rudbeckiis anno 1685. antequam iter lapponicum fuit inſtitutum, ut patet ex horto Upſalienſi tum edito!

S POLY-

POLYANDRIA.

320. CALLA *foliis cordatis.*
Calla paluſtris. Sp. pl. 1373.
Provenzalia paluſtris. Pet. gen. 45.
Anguina aquatica. Trew. in Comm. Lit. Norimb. a. 1731. p. 62.
Dracontium aquaticum. Rudb. cat. 15. hort. 37.
Dracunculus aquatilis. Beſl. eyſt. ver. 2. fol. 17.
Dracunculus aquaticus. Frank. ſpec. 12.
Dracunculus paluſtris ſive radice arundinacea. Bauh. pin. 195.
Dracunculus paluſtris polonicus. Barr. ic. 574.
Arum aquaticum. Joh. hodeg. 32.
? *Gribegne polonorum.* Barr. ic. 1171.
Wehka. Finnonibus.
Miſſne. Weſtrobothnienſibus.

α. Omnes fere paludes tegit hæc planta in certis Lapponiæ ſylveſtris tractibus.

β. Hæc prima eſt herba, cujus folia palleſcunt adflante eas gelido autumno, hyemis præcone, in ſeptentrione noſtro.

γ. Genus ab Aro eſt diverſum, licet adfine, differentia primaria conſiſtit in Receptaculo genitalibus undique tecto & ſtaminibus cum piſtillis mixtis; in Aro autem non item.

δ. Radix ſaporis eſt adurentis & cauſtici, ignis ferme inſtar, attamen, mirum dictu, ex ea panem conficere docuit homines dura neceſſitas. Ex hac enim planta conficitur Panis iſte apud nos decantatiſſimus Miſſebrœd dictus; & hæc planta eſt vera iſta Miſſe, licet ſæpius confundatur cum Menyanthe

(§ 80.

(§ 80. δ), & fequenti modo præparatur: Radices primo vere & antequam folia explicantur, vel & autumno, aliquot jugera e paludibus limofis facillimo negotio extrahuntur, cum fupra terram inque limo fere fluido crefcant, eradicatæ lavantur, a fibris capillaribus liberantur, in fole vel clibano exficcantur, exficcatæ confcinduntur in fruftula magnitudinis pifi, lapide molari in farinam conteruntur. Farina hæc fuaveolens & alba cum aqua pura coquitur per horam in confiftentiam pultis feu jufculi; deponitur dein olla cum contento hocce per diem unum vel quatuor (quo diutius, eo melius), aqua fupernatans decantatur, refiduum exficcatur acrimonia omni caftratum. Hæc farina mifcetur cum farina Cerealium vel Pini (§ 346. *v*), & exinde conficitur panis fecundum artem. Panis hic albus eft, dulcis & gratiffimus, præfertim recens. Ufus hujus panis primarius & receptiffimus apud Weftrobothnienfes, Oftrobothnienfes & Novaccolas Lapponiæ. Lappones autem nullo pane utuntur, nec pifcibus ficcatis, ut fama fert, nec ullum aliud fuccedaneum loco panis adhibent. Panis hic longe præfertur pineo (§ 346. *v*), qui nec ufurpatur, quamdiu hujus fufficiens proftat copia.

CLASSIS XXI.

MONOECIA.

MONANDRIA.

321. ZANNICHELLIA.

Zannichellia palustris. Sp. pl. 1375.

Zannichellia palustris major, foliis gramineis acutis, flore cum apice quadricapsulari, embryonis clypeolis integris, & vasculo non barbato, capsulis seminum ad costam dentatis. Mich. gen. 71. t. 34. f. 1.

Aponogeton aquaticum graminifolium, staminibus singularibus. Pont. anth. 117.

Algoides vulgaris. Vaill. act. 1719. p. 12. t. 1. f. 1.

Potamogeito affinis graminifolia aquatica. Raj. hist. 1. p. 190.

Potamogiton omnium minimum, graminis facie capillaceum, siliculis curvulis binis ternis, dorso dentato. Raj. hist. 3. p. 122.

Potamogeton capillaceum, capitulis ad alas trifidis. Bauh. pin. 193. prod. 101.

α. In fluviis minoribus Lapponiæ sylvestris aliquoties a me visa fuit.

TRI-

TRIANDRIA.

322. CAREX *ſpicis ternis ſeſſilibus confertis androgynis.*
Carex leporina. Sp. pl. 1381. Synonyma erronea. *J. E. Smith.*

α. In ſylvis paſſim obvia eſt.

β. Nomen *cyperoidis* nobis exoſum eſt (F. B. 226), *Caricis* autem nomen antiquiſſimum (F. B. 241) retineri debet. Recentiores genus hoc bifariam diſtinguere voluerunt, dicentes ſpecies illas, quarum ſpicæ mares aut feminæ ſunt, Cyperoidea; quæ vero ſpicas androgynas proferunt, Carices Rupp. vel Scirpoidea Juſſieu, & Monti: Nos ſub Caricis nomine intelligimus utramque ſpeciem.

323. CAREX *ſpicis diſtiche poſitis androgynis.*
Schoenus compreſſus. Sp. pl. 65. ex auctoritate Cl. Afzelii.
Carex montanus ſpica compreſſa diſticha. Rupp. jen. 1. p. 306.
Gramen cyperoides ſpica ſimplici compreſſa diſticha. Pluk. phyt. 34. f. 9. Raj. ſyn. 3. p. 425.

α. Ubique in ſylvis obſervatur.

324. CAREX *ſpicis ad apicem culmi pendulis androgynis.*
Carex atrata. Sp. pl. 1386.
Cyperoides alpinum pulchrum, foliis caryophyllæis, ſpicis atris & tumentibus. Scheuch. hiſt. 481.
Gramen cyperoides alpinum majus, ſpicis atris plurimis ſimul junctis. Rudb. elyſ. 1. p. 55. f. 23.

α. In solis Alpibus per Lapponiam legitur.

β. Antequam floret planta, in culmo vix digitali spicas gerit erectas, triquetras & atras; antequam vero semina matura sunt, altitudinem pedalem longe superat & spicis pendulis, capsulisque florescentibus ac variegatis oneratur.

325. CAREX *spicis versus apicem pendulis masculina & femininis.*

Carex limosa. Sp. pl. 1386.

Cyperoides, spica pendula breviore, minus. Cels. ups. 18.

Cyperoides spica pendula breviore, squamis e spadiceo vel fusco rutilante viridibus. Scheuch. hist. 443.

α. In omnibus paludibus frequens est, præsertim si musco obsitæ sint & profundæ.

β. Spicæ communiter quatuor sunt, quarum tres femininæ ovatæ triquetræ & atræ.

Descriptio hæc melius ad precedentem quadrat; cum C. limosâ nequaquam convenit. *J. E. Smith.*

326. CAREX *spicis, ex apice pendulis, masculina & femininis albis.*

Carex capillaris. Sp. pl. 1386.

Gramen cyperoides pusillum, spica flavescente. Rudb. elys. 1. p. 58. f. 40.

α. Ad littora maris Atlantici seu septentrionalis juxta radices Alpium copiose.

β. Quam primum erumpit minimum hocce gramen, gerit spicas omnes ex apice prodeuntes; postquam autem maturuit, pedalis est & spicam infimam paulo remotam a reliquis exhibet.

327. CAREX *spicis tribus petiolatis erectis remotis, mascula & femininis.*

Carex pallescens. Sp. pl. 1386.

Gramen cyperoides polystachion flavicans, spicis brevibus, prope summitatem caulis. Pluk. phyt. t. 34. f. 5.

f. 5. Rudb. elyf. 1. p. 57. f. 33. Sm. Rel Rudb. 2.

? *Gramen cyperoides, fpicis albicantibus plurimis, in unam fpicam longe denfe compactis.* Rudb. elyf. 1. p. 54. f. 20.

α. In defertis Lapponiæ frequenter tempore verno confpicitur.

β. Culmus fpithamæus, triqueter.

Folia Radicalia tria, quorum fecundum extimo duplo longius eft, ut tertium fecundo, quod etiam altitudinem culmi attingit; hæc tria fimul unicam tertiam partem culmi a parte inferiore obveftiunt. Quartum vero folium culmum ad duas partes tertias involvit; deinde apice extenditur ad eandem altitudinem cum culmo.

Spica unica ex ala folii quarti exit oblonga, pedunculo longo & recto fuftentata; altera fuperius locata in ala minutiffimi folioli, & tertia quæ mafcula eft, caulem terminat; omnes albæ funt.

328. CAREX *culmo longiffimo, fpicis tenuibus remotis.* †

Carex fylvatica. Hudf. Fl. an. 411. Fl. dan. t. 404. (malè)

Carex veficaria β. Fl. fuec. Sp. pl. 1389.

Gramen cyperoides fylvarum tenuius fpicatum. Morif. hift. 3. p. 243. f. 8. t. 12. f. 9. Raj. hift. 1295. Scheuch. hift. 418.

Gramen cyperoides polyftachyon majufculum latifolium, fpicis multis longis ftrigofis. Raj. fyn. 419. (eft Carex ftrigofa Hudf. *J. E. Smith.*)

Gramen tertium. Scheff. lap. 362.

Kapmock-fvini. Lapponibus.

Lappfkogræs. Novaccolis, id eft, *gramen calceorum Lapponicorum.*

α. In paludibus limo plenis, quæ per æftatem exficcantur, crefcit, nec non in defertis copiofe, fegetis inftar, & raro culmum profert.

 β. Mi-

β. Miraberis forte, curiose Lector, qua ratione homines, sæviente brumali frigore per Lapponiam intensissimo, vitam conservare possint, a quibus locis aves fere omnes imo & feræ instante hyeme discedunt. Lappones incolæ non modo per dies, sed & per noctes hyemales integras, continuo cum grege sua rangiferina in sylvis oberrare tenentur; rangiferi enim non subeunt tecta, nec edunt aliud pabulum, quam Lichenem; hinc tenentur pastores continuo versari in sylvis, ne gregem deserant, ne feris exponantur pecora eorum, eorumque salus œconomica; tenebras facile ferunt, cum ipsa nix reflectat radios a sideribus demissos, cum chasmata omni nocte mille figuris aerem illuminent. Frigus est summum quod nos peregrinos a beatissimis eorum sylvis arcet & terret. Nullæ partes corporis nostri facilius a frigore destruuntur, quam extrema artuum a sole microcosmi, a corde, maxime remota; indicant hoc perniones manuum pedumque in septentrionali nostra Suecia satis frequentes. In Lappone nullo observabis perniones, licet iste, respectu regionis, huic morbo maxime subjectus facile judicaretur, præsertim cum tibialibus destituatur, quæ nos non modo non simplicia, sed duplicata, imo triplicata induimus.

Lappo sequenti modo contra vim frigoris præservatur: Femoralia ad talos usque extenduntur confecta e pellibus hirsutis rangiferinis, extremos pedes defendunt calcei hirsuti itidem e pellibus rangiferinis confecti, extrorsum verso vellere. Calceis indunt gramen hocce, tempore æstivo dissectum, exsiccatum, brevi ante pectine ferreo vel corneo divisum, conquassatum inter manus, ita ut non modo tibias, sed & plantas pedum undique superius & inferius tegat, quo gramine velati liberi omnino sunt ab omni frigoris sævitia: Hocce etiam gramine chirothecas suas hirsutas replent, ne manus lædantur, sicque perdurat gens hæc gelu indurata. Uti

gramen

gramen hoc hyeme frigus abigit, sic etiam æstate sudorem pedum arcet, simulque ne pedes lædantur allisi ad lapides, &c. (calcei enim tenuissimi, non e corio, sed pellibus conficiuntur:) in itinere vetat.

γ. Inquirenti difficile est percipere, quodnam sit gramen hoc a Lapponibus adeo receptum, cum non omnibus idem sit, colligunt enim varia, semper tamen Carices, & inter has hanc speciem præ reliquis seligi intellexi.

δ. Si Lappones aliquando perniones in suis observant membris, sacra eorum est anchora oleum e caseo rangiferino ante focum affato exstillans, quo inunctum membrum mox a læsione, certo certius restituunt.

329. CAREX *maxima, spicis plurimis remotis longis.* †
Carex acuta. β. Sp. pl. 1388. α. Fl. suec. 857.
Cyperoides latifolium, spica rufa, seu caule triangulo. Tournef. inst. 529.
Gramen cyperoides, spica rufa, seu caule triangulo. Bauh. pin. 6.

α. In paludibus sæpius obvia est.

330. CAREX *nigra verna vulgaris.* †
Carex acuta. α. Sp. pl. 1388. β. Fl. suec. 857.
Cyperoides nigro-luteum vernum minus. Tournef. inst. 529.
Gramen cyperoides, foliis caryophyllæis, vulgatissimum. Raj. hist. 1293.

α. Est gramen vulgatissimum in pratis præsertim subhumidis nascens.

β. Agricolis Novaceolis minus arrident prata gramine hocce referta, dum fœnu vilioris notæ suppeditant, nec pinguescat bos *carice pastus acuta.*

331. CAREX *spicis plurimis, florescentibus tenuibus, fructiferis crassis.* †
Carex vesicaria. Sp. pl. 1388.

Gramen

Gramen cyperoides medium præcox, ſpicis teretibus flaveſcentibus. Moriſ. hiſt. 3. ſ. 8. t. 12. f. 6.
α. Cum antecedentibus paſſim.

332. CAREX *ſpicis plurimis remotis ſeſſilibus ſubrotundis turgidis.*
Carex caneſcens. Fl. ſuec. 842. ſynonymis erroneis.

333. CAREX *ſpicis remotis ſeſſilibus, capſulis ſubgloboſis.*
Carex panicea. Sp. pl. 1387.
Gramen cyperoides, foliis caryophyllæis, ſpica granis rarioribus & tumidioribus conflata. Rudb. elyſ. 1. p. 57. f. 31.
Cyperoides foliis caryophyllæis, ſpicis è rarioribus & tumidioribus veſicis compoſitis. Tournef. inſt. 530.
α. Inter omnes Carices eſt hæc ſpecies vulgatiſſima.
β. In capſulis, loco ſeminum, communiter latebat bulbus farinaceus globoſus niger, qui morbus etiam in aliis fere omnibus hujus generis ſpeciebus obſervabatur, licet in illis rarus, in hac communis.

334. CAREX *ſpicis ad apicem tribus ſeſſilibus, femininis ſubrotundis, capſulis acutis recurvis.*
Carex flava. Sp. pl. 1384.
Cyperoides paluſtre aculeatum, capitulo breviore. Tournef. inſt. 529.
Gramen paluſtre aculeatum germanicum vel minus, Bauh. pin. 7.
α. In ſylvis rarius.

335. CAREX *ſpicis remotis, femininis ſeſſilibus, capſulis hirſutis.*
Carex hirta. Sp. pl. 1389.
Cyperoides polyſtachyon lanuginoſum. Tournef. inſt. 529.
Gramen cyperoides polyſtachyon lanuginoſum. Pluk. phyt. 34. f. 6. Rudb. elyſ. 1. p. 55. f. 24.
α. In Alpibus & deſertis communis, copioſius occurrit in Norvegia & Finmarkia.

336. CA-

336. CAREX *ſpica maſculina a feminina, in ala folioli, remota.*
Carex globularis. Sp. pl. 1385.
α. Abunde in ſylvis omnibus invenitur.
β. Culmus vix pedalis, tenuiſſimus, craſſitie ſetæ porcinæ, nudus. *Folia* tenuia, longitudine ſere culmi. *Spica maſculina* fuſca ſcapum terminat. *Spica feminina* ſeſſilis in ala folioli, ipſo folio breviori.

336*. CAREX *ſpica maſcula oblonga, femineis ſeſſilibus oblongis, inferiore foliolo proprio breviore.*
Carex filiformis. Sp. pl. 1385.
α. In Lapponiâ legit Solander. *Herb. linn.*

337. CAREX *ſpicis tribus ad apicem ſeſſilibus, femininis ovatis atris.*
Carex ſaxatilis. Sp. pl. 1385.
α. In ſolis Alpibus nobis viſa fuit.
β. Facies eadem & ſtatura eſt, quam § 324; differt tamen ab ea & aliis, quod ſpica oblonga fuſca maſculina caulem terminet, tum quod duæ femininæ alternæ juxta apicem culmi collocentur ovatæ, magnæ, & quoad calycem & germina atræ.

338. CAREX *ſpica maſculina terminatrici, ſpica feminina ſuprema breviore, capſulis diſtantibus.* *
Carex digitata. Sp. pl. 1384.
Gramen caryophyllatum montanum, ſpica varia. Bauh. pin. 4. prod. 23.
Gramen caryophyllatum polycarpon, fructu triangulo. Gottſch. pruſſ. 112, t. 27.
Cyperoides montanum nemoroſum, caule triquetro compreſſo, ſpicis ferrugineis tenuioribus, inter ſe diſtantibus, capſulis rarius diſpoſitis oblongis turbinatis trilateris. Mich. gen. 65. tab. 32. fig. 9.
α. In deſertis rarius.

338*. CAREX *ſpicis femineis ſeſſilibus oblongis; inferiore axillari, foliis ſubfiliformibus.*

Carex

Carex pedata. Sp. pl. 1384.
α. In Lapponiâ. *Sp. pl.*
β. In Herbario Linnæano deſideratur, nec ipſe vidi obſcuram hanc plantam. *J. E. Smith.*

339. CAREX *ſpica unica.* *
Carex pulicaris. Sp. pl. 1380.
Cyperoides minimum ſeminibus reflexis puliciformibus. Dill. giſſ. 78. Moriſ. hiſt. 3. p. 244. ſ. 8. t. 12. f. 21.
Gramen cyperoides minimum, ſeminibus deorſum reflexis puliciformibus. Raj. ſyn. 3. p. 424.
Carex minima, caulibus & foliis capillaceis, capitulo ſingulari tenuiori, capſulis oblongis, utrimque acuminatis & deorſum reflexis. Mich. gen. 66. t. 33. f. 1.
α. In omnibus paludibus muſco obſitis vulgatiſſima eſt.
β. Eo quo floret tempore, ſpicam oblongam gerit, refertam floſculis maſculinis ſuperiorem partem ſpicæ, ut femininis inferiorem, occupantibus; at peracta floreſcentia, decidunt & evaneſcunt maſculini flores, ſeminaque oblonga deorſum nutantia prodeunt & diverſum reddunt gramen.

339*. CAREX *ſpicâ ſimplici androgynâ ovatâ: ſupernè maſculâ, capſulis imbricato-patulis.*
Carex capitata. Sp. pl. 1379. Oed. dan. t. 372.
α. In Lapponiâ. *Sp. pl.*
β. Capſulis margine integerrimis, nec ſerratis, a C. dioicâ certè ni fallor, differt. *J. E. Smith.*

TETRANDRIA.

340. ALNUS.
Betula Alnus. Sp. pl. 1394.
Betula incana. Suppl. 417.
Alnus folio incano. Bauh. pin. 428.

Alnus

Alnus incana & hirsuta. Bauh. hist. 1. p. 154.
Alnus alba. Frank. spec. 32. Till. ab. 3.
Leipe Lapponibus. *Ulra* Westrobothniensibus.

α. Arbor ubique juxta fluvios & paludes obvia.

β. Hæc specie non differt ab *Alno rotundifolia viridi* C. B. notabilis tamen est variatio. Alnus ista glutinosa viridis non obvia fuit per Lapponiam, nec vidimus eandem, nisi postquam ad urbem Ostrobothniæ *Gambla Carlby* in reditu pervenimus; in Suecia inferiore contra est glutinosa ista vulgaris, *hæc* autem satis rara.

γ. Cortice interiore rubro masticato, ut saliva inde rubedine tincta sit, est pigmentum Lapponum, quo illico coriis suis & nudis pellibus rubrum colorem inducunt, illinendo scilicet salivam hanc recentem. Hinc calceos, femoralia, cingula, collaria, &c. immo omnia e pellibus nudis confecta rubra vides. Confer § 213. δ, idem radice Tormentillæ ab aliis obtinetur.

δ. Vascula e ligno hujus arboris, pro lacte conservando præferuntur reliquis a Norlandis, cum majorem copiam cremoris deponat lac in illis adservatum.

341. BETULA *foliis cordatis serratis.* *
Betula alba. Sp. pl. 1393.
Betula. Bauh. pin. 427. Frank. spec. 32. Rudb. cat. 7. hort. 17. vall. 6. Till. ab. 9.
Birken. Schel. botn. 29.
Säke. Lapponibus.

α. *Betula folio rotundiore, ramis pendentibus.* Lind. wiks. 5.

β. *Betula folio candido latiore acuminato.* Lind. wiks. 5.

γ. *Betula fragilis, folio subnigro lanuginoso.* Lind. wiks. 5.

δ. *Betula saxatilis torminalis, folio oblongo.* Lind. wiks. 5.

ε. Vix ulla hac arbore in sylvis est copiosior, ubi certat de principatu cum Pinu (§ 346.) & Abiete

 (§ 347).

(§ 347). In Alpium convallibus non adeo frequens, ad latera Alpium ſola regnat, in jugis raro obſervatur.

ζ. *Linderus* noſter ex hac unica plures conſtituit ſpecies, quæ nomine varietatum vix dignæ ſunt (α, β, γ, δ), evidentiores in Alpibus noſtris nobis ſeſe obtulere.

η. In ſummis montibus Alpibuſque proximis locis humanam fere habuit altitudinem, & ratione magnitudinis aliquatenus craſſa. Rami, ſupremi præſertim, nigricantes quaſi aduſti, breviſſimi, hyemis furore mutilati. Folia magna & ſplendida.

ϑ. In Alpium jugis rarius occurrit & tum ſingularem admodum præ ſe fert faciem. Caulis eſt nodoſus, craſſus, vix ſpithamæus, undique ramos exſerens repentes & ad terram quaſi depreſſos, nigricantes, qui nec ad altitudinem ſpithamæam adſcendunt, ſed foveas in ipſa terra deprimunt. Cur omnes arbores in Alpibus procumbentes, nec erectæ conſpiciuntur, ut extra eas? Patet ex phyſicis.

ι. Ligna harum arborum (η, ϑ) vulgaribus duriora ſunt, & ſi tranſverſim diſſecentur annulos intra annulos numeroſiſſimos, ſed ſibi invicem valde propinquos exhibent, ſigno, quod plurium ſint annorum & quod admodum parvum augmentum quovis anno accipiant.

κ. Nullos novi homines, qui Lappone facilius perterrentur, ſi enim quid inopinati in ſenſus ejus incidit, debilis inſtar matronæ ſæpius patitur animi deliquium. Frequentia tonitrua pavidum Lapponem mire concutiunt & ſylvas ſæpe accendunt, quæ diuturno incendio conſumuntur, cum homines non ſufficiant illis exſtinguendis, nec non remoti a ſe invicem habitent, adeo ut ſæpe ab unius Lapponis domuncula ad proximi caſam incedendo integrum impendere diem oporteat; neſcio deinde num incendium hoc ſylvarum magis noceat vel proſit Lapponi, nocet enim laquearia ejus Tetraonibus capiendis

endis expoſita comburendo; prodeſt autem dum arboribus remotis nudos campos exhibet, ut poſt annos aliquot tanto copioſiorem pro grege ſuo poſſideat Lichenem ſeu Muſcum. Timidus noſter Lappo, tonitruante Jove, cum grege per devia obambulans, quærit communiter ſecurum aſylum ſub Betula, uti Imperator Tiberius olim ſub Lauri corona, quaſi illa tonantis Jovis iræ reſiſtere poſſet; quæſivi rationem, obtinui nullam, crederem inde ortum, dum ſemper Betulas enaſci, deſtructis ſylvis pineis & abictinis in Lapponiæ deſertis, obſervavimus.

λ. *Plicas Betulinas* (marquaſtar Suecis) in Lapponiæ ſylvis rariores, in Angermannia omnium vulgatiſſimas conſideravimus.

μ. *Cortex exterior*, membranaceus, liber ſeu epidermis Betulæ, ad varios uſus inſervit Lapponi.

Calceos, dum piſcatum eunt, gerunt ex ramentis corticis betulini, retis inſtar, inter ſe implicatis confectos.

Funes etiam ex eo contorquent, in uſus piſcaturæ.

Vaſculum tetragonum, ex eo confectum ſemper in ſcapha ſervant, quo aquam per rimas intrantem ejiciunt.

Corbes itidem e cortice hocce in filamenta diſcerpto irretiant, quibus piſces domum portant.

Orbiculus Lapponum, ſi quis adſidet menſæ, eſt communiter cortex duplicatus Betulæ, in quo carnes vel piſces coctos pranſuris offerunt.

Pallii loco eis inſervit magnus craſſus exſiccatus & planus cortex, cum cavitate orbiculari & centrali latitudine colli, quem collo circumponunt & ſic per copioſiſſimam pluviam ſiccis veſtimentis incedere queunt, claudentes ſcilicet anterius clavo ligneo aperturam.

ν. *Cortex interior* craſſus, carnoſus, fibroſus, fragilis, non minoris eſt uſus per Lapponiam.

Retia ſua ejus ope rubra tingunt, ne a piſcibus evitentur

tentur alba, quod fit coquendo cineres, ut extrahatur fal alcali, decantata aqua; minutim confciffos cortices addendo, coquendo, eximendo coctos cortices & immergendo (cum manus calorem aquæ ferre queat) retia.

Coria hoc cortice præparant omnes Lappones, fequenti modo: Cutis bubula empta in Norvegia vel Suecia demergitur in aqua tepida, fepelitur dein in extimo cafæ feu tugurii angulo, quod iteratur omni die, ufque dum crines decidere incipiant, qui ferro incurvo poftea abraduntur. Alii per compendium folo cultello ruditer abradunt crines, denudata cute coquitur cortex interior, recens & minutim confciffus, in aqua fimplici per dimidiam horam, reponitur ut tepefcat, tum cutis immergitur, quod fecundo & tertio die in eadem calefacta aqua iteratur, ficcatur dein in loco umbrofo & aere aperto. Præferunt coria hæcce reliquis; cum aquæ magis refiftant, quam alia. Cortex nunquam editur a Lapponibus, nec in annonæ caritate unquam inde conficitur Panis, ut Raius hift. 3. p. 12. refert.

ο. *Tubera, tophi, tubercula* feu prominentiæ fæpe exferuntur in antiquis Betulis ex medio caudice, quæ tenaciora funt reliquo ligno, cum fibris conftent intortis & implicatis (Mafurlupne). Ex hifce conficiunt vafcula fua pro ferculis & potu, communiter in formam fubglobofam excavata, dempta unica quarta parte fuperius, cum adfixo manubrio; quæ licet folo, quod mireris, cultello elaborentur, nitidiffima tamen & quafi tornata funt. Tale cochlear minoris capacitatis femper fecum gerunt abfconditum intra pallium & corporis nudi fuperficiem, ut potum fuum, aquam fuam egregiam, urgente fiti, femper haurire queant, quod *Koxa* vocant.

π. *Lignum* Betulæ eft materia pro clitellis (Swaga Lapp.), farcinis (*Kifa*), & trahis (*Achia*), conficiendis.

ρ. Moxa

ρ. Moxa Lapponum (*Toule* Lapp.) ſumma Lapponum medicina, ſummum polychreſtum, e Betula conficitur.

In Betulis antiquis, communiter intra fiſſuras & rimas ligni reperiuntur ramenta flaveſcentia, hyperſarcoſis ſeu fomes (ut communiter in Fagis noſtris), tenax, referens conſiſtentia Agarici carnem, quo etiam utuntur Lappones pro excipiendo e ſilice igne. Non debet, ut a Scheffero factum, confundi cum Agarico, dum fungus non eſt.

Ex hac materia cultello formant globulum vel conum magnitudine piſi vel ultimi articuli pollicis, quem ſiccant; eum in uſus vocaturi imponunt parti dolenti, tum apex accenditur ramulo betulino ignito; concepto ſemel igne ſenſim ſenſimque conſumitur verſus radicem, tum cutim & nervos lædit, criſpat; initio ſatis dolet locus igni expoſitus, mox modo levis titillatio, ut retulerunt, percipitur; moxa hæc non dejicitur, niſi tota conſumpta ſponte ſua deliqueſcat, vel a cute ejiciatur invito ægro. Hæc operatio iteratur ſecunda & tertia vice pro ratione doloris vehementioris. Sæpe ſub ipſa uſtione, quaſi flatu e veſica exploſo dejicitur moxa, quod ſignum ipſis eſt fauſtiſſimum, nec opus eſt tum renovare operationem.

Ulcus hoc modo productum arte nulla debet conſolidari, ſed ſoli imperio naturæ committi, hinc nonnunquam per annum durat, ſæpe etiam mox coaleſcit, quod genio morbi ejuſque malignitati adſcribunt: hæc eſt ſumma Lapponum medicina & ultima anchora in omni dolore abſque inflammatione externa notabili, ut in cæphalalgia, odontalgia, pleuritide, colica, dolore dorſi, & ſane raro fallit.

Hinc vides faciem, frontem & maxillas Lapponum ſæpius duris defœdatas cicatricibus iiſque copioſis.

Mirum, undenam Lappones hanc medicinam addidicerint, cum per totam Sueciam nullibi in uſu ſit.

σ. EMPLASTRUM LAPPONICUM (*Kattie* Lapp.) unicum novi in tota Lapponia, quod ſequenti modo conficitur: Cutis Betulina (μ) ſeu cortex membranaceus Betulæ nitidus, lævis & tenuis cultello vel unguibus in varia foliola ſeu lamellas finditur, quarum externa & interna abjicitur, mediæ ſervantur, in parva fruſtula ſeparantur, igne accenduntur, comburuntur, antequam vero integre conſumptæ ſint igne, in aqua exſtinguuntur, eximuntur mox ſub forma corii toſti nigræ, maſticantur cum reſina abietis (§ 347.) molli & quæ recens, nec exſiccata, nec indurata, dein inter manus movetur maſſa in conſiſtentiam debitam emplaſtri.

Hæc eſt unica eorum medicina in omni inflammatione, quæ ductu naturæ non reſolvitur, ſed ad ſuppurationem vergit, in ulceribus, &c. Hoc emplaſtrum cito emollit & intra breve tempus maturum pus exhibet.

342. BETULA *foliis orbiculatis crenatis.* * Tab. VI. fig. 4.

Betula nana. Sp. pl. 1394. Lind. wikſ. 5.
Betula paluſtris pumila, foliis parvis rotundis. Celſ. upſ. 11.
Betula humilis, rotundifolia. Mart. burſ. 535.
Betula paluſtris nana. Rudb. lap. 96.
Betula nana pumila. Frank. ſpec. 32.
Betula nana ſeu pumila. Till. ab. 9.
Betula nana ſuevorum. Rudb. hort. 17.
Betula nana ſuecorum. Brom. goth. 11.
Skirre Lapponibus Lulenſibus. *Skerre* Lapp. Umenſibus.
Rypryſ. Novaecolis Lapponiæ, id eſt, frutex lagopodum.
Klingryſ. Weſtrobothnienſibus.
Fiællrapa. Dalekarlis Sernenſibus & Limenſibus.
Freddagsbioerk. Smolandis.

α. En hiſtoriam & adumbrationem novam fruticis antiqui,

tiqui, Botanicis Suecis ante feculum notiffimi, nec non ab omni Sueco Botanico nominati, licet defcriptionem & figuram exhibendam nobis in hoc ufque tempus reliquerint.

β. Nafcitur primario in Alpibus lapponicis per omnia juga, exinde difperfus fuit per proximas provincias, ex. gr. per Oftrobothniam, Weftrobothniam, Angermanniam, Iemtiam, Helfingiam, Dalekarliam, Norvegiam, immo in nullâ Sueciæ unquam fui provincia, ubi hunc non viderim.

γ. Exteri omnes, qui Botanicorum Suecorum fcripta evolverunt, cum ad hujus fruticuli nomen pervenerint, illum pro varietate & non diftincta fpecie ab antecedenti Betula, habuere. Ego autem bona fide adfero & conteftor diftinctiffimam ab antecedente effe fpeciem arbufculam noftram, nec ullâ ratione eam conjungi debere cum priori.

δ. Defcriptio hæc eft:

Radix lignofa, ramofa.

Caules fruticis plurimi, lignofi, virgati, procumbentes, glabri, nigricantes: *Ramis* alternis, longis, anguftis, diffufis.

Folia orbiculata, diametro tranfverfali fæpius fuperante longitudinalem, fuperius glabra viridia nitida, inferius pallide viridia, per marginem undique, excepta bafi, crenis notata. Crenæ hæ funt decem ufque ad quatuordecim, vix æquales, mediæ feu ad apicem folii profundiores, omnes obtufæ. Petiolis propriis vix manifeftis infident folia, & e fingula gemma tria communiter prodeunt, fæpe itidem duo, quatuor vel quinque.

Flores amentacei, erecti, feffiles, femunciales, eodem tempore, quo folia erumpere incipiunt, vigent. *Mafculini* compofiti funt, craffitie pennæ anferinæ, *feminini* longe tenuiores, piftillis purpureis notabiles.

Figuram plantæ refpondentem vide Tab. VI. f. 4.

ε. Variat admodum hæc planta.

a. In *Alpibus* lapponicis vix duarum ſpithamarum altitudinem attingit, ſed undique ſerpit & foliis minutiſſimis gaudet, qualia ſcilicet in figura exhibentur, eaque magnitudine, qua Tab. VI. a. videre eſt.

b. In ſylvis Lapponiæ, Norlandiæ, Smolandiæ, ubi in paludibus creſcit, folia majora gerit & caules humanæ longitudinis exſerit decumbentes; foliorum figuram magnitudine naturali exhibemus Tab. VI. fig. b.

c. In hortum ſuum eandem retulit Cel. S. Th. D Celſius, ubi, licet in loco ſicco, læte viguit, & folia ea magnitudine & figura protulit, qua depicta ſunt Tab. VI. fig. c.

ζ. Solent plantæ in loco natali felicius germinare, quam in alio ullo. Nullus negabit, quod locus hujus natalis verus & primarius ſit in Alpibus noſtris, adeo ut vix ulla arbor, vix ulla herba hac frequentior, quæ ſæpe integra Alpium juga per ſpatium decem milliarium obveſtit, & tamen hæc in Alpibus minoribus gaudet foliis, quam extra eaſdem!

η. Tempore iſto æſtivo, quo Lappones in Alpibus beatiſſimam ſuam vitam agunt, iiſdem inſervit hic fruticulus cum radice extractus ad focum alendum, ſi a convallibus ſint remoti, nec Salicem (§ 366) obtinere queant. Neceſſe enim ipſis eſt, ut aſſiduo luceat igne focus dieſque noctesque tempore æſtivo, ne conſumantur malo ſuo endemio, Culicibus puta. Dum autem focus cingitur quatuor tantum lapidibus in media caſa ſeu tuguriolo excitatus, ventique vix ſileant in Alpibus, difficilius exit fumus per apicem conicæ ſeu pyramidatæ & truncatæ domus, hinc replet caſam, abigit culices, ſed inhabitatores lippos reddit: hinc omnes Lappi lippi ſunt.

θ. *Lagopodes* dictæ Aves (Tetraonum ſpecies) tempore æſtivo flaveſcentes, hyemali albæ, pedibus lana in-

involutis, leporis inſtar, per omnes Alpes, ut alibi paſſeres, diſcurrunt; hæ victitant fere ſolis ſeminibus hujus arbuſculæ, & per integram hyemem in Alpibus noſtris (cum nulla alia in iiſdem perduret avis) ſub nive ea colligunt. Ante finem Decembris Lapponum nonnulli, avium harum capiendarum gratia, in Alpibus degunt, ſed deinde ob frigus intenſum deſcendere coguntur, cum natura pedes eorum, ut Lagopodum, obvelare noluerit. Nec poſſunt alia hic per hyemem vivere animalia, quam Lagopodes, Mures alpini & Vulpes albæ, quæ a Lagopodibus & Muribus (Lemures, Mures Norvegici Wormii) captis vitam ſuam ſuſtentant.

l. Caſa ſeu Tuguriolum & Domus Lapponis gaudet forma pyramidali hexagona apice truncato, altitudinis humanæ, latitudinis triplo longioris. In Alpibus eſt tentorium, conſtans trabibus ſeu baculis octodecim & expanſo tegmine linteo empto, in ſylvis e lignis & ſimilibus; in Alpibus conſtat ſolo tecto terræ impoſito, in ſylvis gaudet parietibus ulnam altis. In centro ejus eſt focus, in fronte locus pro culina vacuus, ad latera thalamus communis vel area pellibus rangiferinis tecta, in hiſce pellibus ſedent per diem, dormiunt per noctem. Pelles hæ non immediate terræ incumbere debent, hinc uxoris vel matris familias eſt officium ſternere ſubtus ramos hujus betulæ craſſos, ut defendantur ſtragula, utque molliter oſſa cubent; quod ſi non fecerit uxor, negligentiæ a conterraneis accuſatur. Mira œconomia, fere magis ſuccincta ac ipſius Diogenis! O felix Lappo, qui in ultimo angulo mundi ſic bene lates contentus & innocens. Tu nec times annonæ caritatem, nec Martis prælia, quæ ad tuas oras pervenire nequeunt, ſed florentiſſimas Europæ provincias & urbes, unico momento, ſæpe dejiciunt, delent. Tu dormis hic ſub tua pelle ab omnibus curis, contentionibus, rixis liber, ignorans quid ſit invidia. Tu nulla noſti,

nisi tonantis Jovis fulmina. Tu ducis innocentissimos tuos annos ultra centenarium numerum cum facili senectute & summa sanitate. Te latent myriades morborum nobis Europæis communes. Tu vivis in sylvis, avis instar, nec sementem facis, nec metis, tamen alit te Deus optimus optime. Tua ornamenta sunt tremula arborum folia, graminosique luci. Tuus potus aqua crystallinæ pelluciditatis, quæ nec cerebrum insania adficit, nec strumas in Alpibus tuis producit. Cibus tuus est vel verno tempore piscis recens, vel æstivo serum lactis, vel autumnali Tetrao, vel hyemali caro recens rangiferina absque sale & pane, singula vice unico constans ferculo, edis dum securus e lecto surgis, dumque eum petis, nec nosti venena nostra, quæ latent sub dulci melle. Te non obruit scorbutus, nec febris intermittens, nec obesitas, nec podagra, fibroso gaudes corpore & alacri, animoque libero. O sancta innocentia, estne hic tuus thronus inter Faunos in summo septentrione, inque vilissima habita terra? numne sic præfers stragula hæc betulina mollibus serico tectis plumis? Sic etiam credidere veteres, nec male.

z. In Smolandia dicitur Betula hæc *Betula diei Veneris*, nec sine risu audire potui derivationis rationem credit enim credulum vulgus Betulam istam, cujus virgis cæsus fuit Salvator die Veneris condemnatam fuisse, ne excrescere queat ejus prosapies ad istam altitudinem, ad quam reliquæ surgunt. Mira sane foret varietas speciei!

URTICÆ *speciem* § 374. vide in Dioecia Tetrandria.

POLYANDRIA.

343. MYRIOPHYLLUM.
Myriophyllum ſpicatum. Sp. pl. 1409.
Myriophyllum vulgare majus. Vaill. act. 1719. p. 23.
Myriophyllum aquaticum pennatum & ſpicatum. Pont. anth. 198.
Potamogeton foliis pennatis. Tournef. inſt. 233.
Millefolium aquaticum pennatum ſpicatum. Bauh. pin. 141.
Fœniculum aquaticum. Frank. ſpec. 14. Till. ab. 29.
α. In fluviis & lacubus Lapponiæ ſylveſtris rarius, præſertim in fluvio iſto Calatz-elfwen, ſeu margaritifero dicto, a copia margaritarum olim in eo inventarum.

344. SAGITTARIA *foliis ſagittatis.*
Sagittaria ſagittifolia. Sp. pl. 1410.
Sagittaria minor. Vaill. act. 1719. p. 25.
Sagittaria. Rudb. hort. 101. Till. ab. 60.
Sagittaria aquatica. Lind. wikſ. 34.
Sagitta aquatica minor latifolia. Bauh. pin. 194.
Ranunculus paluſtris, folio ſagittato minori. Tournef. inſt. 292.
α. In rivulis Lapponiæ Pithoenſis obſervata fuit.
β. *Varietates*, at non diſtinctæ ſpecies ſunt:
Sagitta aquatica major latifolia. C. B.
Sagitta aquatica major anguſtifolia. C. B.
Sagitta aquatica minor anguſtifolia. C. B.

Sagitta aquatica minima. Raj. ſyn.
Eas itaque ſeorſim tradere ſuperſedeo.

345. SPARGANIUM *foliis adſurgentibus triangularibus.*
Sparganium erectum. Sp. pl. 1378.
Sparganium ramoſum. Bauh. pin. 15. Rudb. elyſ. 1. p. 120. f. 1. Lind. wikſ. 36.
Sparganium minimum. Bauh. pin. 15.
α. In aquoſis & carice obſitis deſertis rarius proſtat.
β. Stamina in ſingulo floſculo, ſi perſpicaciſſimo oculo ſeparentur partes, tria tantummodo occurrunt, hinc ſi quis ad ordinem triandriæ hujus claſſis genus hoc amandare vellet, recte faceret, licet dubitem omnes ſtaminum numerum in hoc genere obſervare poſſe.

345*. SPARGANIUM *foliis natantibus plano-convexis.*
Sparganium natans. Sp. pl. 1378.
Flotagræs. Smolandis, quaſi gramen natans.
α. In fluviis Lapponiæ ſylveſtris, præſertim in magno iſto Calicenſi copioſe occurrit, & floret medio Auguſto.
β. Planta, quam intellectam volo, dubia mihi movit multa, nec eandem bene examinatam ab ullo novi. Memini, me puerum, hanc ſæpius cum ſumma admiratione conſideraſſe in amœniſſimo iſto natali loco & Floræ ipſius ſede, tot raris (apud exteros) plantis ornato; ibi ad ripam lacus Mœcklen excipiebant ſe plantæ ſequenti ordine: Fagetum, Vaccinium (§ 144), Vaccinium (§ 143), Trientalis (§ 139), Cornus (§ 65), Vaccinium (§ 142), Myrica (§ 373), Andromeda (§ 163), Vaccinium (§ 145), Hydrocotyle, Ranunculus (§ 236), Subularia (§ 253), Scirpus (§ 21), Lobelia (§ 279), Arundo (§ 41), Scirpus (§ 18), Potamogeton (§ 68), Myriophyllum (§ 343), Sparganium (hoc), Spongia, &c. Hæc planta

planta crescit extra reliquas omnes in aquis quietis humanam altitudinem longe superantibus, nec facile in minus profundis sese obtulit, nec antecedens species in littore a nobis observata, adeo ut pro distincta specie eandem exhibere haud dubitem.

γ. *Radix* perennis est.

Caulis simplex, teres, communiter humanam superans altitudinem, crassitie pennæ minoris.

Folia alterna, per spithamam ab invicem remota, caule sesqui longiora, tanquam striæ vel fibræ parallelæ natantia, linearia, fere obtusa, viridia, nitida, superne parum convexa, latitudine duarum linearum.

Caulem terminat *pedunculus* spithamæus extra aquam prominens, ad apicem gerens florum capitula decem vel duodecim masculina, inferius tria vel quatuor feminina magis a se invicem remota, quorum infimum petiolo brevi insidet & sæpe ex ala folii emergit. Reliquæ partes fructificationis conveniunt cum antecedenti.

δ. Antecedentem plantam vidi per totam Sueciam, hanc vero in sola Lapponia, Norlandia & Smolandia, adeoque non crederem easdem esse plantas. Piscatoribus placent aquæ tectæ hisce foliis, quippe quæ plures alunt pisces. Folia per æstatem jucundo spectaculo aquas quasi linteo viridi tegunt & difficilius elevantur fluctus levi vento agitati, ubi hæc aquam tegunt. Boves & equi hujus folia omnibus aliis graminibus præferunt, hinc proverbium Suecicum: (Han lefver som ko in flota græs) *vivit tanquam vacca in sparganio foliis natantibus*, id est, inter delicias summas beatam agit vitam.

ε. Pauca sunt gramina, paucæque plantæ aquaticæ in Lapponia, ut mirum sit, cur tot myriades avium aquaticarum omni æstate sylvas Lapponiæ petant, ut Anseres, Cygni, Anates, Mergi, Colymbi, &c, quot enim omni vere videmus aera findere, septentrionemque petere, ut scilicet ibi in quiete per vastissima

tissima deserta ova sua ponere, pullos excludere & alere queant. Obstupui, dum circa autumnum una cum avibus e Lapponia migravi, videns tot myriades avium, quas e solo fluvio Calicensi descendere per dies noctesque animadverti; licet & Novaccolæ & Lappones ovis earum fere pinguescant.

MONADELPHIA.

349. PINUS *sylvestris.* Sp. pl. 1418. Bauh. pin. 491. Rudb. cat. 33. hort. 89.
Pinus sylvestris vulgaris genevensis. Tournef. inst. 586.
Pinus sylvestris major. Frank. spec. 35.
Pinus vel Pinaster sylvestris minor. Frank. spec. 35.
Pinus humilis. Frank. spec. 35.
Pinus pumila incubacea, obscuro cortice. Lind. wiks. 28.
Pinus humilis, ramo & folio densiore, cortice subfusco. Lind. wiks. 28.
Pinus candidior, ramis rarioribus. Lind. wiks. 28.
Pinus procerior rubro cortice. Lind. wiks. 28.
Abies rubra. Till. ab. 1.
Fichten. Schell. botn. 29.
Tall. Suecis.
Betze Lapponibus. *Bietze* aliis.

α. Sylvas, quibus tota Lapponia sylvestris consistit, constituit hæc arbor in locis siccioribus & arenosis.

β. *Lindestolpe* noster, ut & *Frankenius* plures recenset, in Suecia tamen unica hujus species modo occurrit, nec unquam altera, nisi e variationibus secundum loca pinguiora, paludosa, &c. conficere velimus novas

vas ſpecies abſque ratione ſufficienti, quas ſpecies agnoſcam veras cum aliquis Lapponem parvum nigrumve Æthiopem & album Europæum ſpecie inter ſe differre demonſtraverit.

γ. Curioſum eſt per Sueciam, quod multi & Theologi & Philoſophi Pinum hanc vocent abietem, Abietem (§ 347) autem pinum, quod a Botanicis nullo tempore fuit receptum, nec ſcio utrum *Tillandſius* noſter eos ſeduxerit, vel illi Tillandſium.

δ. Varietas quædam ramos fere omnes primarios ex eodem puncto eque ſummitate brevis caudicis rectos & faſtigiatos attollens rarius in Lapponiæ ſylvis obvenit, quam in itinere copioſe in Uplandia inter Oekſtad & Læby creſcentem mirati ſumus.

ε. Cum Arbores hæ in Lapponia ſatis altæ excreſcant, ſed remotæ, nec confertæ, minus inſerviunt foco metallurgico, quam denſæ ſylvæ.

ζ. In Lapponia vidimus majores arbores, quam per totam Sueciam, eaſque in maxima copia creſcentes, quæ nubibus inſertantes caput ſuccumbunt aquiloni & putreſcunt, dignæ quæ Indias petant, vel auguſtale conſtituant; ſuperfluæ enim ſunt Lapponi, qui ramos modo earum foco ſuo imponit, nec domos plures deſiderat præter ſuam caſam. Hinc incedenti peregrinatori difficile eſt iter, cum ubique ad proſtratos offendat caudices eum valde defatigantes.

η. Si de cœlo tanguntur arbores, mox everſam vides fere integram ſylvam per plura milliaria, accedente ventorum furore. Sic in parœcia Jocmockſenſi dum iter fecimus & intravimus ſylvam, aliquot dierum ſpatio, haud ita pridem igne devaſtatam, hora fere elapſa ſuboriebatur levis aura, quæ arbores ab igne ſemiconſumptas proſternebat, unde fragore vehementiſſimo orto vix quo nos verteremus conſtabat.

θ. Rami in majoribus arboribus fere nulli vel pauci a parte ſeptentrionali frigidiſſima excreſcunt, at ab

auſtrali

auſtrali plures. Hinc Lappones tanquam e pyxide magnetica in vaſtiſſimis ſylvis conſtituti cœli cardines dignoſcere norunt.

ι. Notabile eſt, quod in Lapponia omnes iſti maximi caudices fibris gaudeant obliquis, nec recta fiſſilibus, iiſque fibris oblique contra motum naturalem ſolis decurrentibus; ut in Phaſeolis vel Convolvulis, non vero in Humuli obſervatur caule.

κ. Sollicite quærunt Lappones arborem hanc caudice nutantem, quæ ad ripas & in paludibus ſæpe reperitur, cum ligni pars terram ſpectans durior ſit, Buxi inſtar, quod lignum *Tioern*, ſeu *Kioern* vocant; ex hocce conficiunt ſoleas ſuas longiſſimas feliciſſimi Solini Himantopodes, qui hyeme repunt magis, quam incedunt, qui ſaliunt communiter uno pede & cadendo currunt.

λ. Arcus ſuos, quibus ad Sciuros vulgares ac volitantes (qui rariores) occidendos utuntur e ligno Kiœrn (κ) conficiunt, conjuncto hocce cum ligno Betulino, conglutinatis mediante glutine ex cute Percarum confecto, quo arcus ſemet ipſum extendat chorda relaxata.

μ. Picem ex hac arbore deſtillant Lappones nunquam, Novaccolæ rarius, Sueci ſæpius: alii e radicibus, alii e trunco decorticato, alii e lamellis ex latere caudicis exciſis reſinaque ſaturatis picem extrahunt.

ν. Panes etiam e duris ſylvis depromere docuit dura rerum magiſtra neceſſitas, quod aliis nationibus paradoxon videtur. Lappo œconomiam ſuam ita inſtituit, ut Cereris auxilio opus non habeat, contra vero hoſpes ejus Novaccola ſine pane & Cerere vivere nequit, cujus agricultura toties eludit magiſtrum, ut, niſi ſylva perſiſteret, refugium ipſi eſſet nullum. Hinc ortus eſt Panis Pineus, ſeu *Barkbroed*, qui ſequenti modo conficitur. Pini eliguntur proceres minuſque ramoſæ (humiles enim & ramoſæ majori reſinæ copia ſcatent), cortex exterior aridus & ſquamoſus ſtudioſe abraditur, & interior

iſte

iſte mollis fibroſus & albus ac ſucculentus cortex detrahitur & exſiccatur in umbra in uſus futuros. Cortex hic ab arbore ſeparatur eo tempore, quo alburnum molle eſt & ſua ſponte ex ligno levi tractione diſcedit, alias nimis laborioſe adquiritur. Dum in uſum trahi debet, leviter affatur ſupra prunas, ut poroſior evadat craſſiorque, comminuitur deinde, lapidi molari committitur, inque farinam redigitur; e farina cum aqua ſubacta conficitur, diuturna agitatione, panis tenuiſſimus, vix lineam craſſus, ſiccatur in furno, editurque non raro per integrum annum.

*. Sues etiam, ſi quas aliquando poſſideant Novaccolæ, pinguefaciunt pane pineo æque facile ac Sueci ſolo frumento, quod etiam alii, quibus res anguſta domi, in Suecia imitari poſſent, ſine diſpendio frumenti.

347. ABIES *foliis apice acuminatis.*
Pinus Abies. Sp. pl. 1421.
Abies tenuiore folio, fructu deorſum inflexo. Tournef. inſt. 585.
Abies. Rudb. vall. 1. hort. 1.
Abies procera, ramis a radice caudicem proſequentibus, folio craſſiore, cortice ſubrubro. Lind. wikſ. p. 1.
Abies procera viminalis, ramis caudicem proſequentibus reflexis, folio tenero, cortice ſubrubro. Lind. wikſ. 1.
Abies candida elatior, ramis rarioribus, folio tenui, cortice ſubcinereo. Lind. wikſ. 1.
Abies pyramidalis, ramis ad radicem crebris, fruteſcens. Lind. wikſ. 1.
Picea major prima ſive Abies rubra. Bauh. pin. 493.
Picea. Frank. ſpec. 35.
Pinus ſylveſtris major & minor. Till. ab. 53.
Tanne. Schell. botn. 30.
Gran. Suetice.
Giieſa. Lapponice.

*. Pinus & Abies ſimul ſylvas Lapponiæ conſtituunt

& de primatu inter ſe certant. *Pinus* in ſiccis, at *Abies* in humidis copioſior, inter quas *Betula* ſine lege mixta occurrit.

β. *Funes* e radicibus conficiunt Lappones: Radices enim longæ & tenues ſeliguntur, quas adhuc recentes inter femur & dorſum cultelli trahunt, ut cortex decidat, dividuntur deinde cultello in quatuor vel quinque partes ſecundum longitudinem, colliguntur in orbem, in aheno cum cinerum magna copia coquuntur per unam alteramve horam, extractæ & adhuc calentes raduntur ter quaterve cultelli dorſo ad femur alliſo, torquentur in funes. Idem etiam cum radicibus Betulæ, ſed raro admodum, peragitur.

γ. *Corbes* iſtæ Lapponum famoſiſſimæ & elegantiſſimæ, quæ omni anno in Sueciam tranſportantur a Lapponibus confectæ eodem modo, ex eiſdem radicibus, præparatis, at non fiſſis, componuntur.

δ. *Cymbas* ſeu naviculas ſuas, quibus furentiſſimos torrentes, rapidiſſimaſque cataractas trajiciunt Lappones, conficiunt ex aſſeribus Abietis tenuiſſimis, radicibus conſutis, ne ferrum augeat pondus; requiritur enim tam levis ſcapha, ut ab uno viro, capite impoſita poſſit portari per unam alteramve horam, cum iter adverſo flumine ſit inſtituendum; & ſimul tam magna, ut quatuor homines ſimul capiat.

ε. Ad apices ramulorum arboris interdum excreſcunt corpuſcula monſtroſa ovata, magnitudine & figura Fragorum, farinam continentia, quæ non flores maſculini ſunt, ſed inſectorum producta. Hæc, inter obambulandum, Lappones baccarum inſtar edunt.

ζ. Reſina Abietis recens & fere liquida vel pellucida colligitur, maſticatur uſque dum particulæ amaræ ſatis extractæ ſint, deinde conſervatur & *Tuggkoda* vocatur. Hæc ſæpius manducatur a Novaccolis in ipſis templis dum eos congregatos cernis, ſed magis adhuc a reliquis Norlandis, quæ immenſam copiam

ſalivæ

ſalivæ extrahit, quam exſpuunt, licet ciborum digeſtioni maxime ſit neceſſaria; ſed forte fœda hæc eorum Scheuaſia ſcorbuticis hiſce utilis magis, quam noxia.

η. Lappones, licet ipſi ſpiritum e frumento non conficiant vel conficere poſſint, eo tamen maxime delectantur, & ſi aliquando iis propinetur ſpiritus frumenti, hauriunt cum ſummo oblectamento tantam copiam ſæpe, quam vires humani corporis preferre haud queunt, unde miſerrima, deflagrato furore, vexantur cæphalalgia, ſed & medicinam ſciunt; alii enim ramulos novellos Abietis conſciſſos & contritos capiti circumponunt, ſed plurimi breviori compendio curam abſolvunt admovendo frontem foco, ut calor fere adurat cutim, hocque continuant, donec fere exanimes decidant: Heroicum profecto medicamentum.

ϑ. In Finmarkia ſummitates ramulorum conſciſſas, avenaque mixtas equis exhibent per hyemem in defectu fœni, experimento laudabili.

CLASSIS

CLASSIS XXII.

DIOECIA.

DIANDRIA.

HUNC locum ſibi poſtulat SALICUM familia, quæ ſi ulla in Botanicis obſcura, hæc ſane maxime; deſcriptiones enim haud ſufficientes ſunt, figuræ malæ, differentiæ exiguæ, varietates plures, ut omnes hactenus editi in Re herbaria libri non ſatisfaciant noſtro ſcopo.

Dum recentiores plurimos evolvo, video ſynonyma ſtudioſe allegata, ſed obſervationes raras, nec percipio, qua revelatione illuminati tam obſcura intellexerint nomina alii, me ſane illa latent.

Poſſem forte & ego cum aliis nomina recenſere, ſynonyma plura compilare, ne verbum aliud addere, & lectorem æque incertum dimittere; alia tamen via incedere animus eſt.

Nova nomina cum differentiis imponam ſpeciebus, quibus inter ſe diſtingui poſſunt, breves deſcriptiones (prolixiores enim confundunt lectorem) exhibebo, & unicum folium in ſingula ſpecie depingam.

Syno-

Synonyma plura lubens prætereo, ne Lectori, quod mihi ipſi accidit, contingat, ut cum de uno authoris nomine ex ejus adumbratione certus ſit, alterius denominatio ipſi dubia moveat inextricabilia.

Cumque ex ſola Lapponia plures habeam ſpecies, quam facile ullus alius ex alia regione, novum hinc ponam fundamentum, novamque ſuperſtruam domum.

Cur tot reperiuntur ſalicum ſpecies & individua in ſola Lapponia frigidiſſima, ut earum familia numero ſuperet alia genera in Lapponia deprehenſa, viginti enim tres ſpecies in ſola Lapponia legimus? an quia primo vere florent, brevique perficiunt ſemina, ne frigus autumnale eas lædat? vel an quoniam citius creſcunt, quam aliæ arbores? vel an quod frigori magis reſiſtunt, quam aliæ?

Divido Salices lapponicas omnes in 4 ſectiones, quarum

1. flores exhibet ſtaminibus quatuor vel quinque (cum reliquæ modo duobus inſtruantur). Z. § 370.
2. folia ſerrata glabra gerit. A - H. § 348-355.
3. folia integra glabra. J - M. § 356-360.
4. folia integra ſubtus villoſa. N - R. § 361-364.
5. folia integra utrimque villoſa. S - Y. § 365-369.

348. SALIX *foliis ſerratis glabris ovatis utrimque acutis.* Tab. VIII. fig. a.

Salix amygdalina. Sp. pl. 1443? *Afzelius.*

Mas. Femina.

Salix folio latiore ad imum & ſummum acuminato. Rudb. lap. 99.

α. A me viſa non fuit, ſed e figuris Rudbeckianis mutuata, inque Lapponia ab eo collecta.

β. Arbor ſat procera.

Folia fere ſeſſilia, verſus apicem ſuperiorem latiora, nitida,

nitida, glabra, margine acute & diſtincte ſerrato, leviter undulato.

γ. Omnes reliquas Salices Rudbeckianas lapponicas, hac excepta, habeo, ut ex collatis figuris determinare licuit, ſynonyma autem adponere difficile erit, cum ipſe propria nomina ſua non adſcripſerit, nec in ſenectute ſumma ſingulæ tabulæ pictæ datum nomen attribuere ſuſtinuerit.

349. SALIX *foliis ſerratis glabris ovato-lanceolatis acuminatis.* Tab. VIII. fig. b.
Salix fragilis. Sp. pl. 1443.

Mas. Femina.

Salix, folio longo latoque ſplendente, fragilis. Raj. ſyn. 448.
Salix ſpontanea fragilis, amygdalino folio, auriculata & non auriculata. Bauh. hiſt. 1. p. 214. b?

α. Frutex altus eſt, viminibus anguſtis rufeſcentibus erectis conſtans.
Folia oblonga, baſi ſua obtuſa, apice producta, acuminata, per margines diſtincte ſerrata, idque profundius & diſtinctius, quam in figura, ſerratura alterna communiter paulo minore; ſuperne viridia, glabra, nitida, inferne pallidius viridia, venis prominentibus, inque medio communiter evidentius bifurcatis, inſtructa.

β. Accedit ad Salicem octavam Raj. ſyn. 448. ſed folia non ſatis ſerrata ſunt; *Dillenius.*

γ. Differt quidem noſtra ſequentibus notis ab arbore, quæ in Suecia creſcit, dicta
Salix foliis ſerratis glabris lanceolatis acuminatis appendiculatis. Nobis.
Salix amygdalina. Sp. pl. 1443.
Salix folio lato ſplendente, fragilis. Raj. hiſt. 1420.
Salix ſpontanea fragilis, amygdalino folio auriculata & non auriculata. Bauh. hiſt.
a. quod noſtræ folia appendiculis deſtituantur ubique.

b. quod

b. quod noſtra frutex, altera arbor.
c. quod caulis noſtræ ruber, alterius albus: ſed an hæc pro ſpecie determinanda ſufficiant, valde dubito.

350. SALIX *foliis ſerratis glabris oblongo-ovatis.* Tab. VIII. fig. c.
Salix phylicifolia β. Sp. pl. 1442.

Mas. Femina.

α. Creſcit admodum frequens in ſylvis.
β. *Frutex* altus vel leviter arboreſcens.
Caulis glaber, carneus, ramis novellis fuſcis, hic illic punctis parvis adſperſis.
Folia oblongo ovata, acutiuſcula, ſerraturis diſtinctis oblongis ſed depreſſis notata, ſuperius viridia, glabra, nitida, ſubtus pallidiora. Folia novella ſuperne infra mediam partem macula magna purpuraſcente tincta ſunt.
Petioli oblongi, ad baſin appendiculis ſeu foliolis duobus minutiſſimis ovatis integris aucti. Ex ala petioli ſæpius lanugo emergit, ſed admodum brevis.

351. SALIX *foliis ſerratis glabris lanceolatis, crenis undulatis.* Tab. VIII. fig. d.
Salix phylicifolia. Sp. pl. 1442.

Mas. Femina.

Salix phylicæ humilioris folio. Rudb. lap. 99.
α. Creſcit & hæc in ſylvis, licet rarius; at in Weſtrobothnia copioſiſſime in pratis.
β. Arboreſcit, ſed tenui admodum gaudet caule, ut ne puer eam adſcendere poſſet.
Caulis ſcaber eſt, *Rami* glabri, teſtacei coloris, ramuli recentes purpuraſcentes.
Folia lanceolata, glabra, diſtincte ſerrata; ſerraturis apice & baſi obtuſis, media parte inflexis, ut totidem

tidem ſint leves per marginem undulationes, quot crenæ (hæc minus bene expreſſit ſculptor), ſuperne ſaturate viridia, nitida, inferne pallida & leviter ad albedinem inclinantia.

Flores lutei erant.

γ. Qui novit *Alaternoidem africanam lauri ſerratæ folio Commel. præl.* (*Ceanothum africanum*, Sp. pl. 284.) ille habet figuram foliorum tam exactam, ut facile eas inter ſe confunderet.

δ. A *Salice Babylonica* dicta, differt ſerraturis magis diſtinctis & foliis latioribus, nec non ramis erectioribus. Vide Hortum Cliffortianum.

352. SALIX *foliis ſerratis glabris verticaliter ovatis.* Tab. VIII. fig. e.

Salix tenuifolia. Fl. ſuec. Mſſ. Afzel.

Mas. Femina.

α. Creſcit in campis arenoſis parum ſubhumidis Lapponiæ deſertæ.

β. *Frutex* facie arborem referens; ſed vix pedalis.

Caulis griſeus, ſummis ramulis purpuraſcentibus.

Flores alternatim ramulis ſummis inſident flavi, quorum amenta vix quatuor lineas longitudine æquant.

Foliola tria, lanceolata, integra, apice parum villoſa, minima, magnitudine & figura iſta qua ad baſin depinguntur (lit. *e*), ex eadem gemma cum amento egrediuntur.

Folia ordinaria majora, ex apice ramuli anni præcedentis cum ramulo excreſcunt & vigent eodem tempore, quo flores ſuperius poſiti; Hæc ſunt verticaliter ovata, patentia, utrimque glabra, tenuiſſima, fere pellucida, apice obtuſe prominula, petiolo oblongo inſidentia; in medio, vix verſus extremitates, obtuſe crenata, quinque vel ſex utrimque crenis.

γ. Reſpondere videtur Salici latifoliæ non hirſutæ cum gallis J.B. hiſt. 1. 216. b. quam Salicem arbuti folio

voco,

voco, quæ diverſa eſt a Salice folio laureo Raj. ſyn. 449. n. 12. *Dillenius.*

353. SALIX *foliis ſerratis glabris ovatis.* Tab. VIII. fig. f. & Tab. VII. fig. 6.

Salix myrſinites. Sp. pl. 1445. Villars fl. delph. v. 3. 769. t. 50. f. 12.

Mas. Femina.

Salix pumila alpina myrſinites. Pont. comp. 149.

Salix alpina humilis, Vitis idææ folio utrinque viridi. Rudb. lap. 99.

Salix alpina, foliis anguſtioribus ſplendentibus ſerratis. Scheuch. alp. 340.

α. Frutex eſt pedalis vel bipedalis, in Alpium noſtrarum convallibus frequens.

β. *Caulis* ramoſiſſimus, purpuraſcens, tenax.

Folia alterna quidem, ſed conferta, exacte ovata, nec acuta nec obtuſa, petiolis breviſſimis & fere nullis inſidentia, per marginem crenaturis acutis plurimis parvis notata, ut & verſus apicem, minus tamen manifeſte, utrimque glabra, venoſa, rigida.

Florum amenta ex apice ſinguli ramuli ſingula erecta cæruleſcentia, filamentis cæſiis in mare, germinibus villis albis veſtitis in femina.

Capſulæ matureſcentes villos abjiciunt. *J. E. Smith.*

γ. Foliorum figura Vaccinio (§ 143.) ſimillima, floribus cæruleſcentibus autem a reliquis facile diſtinguitur.

354. SALIX *foliis ſerratis glabris ſubovatis ſeſſilibus appendiculatis.* Tab. VIII. fig. g.

Salix haſtata. Sp. pl. 1443.

Mas. Femina.

Salix folio ex rotunditate acuminato. Bauh. pin. 474. Raj. ſyn. 449.

Salix latifolia inferne hirſuta. Bauh. hiſt. 1. p. 215. b.

α. Creſcit in ſylvis & Alpibus.

β. Arboreſcit hæc ſalix, nec tamen procera evadit arbor.

Rami teretes, rectiſſimi, cinerei.

Folia alterna, pollicis tranſverſi ſpatio a ſe invicem remota, ſubovata, acuta, dura, ſerraturis minutiſſimis & vix conſpicuis crenata, ſuperne viridia, inferne cinerea, utrimque glabra, fere ſeſſilia, rigida, foliolis duobus ovatis & integris appendiculata.

Flores non vidimus.

355. SALIX *foliis ſerratis glabris orbiculatis.* Tab. VIII. fig. h. & VII. fig. 3, 4.

Salix herbacea. Sp. pl. 1445.

Mas. Tab. VII. fig. 3. Femina. Tab. VII. f. 4.

Salix alpina, Betulæ nanæ folio glabro, repens. Rudb. lap. 100.

Salix alpina lucida repens, alni rotundi folio. Bocc. muſ. 19. t. 1.

Salix ſaxatilis minima. Bauh. pin. 474. Prod. 159. *J. E. Smith.*

Pyrola mariana, ſubrotundo ulmi folio glabro. Pluk. phyt. 436. f. 7. (Synonymon dubium, forte ad Betulam pumilam Linn. referendum. *J. E. Smith.*)

Herba facie pyrolæ. Mart. ſpitzb. 47. tab. G. fig. b.

α. Per omnes Alpes ubique vulgatiſſima.

β. *Caulis* vix pollicis tranſverſi eſt altitudinis.

Folia in caule tria quatuor vel quinque fere orbiculata, margine tenuiſſime & vix manifeſte & acute ſerrata.

γ. Minima inter omnes arbores eſt hæc ſalix, maximam hujus ſpeciei, quam unquam in Lapponia videre licuit, depinxi Tab. VII. fig, 3. & ad literam *h*, utrim-

h, utrimque in naturali magnitudine. Craſſa ſatis eſt radix & fruticulus quaſi ſubterraneus, qui apicibus ramulorum modo e terra emergit, frigoris veluti impatiens.

δ. *Folia* maris & feminæ manifeſte differunt.

Maris folia orbiculata fere ſunt, ſed latiora, apice parum emarginata. Tab. VII. fig. 3. Flores ipſi lutei ſunt.

Feminæ folia magis cordata nec emarginata, Tab. VII. fig. 4. fructus capſulæ rubræ ſunt.

356. SALIX *foliis integris glabris ovatis confertis pellucidis.*

Salix foliolоſa. Fl. ſuec. Mſſ. Afzel.

Mas. Femina.

Salix alpina myrti folio. Rudb. lap. 99.

α. Creſcit in campis arenoſis Lapponiæ ſylveſtris & rarius obvenit.

β. Formam & faciem gerit exacte eandem, quam § 352, vix pedalis, ſed *folia* integerrima ſunt, ſuperne viridia glabra, inferne glauca ſeu cæruleſcentia, tenuiſſima & fere pellucida, confertim nata, ovato-oblonga.

Flores infra folia, flaveſcentes, germinibus villoſis albis.

357. SALIX *foliis integris glabris ovatis alternis.* Tab. VIII. fig. i. k.

Salix myrtilloides. Sp. pl. 1446.

Salix cæſia. Villars fl. delph. v. 3. 768. t. 50. f. 11.

Mas. Femina.

Salix alpina pumila rotundifolia repens inferne ſubcinerea. Bauh. pin. 474.

α. Pumila eſt, vixque pedalis in paludibus ſpongioſis obvia.

β. Formam gerit arboris, rami ſuperiores purpuraſcentes, ſummi autem incarnati ſunt.

Folia exacte ovata ſunt, utrimque glabra, ſuperne viridia, inferne ſubcinerea, margine in antiquis foliis leviter reflexo.

γ. Folia in aliis magis rotundata Tab. VIII. fig. i. in aliis magis elongata Tab. VIII. fig. k. ſed tantummodo variationes ſunt.

δ. Fructus purpuraſcens fere, ad baſin fuſcus eſt.

358. SALIX *foliis integris glabris, lanceolato-ovatis.*
Salix cinerea. Sp. pl. 1449.
Salix ulmifolia. Villars flo. delph. v. 3. 776. t. 51. f. 20.

Mas. Femina.

Salix caprea retuſo folio, non auriculata. Sherard. phytopin. Mſſ.

α. Creſcit in ſylvis & attingit non raro altitudinem duplam hominis, licet caulis vix pollicis craſſitiem adæquet.

β. Folia alterna oblonga, inter ovatam figuram & lanceolatam media, ſuperne viridia fere ſcabra rugoſa, ſubtus pallide viridia, petiolis laxis duarum linearum inſidentia.

γ. Figura foliorum inter i. & k. Tab. VIII. quaſi intermedia eſt.

359. SALIX *foliis integris glabris ovatis ſubtus reticulatis.* Tab. VIII. fig. l. & Tab. VII. fig. 1, 2.
Salix reticulata. Sp. pl. 1446.

Mas. VII. fig. 1. Femina. VII. 2.

Salix pumila, folio rotundo. Bauh. hiſt. 1. p. 217. b.

α. Eſt ſalix mere alpina & in Lapponiæ Alpibus vulgatiſſima.

β. *Caulis* vix digiti altitudinis, terræ ſubmerſus fere, purpuraſcens.

Folia

Folia ovata, obtuſa, glabra, craſſa, reſpectu totius arboris magna, ſuperius venis excavatis quaſi rugoſa, glabra & nitida, ſubtus pallida venis purpuraſcentibus eleganter reticulata.

γ. *Mas* Tab. VII. fig. 1. vix diſtinguitur a femina ſua, niſi quod folia ejus magis reticulata ſint & minus oblonga. Spica cærulea eſt.

Femina Tab. VII. fig. 2. etiam ſpicam cæruleſcentem, ſed capſulas villis tenuiſſimis albidis adſperſas gerit.

360. SALIX *foliis ſub-ſerratis glabris lanceolatis utrimque acutis.* Tab. VIII. fig. m.

Salix arbuſcula. Sp. pl. 1445. nec quidem varietas, ut in Sp. pl. traditur, ſed ipſiſſima ſpecies (α) eſt. *J. E. Smith.*

Mas. Femina.

α. In deſertis arenoſis creſcit in formam arbuſculæ vix pedalis.

β. *Caules* tenues, filiformes, ramoſi, rubeſcentes.

Folia lanceolata, utrimque acuminata, petiolis tenuiſſimis laxis inſidentia, utrimque ſerrata crenaturis octo vel quinque parvis vix conſpicuis, ſuperius viridia, inferius pallida, alterna.

γ. Videtur eſſe *Salix alpina pyrenaica.* Bauh. prod. 159. ſerrata autem non eſt, ut figura habet, ſed per margines potius piloſa, ut ſpecimen tranſmiſſum indicat. Velim id corrigi, ne alii errent. *Dillenius.* In nuper explicatis foliis ſerraturæ vix apparent, in reliquis omnibus ne ulla excepta adſunt crenæ, ut etiam ſpecimina omnia confirmant.

361. SALIX *foliis integris ſubtus villoſis ovato-lanceolatis utrimque acutis.* Tab. VIII. fig. n.

Salix depreſſa. Fl. ſuec. n. 899.

Salix lanata β. Sp. pl. 1446.

Mas.

Mas. Femina.

Salix elæagni seu Oleæ bohemicæ folio. Rudb. lap. 99.

α. In Alpibus & desertis occurrit.

β. *Arbor* est parva.

Caulis griseus, ramulis summis pubescentibus.

Folia ovata, utrimque acuta, superius viridia glabra, subtus tomento brevissimo cinereo vestita, nervis tamen prominentibus notata. Petioli laxi; hinc sparsa pendent folia.

γ. Tab VIII. fig. n. *Salix latifolia minor* C. B? a Te inscribitur, ego vero Bauhinianam, quantum ex synonymo & descriptione brevi Thalii percipio, refero ad *Salicem folio rotundo minore* Cat. Giss. app. 37. a qua nunc diversam existimo *Salicem rotundo argenteo folio* C. B. puto autem figura tua designari *Salicem folio ex rotunditate acuminato* C. B. quæ Salicis capreæ species est, quam a *Salice latifolia rotunda* C. B. specie differre statuo, quamvis contrarium sentiant J. Bauhinus & Rajus. *Dillenius.*

362. SALIX *foliis integris, subtus villosis ovatis acutis.* Tab. VIII. fig. o. & q.

Salix arenaria. Sp. pl. 1447.

Salix helvetica. Villars flo. delph. v. 3. 783.

Mas. Femina.

α. In sylvis passim.

β. *Frutex* est altitudinis humanæ.

Caules erecti, minus ramosi, cinerei vel rubri.

Folia alterna, erecta, ovata, acuta, crassa, superius viridia, secundum venas rugosa, villis tenuissimis raris & vix manifestis adspersa, subtus nivea, crassa hirsutie tecta, nervosa.

γ. Duæ nobis adsunt varietates, altera Tab. VIII. fig. q. est superne glabra & ad basin petioli duabus appendiculis instructa. Altera vero Tab. VIII. fig. o. superius leviter villosa est & appendiculis istis ad basin petiolorum destituta.

363. SALIX *foliis integris ſubtus tenuiſſime villoſis ovatis.* Tab. VIII. fig. p. & Tab. VII. fig. 5.
Salix glauca. Sp. pl. 1446.
Salix ſericea. Villars flo. delph. v. 3. 782. t. 51. f. 27.

Mas. Femina.

Salix alpina humilis, vitis idææ folio ſubtus incano. Rudb. lap. 99.
α. In Alpium convallibus rarius obvia.
β. *Frutex* eſt bipedalis.
Caulis rubeſcens, glaber.
Folia ovata, inferiora magis obtuſa (ut in Tab. VIII. fig. p), ſuperiora acutiora, & magis oblonga (ut in Tab. VII. fig. 5), mollia, integerrima, ſuperius glabra fere, non vero nitida, ſubtus pallidiora villis oblongis raris hirſuta.
Flores ex apicibus ramulorum emergunt ovati, craſſa hirſutie alba involuti, ſeu ſquamis amentaceis inſtructi adeo villoſis, ut diſtingui vix queant. *Stamina* ultra hirſutiem prominent cæſia, ad fulvum accedentia, antheris teſtacei coloris inſtructa.

364. SALIX *foliis integris ſubtus villoſis nitidis ovatis.* Tab. VIII. fig. r.
Salix fuſca. Sp. pl. 1447.

Mas. Femina.

Salix humilis alpina, myrti tarentini folio. Rudb. lap. 100.
Salix 3. Raii ſyn. 447. t. 19. f. 3. falsò ad S. arenariam Linnæi a botanicis anglicis relata. *J. E. Smith.*
α. Ubique in ſylvis vulgaris eſt, inque locis ſubhumidis naſcitur.
β. *Fruticulus* eſt humillimus, procumbens fere, & repens.
Folia ovata, fere ſeſſilia & obtuſa, alterna, ſuperius glabra

glabra viridia, ſubtus glauca villis tenuiſſimis nitida.

Flores pedunculo inſident, ad apices ramulorum anni præcedentis, plurimi, ſquamis fuſcis conſtructi, filamentis & antheris flaveſcentibus.

γ. Videtur *Salix pumila, folio utrimque glabro.* Bauh. hiſt. 1. p. 217. b. *Dillenius.*

365. SALIX *foliis obſcure crenatis, utrimque villoſis, ovato-oblongis.* Tab. VIII. fig. ſ.

Salix caprea. Sp. pl. 1448.

Mas. Femina.

Salix latifolia rotunda. Bauh. pin. 474. Raj. ſyn. 449.

? *Salix latifolia inferne hirſuta.* Raj. hiſt. 1422.

Serg. Lapponibus.

α. In ſylvis & deſertis frequens eſt.

β. Non raro in magnam excreſcit arborem, cujus *Rami* novelli palleſcentes pubeſcunt.

Folia ex ovato utrimque leviter acuminata, ſuperius viridia, vixque notabiliter pubeſcentia, ſubtus lanugine tenuiſſima villoſa, pallide viridia. Margo foliorum, niſi ſumma adhibeatur attentio, vix manifeſtis crenis quibuſdam notatus conſpicitur, ſed clare a parte media inferiore undulatus.

γ. Novaccolæ ex cortice hujus arboris præparant coria ſua pro calceis, quemadmodum ruſtici in Suecia inferiore ex cortice Quercino eoſdem conficere conſueverunt.

366. SALIX *foliis integris utrimque hirſutis lanceolatis.* Tab. VIII. fig. t.

Salix lapponum. Sp. pl. 1447.

Mas. Femina.

? *Salix oblongo incano acuto folio.* Bauh. pin. 474.

? *Salix anguſtis & longiſſimis foliis criſpis, ſubtus albicantibus.* Raj. hiſt. 1423.

Salix

Salix alpina humilis, ſurculis & petiolis cum folii parte averſa candidis. Rudb. lap. 100.
Salix luſitanica, ſalviæ foliis auritis. Tournef. inſt. 592.

α. In ſylvis frequens, in omnibus Alpium convallibus nulla hac frequentior eſt.

β. *Frutex* eſt humanæ altitudinis.
Caulis glaber, pallidus, carneus vel rufeſcens, *Rami* novelli alba hirſutie obteguntur.
Folia alterna, lanceolata, ſecundum venas rugoſa, utrimque hirſuta, ſuperius e cinereo viridia ſeu viridia villis albis confertis adſperſa, ſubtus craſſiſſimo vellere albo tecta. Margo integer eſt, at non raro undulatus conſpicitur. Nervus longitudinalis foliorum ſæpe diſtinguit folium æqualiter, ſed ſæpius alterum latus anguſtius conſtituit.
Capſulæ alba craſſiſſimaque hirſutie tectæ ſunt.

γ. Hac Salice per æſtatem degentes in Alpibus ipſi Lappones ad focum excitandum alendumque perpetuo utuntur.

367. SALIX *foliis oblongis ſubtus villoſis, inferioribus crenatis, ſuperioribus integris.* Tab. VIII. fig. u.
Salix caprea β. Sp. pl. 1448, ſed ſpecies eſt a capreâ proculdubio diverſa, cujus definitionem vetat fructificationis in herbario Linnæano defectus. *J. E. Smith.*

Mas. Femina.

Salix, oleæ ſylveſtris folio, alpina. Rudb. lap. 99.

α. In ſylvis & Alpibus frequens etiam eſt hæc Salicis ſpecies.

β. *Frutex* anguſtus, non raro arboreſcens.
Rami novelli alba hirſutie velati conſpiciuntur.
Folia alterna, ſuperne leviſſime vel vix pubeſcentia nitida viridia, ſubtus pallidius viridia villis raris oblongis adſperſa.

Folia inferiora omnia obtusa, figura (Tab. VIII. u.) depicta gaudent, at levissime sunt serrata; *superiora* vero integerrima sunt, magis villosa, & ad figuram Tab. VIII. fig. n. proxime accedunt, sed angustiora.

γ. Figura u. designari existimo *Salicem humiliorem, foliis angustis subcæruleis ex adverso binis.* Raj. syn. 448. n. 11. quod si ita sit, minus bene pili versus inferiora figuræ picti sunt. *Dillenius.* Pili subtus adspersi, longi extra marginem basi ipsius folii proximum inferius prominent, ut vix nisi solis luci objectis foliis conspici queant serraturæ.

368. SALIX *foliis integris utrimque lanatis subrotundis acutis.* Tab. VIII. fig. x. & Tab. VII. fig. 7. *Salix lanata.* Sp. pl. 1446.

Mas. Femina.

α. Occurrit in Alpibus lapponicis copiose, in sylvis rarius & fere arborescit.

β. *Rami* undique hirsutie alba tecti sunt.

Folia subovata seu subrotunda, apice obtuse acuta; integerrima, alba longa ac laxa lana undique tecta, ut nullæ venæ conspici possint; hinc tota arbor alba & villosa apparet.

Amentacei flores duo communiter ad apices ramulorum anni præcedentis exeunt, & capsulæ glabræ sunt.

γ. Hæc designatur, puto, a Pluk. *Salix pumila groenlandica, folio magno Styracis aut potius Xylostei Dodonæi* mant. 165. quam refero ad *Salicem latifoliam rotundam* C. B. vel & ad *Salicem folio ex rotunditate acuminato.* C. B. existimo enim esse folia juniora, quæ magis incana & lanuginosa sunt, quam postea apparent, & istiusmodi folia, qualia transmisisti, sæpe observasse me memini verno tempore tam in hac, quam in illa. *Dillenius.* Meam tamen plantam non esse varietatem speciei alicujus alius Sali-

cis

cis lapponicæ, nec ullo modo convenire cum § 361. fig. n. pro certo ſtatuo.

369. SALIX *foliis integris utrimque villoſis verticaliter ovatis appendiculatis.* Tab. VIII. fig. y.
Salix aurita. Sp. pl. 1446.

Mas. Femina.

Salix folio rotundo minore. Dill. giſſ. 38. app. 37. Raj. ſyn. 450.

α. In deſertis Lapponiæ frequens eſt.

β. Sæpius adoleſcit in arborem tenuem flexilem.
Folia ovata ſunt, ſed verticaliter poſita, ſeu adfixa parte acuminata, alterna, conferta, petiolis breviſſimis appendiculatis inſidentia, ſecundum venas rugoſa, utrimque villoſa & viridia, inferne tamen pallidiora.
Flores flaveſcentes erumpunt e gemmis inferioribus, Rami autem e ſuperioribus.

γ. Recte nominata eſt, quamvis ego eam foliis rotundioribus plerumque obſervaverim. *Dillenius.*

370. SALIX *pentandra.* * Tab. VIII. fig. z. Sp. pl. 1442.

Mas. Femina.

Salix minima, flore elegante luteo. Boerh. lugdb. 2. p. 211.
Salix folio laureo ſeu lato glabro odorato. Raj. ſyn. 449.
Pihl. Suecis.

α. Ubique in ſylvis Lapponiæ frequentiſſima eſt.

β. *Frutex* eſt altus, longitudine ſæpe bis ſuperat altitudinem humanam, non raro arboris formam adſumit.
Caulis glaber, epidermide alba pellucida veſtitus, Ramuli ſummi rufeſcunt, inferiores palleſcunt.
Folia infima verticaliter ovata ſunt, quæ hæc excipiunt exacte ovata, ſuprema ovato-lanceolata, omnia

omnia utrimque glabra & nitida ex flavo viridia, per marginem subtilissime & obtuse serrata.

Florum spica solitaria e singula gemma rami praecedentis anni inferiore enascitur.

γ. Ab omnibus nobis notis Salicis speciebus differt numero staminum, quae in illis duo sunt, in hac communiter quinque, non raro quatuor vel sex interponuntur.

δ. Nondum mihi visa erat, quam vocari posse existimo *Salicem lapponicam lapotàbitae folio.* Japotabitam habet Marcgr. & Plumier. *Dillenius.*

370*. SALIX *foliis serratis glabris, floribus hermaphroditis diandris.*

Salix hermaphroditica. Sp. pl. 1442.

α. In Lapponia habitat; conf. Am. acad. v. 5. 217.

β. Affinis valde praecedenti. *J. E. Smith.*

371. VALLISNERIA.

Vallisneria spiralis. Sp. pl. 1441.

Mas.

Vallisneroides palustre, algae folio, Italicum, foliis in summitate tenuissime denticulatis, floribus albis vix conspicuis. Mich. gen. 13. t. 10.

Femina.

Vallisneria palustris, algae folio, Italica, foliis in summitate denticulatis, flore purpurascente. Mich. gen. 12. t. 10.

α. In Finmarkiae rivulis frequens est, florentem tamen nec ibi, nec Upsaliae hactenus observavimus.

TRI-

TRIANDRIA.

CARICIS *speciem* § 328. vide sub Monœcia Triandria.

TETRANDRIA.

372. HIPPOPHAE.
Hippophae Rhamnoides. Sp. pl. 1452.

Mas.

Rhamnoides florifera, salicis foliis. Tournef. cor. 53.

Femina.

Rhamnoides fructifera, foliis salicis, baccis aureis. Tournef. cor. 53.
Rhamnus salicis folio angusto, fructu flavescente. Bauh. pin. 477.
Rhamnus vel Oleaster germanicus. Bauh. hist. 1. p. 33. b.
Finbær. Alandis, id est, Baccæ Finnonum.

α. Intra limites Lapponiæ fruticem hunc non vidimus, sed in toto itinere per littora sinus Bothnici copiose.

β. A plerisque pinguntur spinæ foliis subjectæ, quod in frutice non obtinet, spinæ enim distincte per se occurrunt, tamquam ramuli.

γ. Baccæ sapore austero-vinoso gaudent, hinc conficiunt Piscatores sinum Bothnicum incolentes ex eis

Rob, quod piscibus recentibus additum, iis gratissimum conciliat saporem. Cumque piscatores hi communiter Finnones sint, nomen huic plantæ ab eis imposuere Alandi, apud quos præ reliquis copiose viget hæc planta.

δ. Rarioribus gaudet frutex hic spinis in Alandia, quam in Belgio.

373. MYRICA *foliis lanceolatis, fructu sicco.*
Myrica Gale. Sp. pl. 1453.

Mas.

Gale florifera. Vaill. par. 77.

Femina.

Gale fructifera. Vaill. par. 77.
Gale, frutex odoratus, septentrionalium. Bauh. hist. 1. p. 225. b. Dill. app. 154.
Chamelæagnus. Dod. pempt. 780. fig.
Rhus myrtifolia belgica. Bauh. pin. 414.
Myrica septentrionalium pumila palustris. Frank. spec. 34. Till. ab. 46.
Myrtus palustris seu Gagel. Rudb. cat. 29. hort. 77.
Lupulus salictarius. Lind. wiks. 22.
Thee Europæum aut nostras. Sim. Paull. monograph.
Pors. Suecis.

α. In paludibus Norlandiæ nulla hac vulgatior, in desertis lapponicis frequens est.

β. Floret primo vere & quidem dum folia erumpere incipiunt. Fructus est spica oblonga ex quinque seminum ordinibus composita & in singulo ordine quinque semina exhibens. *Semina* crassiuscula, subrotunda, angulata, acuminata, semitrifida, denticulo scilicet utrimque adfixo, coriacea, nucleum parvum includentia; semina deinde adspersa sunt punctis aureis resinosis.

γ. Quæro, numne ex hac camphora destillari posset? Odorem fere eundem & nescio quam similitudinem cum

cum camphora arbore habent omnes hujus generis species.

δ. Olim hujus plantæ foliis Cerevisiæ condiebantur per Sueciam, nunc autem post largiorem plantationem Humuli, ob cæphalalgias quas potantibus creat, præsertim minus cocta planta, exolevit, nec hodie nisi a pauperibus, in provinciis remotioribus, adhibetur. Lappones nostri nec Cerevisiam nec alios potus coctos curant, præferentes pellucidam & frigidissimam suam aquam, quæ ubique gratis prostat & sanitati magis conducit.

ε. *Sim. Paulli* omnino persuasus fuit hanc plantam ipsissimam fuisse *Thæam*, & proinde derisit Europæos, qui eam ex Indiis petiere; foliorum enim figuram coincidere, utramque plantam esse fruticem, sapore postquam semel infusa & exsiccata erat folia quodammodo congruere, & vires non differre dicebat. Attamen valde hallucinatus est.

ζ. *Myrica foliis lanceolatis fructu baccato.* * *Ambulon arbor* I. B. *Gale quæ myrto brabanticæ similis caroliniensis baccifera, fructu racemoso sessili monopyreno* Pluk. est omnino ejusdem generis cum nostra planta, licet hæc baccifera sit, & nostra non. Unde Ceram e baccis exprimere possunt Americani e sua, nos non item e nostra. Reliquæ partes fructificationis adeo conveniunt, imo totius plantæ, ut e foliis vix differentias eruere queam. Allata est hæc Americana in hortos Belgii, ut singulares ejus considerare possent baccas cera distentas, sed mares sunt omnes, quas heic vidi, hinc frustra exspectatur bacca.

η. Myricæ nomen antiquum (F. B. 241, 242.) longe præfero Gale, vocabulo belgico vel germanico (F. B. 229).

θ. Fructus est crusta coriacea tectus, ergo re vera bacca, baccæ dici debent pericarpia omnia coriacea, quæ non dehiscunt; ut Juglandis, Amygdali, Kiggelariæ, Rhois & Coriotragematodendrorum (hujus forte generis) fructus.

374. URTICA *foliis cordatis, amentis cylindraceis, ſexu diſtincta.*
Urtica dioica. Sp. pl. 1396.

Mas.

Urtica urens maxima ſterilis. Pont. anth. 210.

Femina.

Urtica urens maxima fertilis. Pont. anth. 210.
Urtica urens maxima. Bauh. pin. 232.
Urtica ſylveſtris major urens. Frank. ſpec. 31.
Urtica vulgaris major urens. Lind. wikſ. 40.
Urtica major urens. Till. ab. 65.
Beledeckſgraſe. Lapponibus.
α. Ad caſas Lapponum frequens eſt.

375. URTICA *foliis ovatis amentis cylindraceis.*
Urtica urens. Sp. pl. 1396.

Androgyna.

Urticoides urens. Pont. anth. 210.
Urtica urens minor. Bauh. pin. 232. Frank. ſpec. 30. Lind. wikſ. 41.
Urtica minor urens. Till. ab. 69.
α. *Urtica minor urens, foliis eleganter variegatis, caule intorto rubente.* Rudb. lap. 100.
β. In deſertis Lapponiæ rarius.
γ. Cl. *Pontedera* ab *urticis* ſexu diſtinctis ſeparat Androgynas, quæ ipſi dicuntur *Urticoides*; Cl. *Heiſterus* adhuc ab iis ſeparat non urentes, ſub nomine *Urticaſtri*: Ego & has & *Ceratoſpermum.* T. ad idem refero genus.
δ. Varietas non diſtincta ſpecies eſt illa Rudbeckiana (*α*).

PEN-

PENTANDRIA.

SALICIS *speciem* § 370. vide in Dioecia Diandria.

OCTANDRIA.

375*. POPULUS *foliis orbiculatis obtuse denticulatis.*

Populus tremula. Sp. pl. 1464.

Mas. Femina.

Populus tremula. Bauh. pin. 429.
Populus tremula nigra. Till. ab. 55.
Populus lybica tremula. Rudb. hort. 91.
Populus lybica. Frank. spec. 35.
Populus nigra tremula, folio rotundiore serrato, pedunculo longiore. Lind. wiks. 30.
Populus nigra, folio lato acuminato, pedunculo breviore crassiore. Lind. wiks. 30.
Sūpo s. *Suepp.* Lapponibus.

α. In sylvis Lapponiæ sat frequens.

β. Folia circa finem Augusti pallescunt flavescuntque, spirante hyemis primo Borea.

γ. Cortex exsiccatus conscissus minutim bobus a Novaccolis, tempore vernali deficiente fœno, exhibetur, quod longe præfero stercori equino, quod a Kemensibus sæpe Tornoæ emitur, aqua calida irro-

 ratur

ratur & pecoribus datur pabuli loco ; unde lac acquirit saporem nauseosum, consimilem illi qui a Boletis (518) autumnali tempore comestis oritur; nam qualis cibus talis chylus & humores inde secreti.

δ. Castores sat magna in copia profert Lapponia sylvestris, quorum cibus nequaquam pisces sunt, sed ex relatione incolarum & anatomica propria dissectione constitit esse corticem Pini sylvestris (346), Betulæ albæ (341), Sorbi Aucupariæ (200), & præcipuè hujusce Populi ; quæ si in magna copia prostet, ipsis majora nascuntur castorea & præstantiora. Cortex enim Populi odore proxime accedit ad Castoreum, & ejus extractum succedanei loco inservire possit deficiente Castoreo.

ε. Viliori longe pretio divenderetur Castoreum, ni ab ipsis Lapponibus & Finnis tanta in copia consumeretur. Hinc dicitur vulgo Fennones tria medicamenta heroica agnoscere, Castoreum, Fel Ursi, Spiritum frumenti, quod æque valet de Lapponibus, ac unquam Finnis.

ζ. Ceterum etiam apud innocentissimos Lappos innotuit pessimus mos pulvere Nicotianæ nares saturandi, ut nec vir nec femina nec puer nec anus sit, cui non in bursa adsit pyxis pro pulvere olfactorio tabaci, pro tabaco conscisso ad suffumigium, pro comminuto ad morsulas. Sed notes velim condimenta, non enim simplex pulvis Nicotianæ sternutatorius sufficet naso ditionum, sed pulvere Castorei saturatus erit, quo vehementius, gratius, salubrius spiret, licet nullam in Lapponiâ hystericam viderim ; hinc in loco natali venditur communiter integer folliculus Castorei tribus florenis, vel quod idem, unico rhenone. Hæc ex mis. Linn. *J. E. Smith.*

MONA-

MONADELPHIA.

376. JUNIPERUS *foliolis undique prominentibus pungentibus.*
Juniperus communis. Sp. pl. 1470.

Mas.

Juniperus. Tabern. hist. 3. p. 41.
Juniperus femina. Volk. norb. 234.
Juniperus palustris sterilis. Lind. wiks. 20.

Femina.

Juniperus baccifera. Tabern. hist. 3. p. 40.
Juniperus vulgaris fruticosa. Bauh. pin. 488.
Juniperus fructu nigro rotundo. Lind. wiks. 19.
Juniperus celsior arborescens, fructu subfusco oblongo. Lind. wiks. 19.
Juniperus. Frank. spec. 33. Rudb. cat. 22. hort. 59. Till. ab. 37.
Wachholder. Schell. botn. 30.
Gaskes. Lapponibus.

α. Tam in Alpibus, quam in sylvis occurrit, licet in Lapponia admodum parce.

β. Per Succiam crescit communiter in montibus, in Lapponia semper in paludibus.

γ. Statura Juniperi singularis est: In Lapponia ramos plures, e radice absque caudice arboreo, exserit sparsos, graciles, accumbentes & fere repentes. In Sueciæ plurimis locis autem crescit in magnam arborem. In quibusdam locis, curiosam adquirit figuram, alta evadit, angusta, ramis superne confertioribus, inferne exarescentibus, instar Cupressi

meta in faſtigium convoluta; ut Fettiæ in Uplandia, item ad furnum martis Eſbo in Roſlagia & in locis, in quibus mineræ repcriuntur, præſertim martiales, ut Norbergæ in Weſſmannia, &c.

δ. *Juniperus alpina, folio craſſiore latioreque.* Rudb. lap. 98. *Juniperus alpinus.* Cluſ. pan. 26. Bauh. hiſt. 3. p. 301. Scheuch. alp. 425. In Alpibus noſtris ſæpe obvia fuit, ſed baccæ exacte globoſæ fuere, nec oblongæ, ut ab authoribus deſcribuntur. Hæc eſt ſola varietas præcedentis.

ε. *Regionibus frigidis, in quibus nulla alia arbor valet ſubſtare, Juniperus familiaris eſt. Mundius* in Diætet. p. m. 354. dicit, id magis convenire Betulæ (§ 342.), Empetro (§ 379.), & Salici (§ 366.), quam Junipero (α), docet Lapponia.

ζ. Author idem (ε) egregius, loco citato, ſequentia etiam profert effata: *Lappæ, quibus natura pauca præter egeſtatem & patientiam conceſſit, potionem habent e baccis Juniperinis, quam ut Caffe aut Theam calidam ſumunt,* &c. quæ omnia etiam omnino erronea ſunt. Sueci enim in variis provinciis, præſertim ruſtici Cereviſiam e baccis Juniperi præſtantiſſimam, ſive ſpectes ſaporem, ſive vires diureticas & antiſcorbuticas, parare ſolent, quam, præſertim recentem, pro potu ordinario, non medicina, frigidam hauriunt, nec unquam calidam, uti Thea vel Coffea hauritur; hoc quidem potu magis grati ſaporis, quam egeſtatis cauſſa, imo & divites ſæpius delectantur; Lappones autem nec potum hunc artificialem curant, nec ob parcam copiam Juniperi habere poſſunt. Fateor deinde Lappones ſylvaticos non raro ſumma cum egeſtate luctare, contra vero alpinos, qui ſæpe mille rangiferos poſſident (quorum ſinguli vix minori, quam trium florenorum pretio divenduntur), eum ditiſſimis per Europam viris certaturos eoſque ſuperaturos crederem; invenies tum apud eos in ſumma copia caſeos, carnes, pelles, deinde colligere poſſunt pelles urſi, muſtelæ, gulonis,

gulonis, sciuri, castoris, &c. hæcque omnia finitimis divendere, nec opus habent, ut quidquam emant ab iisdem, nisi forte haustum spiritus frumenti, tabacum, vel tentorium. Hi vivere possunt absque sudore, absque cura, & facile adquirere omnia, quæ necessaria sunt, cum summa mentis tranquillitate. *Non qui multa possidet, sed qui paucis indiget, dives est.* Hinc si vel Crœsi thesauros ipsis offerres, cum splendidissimis aulis, nivosos suos montes commutare recusarent, & quidem nec hoc sine sufficienti ratione, bene enim qui latuit, bene vixit Lappo.

CLASSIS

CLASSIS XXIII.

POLYGAMIA.

MONOECIA.

377. ATRIPLEX *foliis ſagittato-lanceolatis.*
Atriplex patula. Sp. pl. 1494.
Atriplex ſylveſtris. Frank. ſpec. 5.
Atriplex anguſto oblongo folio. Bauh. pin. 119.
Atriplex repens. Rudb. hort. 13. Brom. goth. 10.
α. *Atriplex ſylveſtris, folio haſtato ſeu deltoide.* Mor. blæſ. 26. Celſ. upſ. 11.
Atriplex haſtata. Sp. pl. 1494.
β. In agris Novaccolarum ſeminibus allata rarius.
γ. Singulare eſt plantarum genus, in una eademque planta alii flores hermaphroditi, alii feminini, & hi figura inter ſe diverſi, & ſeminibus ambo fœcundi diverſæ figuræ, at ab utriſque eadem pronaſcitur planta! Singulare eſt, quod ſi flores femininos auferas, planta poſthac non erit Atriplex, ſed exacte Chenopodium.

DIOECIA.

378. RHODIOLA.

Hermaphrodita masculina.
Femina.

Rhodiola Rosea. Sp. pl. 1465.
Rhodia radix. Bauh. pin. 286. Dod. pempt. 347. Rudb. hort. 97.
Rosea. Rupp. jen. 1. p. 80.
Anacampseros, radice rosam spirante, major. Tournef. inst. 264. Scheuch. alp. 329. 424.
Telephium luteum minus, radice rosam redolente. Moris. hist. 3. p. 468. s. 12. t. 10. f. 8.

α. Ubique in Alpium summis jugis, immensa in copia, prostat gratis, exacte tantis viribus referta, ac Italica.

β. Curiosa est hic sexus consideratio. Matrimonia in altera planta constant appropriatis maritis & uxoribus, thalamo impositis splendido, aulæo luteo & quinquepartito, sed steriles sunt hæ baræ. In altera autem planta matrimonia thalamos nudos, aulæis destitutos exhibent, atque in iisdem feminas quinque maritis orbatas deprehendis. Hæ Hagares concipiunt e maritis legitimarum & sterilium uxorum, familiamque propagant.

γ. Feminam secum duxit Nob. Rudbeck in hortum Upsaliensem, quæ omni anno obtulit suas flammas, cum autem nullus maritus adesset, in cassum furiit, ova interdum parva deposuit, sed subventanea.

δ. Radicis aqua destillata odore saporeque aquam rosarum refert. *Barth. act. dan.* 1. *p.* 88.

GNAPHALII *speciem* § 302. vide in Syngenesia polygamiæ superfluæ.

TRI-

TRIOECIA.

379. EMPETRUM.

Mas. Femina. Androgynum. Hermaphroditum.

Empetrum nigrum. Sp. pl. 1450.
Empetrum montanum, fructu nigro. Tournef. inſt. 579.
Cammarinna ſeptentrionalis ſupina. Petiv. muſ. 72.
Chamætaxus. Scheff. lap. 359.
Erica baccifera procumbens nigra. Bauh. pin. 486. Scheuch. alp. 334.
Erica baccifera tenuifolia. Frank. ſpec. 33. Rudb. it. 11.
Erica baccifera latifolia. Rudb. it. 11.
Erica baccifera. Cluſ. pan. 29. Till. ab. 26. Lind. wikſ. 12.

α. In deſertis arenoſis ſicciſſimis, nec non in paludibus humidis muſcoſis ſæpius occurrit, in Alpibus omnium frequentiſſimum eſt.

β. Alpes Dalekarlicas tegunt fere quatuor plantæ; hæc ſcilicet, Betula (342) & duæ Lichenis ſpecies, quæ in Lapponiæ Alpibus in minori copia proſtant.

γ. Ad fodinam cupri Fahlunenſem, vix ulla planta per aliquod ab ea remotum ſpatium vivere poteſt, ob fumi ſulphurei devaſtationem, hinc terra nuda jacet, hæc autem planta fere ſola perferre videtur & fumum ſulphuris & frigus.

δ. Planta hæc omnes leges ſexus eludit, numerum maritorum & feminarum tamen ſancte ſervat, ita ut aliam videas plantam marem, aliam androgynam, aliam hermaphroditam.

ε. Baccæ

ε. Baccæ hujus atræ, licet venenatæ dicantur & re ipſa cæphalalgias creent, copioſius adſumptæ, expertus loquor, Kappatiàlmas (§ 143. δ) tamen ingrediuntur apud Lappos, apud quos uvæ Corinthiacæ in uſu non ſunt.

CORISPERMI *ſpeciem* § 2. vide in Monandria Digynia.

CLASSIS

CLASSIS XXIV.

CRYPTOGAMIA.

FILICES.

380. ACROSTICUM *folio lineari laciniato.*
Acroſticum ſeptentrionale. Sp. pl. 1524.
Acroſticon parvum ſeptentrionale. Petiv. cent. 742.
Filicula ſaxatilis corniculata. Tournef. inſt. 542.
Filix ſaxatilis cornicul ta. Bauh. pin. 358.
α. In Finmarkiæ parte, in infimis lateribus Alpium Lapponiæ Norvegicæ, rarius viſa eſt.

381. POLYPODIUM *pinnatum, pinnis lanceolatis integris.*
Polypodium vulgare. Sp. pl. 1544. Bauh. pin. 359. Lind. wikſ. 30.
Polypodium. Rudb. hort. 91. Till. ab. 54. ic. 79.
α. In monte præerupto Lapponiæ Lulenſis Kiurivari & aliis parcius.

381*. POLYPODIUM *pinnatum; pinnis lunulatis ciliato-ſerratis declinatis, ſtipitibus ſtrigoſis.*

Poly-

Polypodium Lonchitis. Sp. pl. 1548. Oed. dan. t. 497.
α. Paſſim legitur in ſubalpinis Finmarkiæ. *Oeder.*

382. POLYPODIUM *pinnatum, pinnis lanceolatis pinnatifidis integris, inferioribus nutantibus.*
Polypodium Phegopteris. Sp. pl. 1550.
Filix minor britannica, pediculo pallidiore, alis inferioribus deorſum ſpectantibus. Moriſ. hiſt. 3. p. 575. ſ. 14. t. 4. f. 17. bona.
α. Cum antecedenti, (381.) rarius licet, obvia fuit.

383. POLYPODIUM *duplicato-pinnatum pinnulis obtuſis remotis, ſubtus villoſum.*
Acroſtichum Ilvenſe. Sp. pl. 1528.
Filicula alpina tenerior, alis latiuſculis brevioribus integris profunde dentatis. Moriſ. hiſt. 3. p. 576. ſ. 14. t. 3. f. 23.
Filix arborea. Pluk. phyt. 179. f. 4.
α. In Alpibus rarius inter rupes.

384. POLYPODIUM *duplicato-pinnatum, pinnis remotis, pinnulis ſubrotundis inciſis.*
Polypodium fragile. Sp. pl. 1553.
Filix ſaxatilis, caule tenui fragili. Pluk. phyt. 180. f. 5.
Filix ſaxatilis non ramoſa, nigris maculis punctata. Bauh. pin. 358.
α. In Lapponia ſylveſtri & ad latera Alpium frequens.

385. POLYPODIUM *duplicato-pinnatum, pinnulis obtuſis crenulatis.*
Polypodium Filix mas. Sp. pl. 1551.
Filix non ramoſa dentata. Bauh. pin. 358.
Filix mas. Rudb. hort. 43. Till. ab. 28.
Filix paluſtris maxima dentata. Lind. wikſ. 13.
α. Ad rivulos in deſertis lapponicis & ad latera Alpium copioſe.

386. POLY-

386. POLYPODIUM *duplicato-pinnatum; pinnulis lanceolatis acutis pinnatifidis.*
Polypodium Filix fœmina. Sp. pl. 1551.
Filix mollis seu glabra vulgari mari non ramosæ accedens. Bauh. hist. 3. p. 730.
Filix mas non ramosa, pinnulis angustis raris profunde dentatis. Raj. syn. 121.
Filix palustris subfusco pulvere hirsuta. Lind. wiks. 13.
α. Cum antecedenti sæpius.

387. POLYPODIUM *trifidum; ramis pinnatis: pinnis pinnatifidis.*
Polypodium Dryopteris. Sp. pl. 1555.
Dryopteris. Dill. giss. 103.
Filix ramosa minor, pinnulis dentatis. Bauh. pin. 358.
Filix pumila saxatilis I. Clus. pan. 704.
α. In monte Kiurivari prope venam plumbiferam & alibi.

388. ASPLENIUM *pinnatum; pinnis subrotundis crenatis.*
Asplenium Trichomanes. Sp. pl. 1540.
Trichomanes sive polytrichum officinarum. Bauh. pin. 356.
Trichomanes. Till. ab. 66. ic. 77.
α. In monte Kiurivari Lapponiæ Lulensis in parœcia Quickjock, & alibi.

389. OSMUNDA *folio pinnatifido; pinnis lunulatis.*
Osmunda Lunaria. Sp. pl. 1519.
Osmunda foliis lunatis. Tournef. inst. 547. Scheuch. alp. 46.
Lunaria racemosa minor vel vulgaris. Bauh. pin. 354.
α. In Lapponiæ Lulensis sylvis præ reliquis occurrit.

389*. OSMUNDA *frondibus pinnatis: pinnis pinnatifidis, ſcapo fructificante diſticho.*
Oſmunda Struthiopteris. Sp. pl. 1522. Gunn. norv. 1. t. 1. f. 1.
Cheek. Finnis.
α. In Lapponia Norvegica. *Gunner.*

389**. OSMUNDA *frondibus ſupradecompoſitis, pinnis alternis ſubrotundis inciſis.*
Oſmunda criſpa. Sp. pl. 1522.
α. In Lapponiâ Tornoenſi invenit D. Liljeblad A. M. anno 1788. *Swartz. act. holm.* 1789. *p.* 128.
β. Pteridis ſpecies procul dubio eſt, omnino quamvis diverſa a Pt. heterophylla. *J. E. Smith.*

390. EQUISETUM *arvenſe.* † Sp. pl. 1516.
Equiſetum arvenſe, longioribus ſetis. Bauh. pin. 16. Rudb. elyſ. 1. p. 127. f. 9.
Equiſetum arvenſe minus repens. Brom. goth. 26.
Equiſetum arvenſe, ſetis longioribus. Lind. wikſ. 12.
Equiſetum repens. Lind. wikſ. 12.
α. Ubique in campis & in convallibus lepide ſylvam abietinam in parvo compendio repræſentat.
β. In hac caulis floris, peracta fructificatione, marceſcit, nec ramulos exſerit ullos, in aliis vero caules ramoſi, ſed floribus deſtituti, excreſcunt emarcidis prioribus.

391. EQUISETUM *ſylvaticum.* † Sp. pl. 1516.
Equiſetum ſylvaticum, tenuiſſimis ſetis. Bauh. pin. 16. Rudb. elyſ. 1. p. 124. f. 9.
Equiſetum ſylveſtre, foliis tenuibus. Lind. wikſ. 12.
α. In ſylvis copioſe.

392. EQUISETUM *paluſtre.* † Sp. pl. 1516.
Equiſetum paluſtre, brevioribus ſetis. Bauh. pin. 15. Rudb. elyſ. 1. p. 122. f. 3.

Equisetum palustre minus. Lind. wiks. 11.
α. In subhumidis sæpe.

393. EQUISETUM *fluviatile.* † Sp. pl. 1517.
Equisetum palustre, longioribus setis. Bauh. pin. 15. Rudb. elys. 1. p. 122. f. 2.
Equisetum majus aquaticum. Lind. wiks. 11.
Equisetum nudum. Lind. wiks. 11.
Aske Lappis. *Fræken* Suecis.
α. Ad ripas lacuum & fluviorum passim copiosissime.
β. Rangiferi, Lapponum pecora, fœnum per hyemem non adsumunt facile, hinc Lappo noctes diesque eos per sylvas ducere tenetur. Obtuli circa autumnum redeuntibus ex longo itinere Rangiferis fasciculum fœni, & observavi eos hanc plantam seligere & adsumere, reliqua fere intacta relinquere. Annon itaque hocce Equisetum majorem œconomiæ lapponicæ usum adferre posset, incolis judicandum relinquo.

394. EQUISETUM *hyemale.* † Sp. pl. 1517.
Equisetum foliis nudum, non ramosum sive junceum. Bauh. pin. 16. Rudb. elys. 1. p. 124. f. 10.
Equisetum sylvestre nudum. Lind. wiks. 12.
α. Juxta ripas fluvii Juktan in Lapponia Lulensi & alibi.
β. Tota planta perennis est, caulis sine ramis ad radicem utrimque stolonem exserit.

M U S C I.

395. POLYTRICHUM *caule simplici.* *
Polytrichum commune. Sp. pl. 1573.

Mas.

Mas. (Fem. potius. *J. E. Smith.*)

Polytrichum vulgare & majus, capsula quadrangulari. Dill. giff. 221.
Polytrichum aureum majus. Bauh. pin. 356.
Polytrichum aureum medium. Bauh. pin. 356.
Muscus juniperi foliis, capitulo quadrangulari. Vaill. par. 131.
Muscus capillaceus major, pediculo & capitulo crassioribus. Buxb. cent. 1. p. 41. t. 62. f. 4.
Adiantum aureum majus. Rudb. hort. 3. Brom. goth. 2. Lind. wikf. 1.
Adiantum aureum minus. Lind. wikf. 2.
Adiantum aureum. Till. ab. 2.

Femina. (Mas potius. *J. E. Smith.*)

Muscus capillaceus stellaris prolifer. Tournef. inst. 551.
Muscus, juniperi folio, roseus prolifer. Vaill. par. 131. t. 23. f. 7.
Muscus capillaceus major stellatus. Tournef. inst. 551.
Romsi. Lapponibus.
Biœrn mossa Suecis. Muscus Ursinus.

α. Frequentissimus est Muscus per totam Lapponiam.

β. Variat immense, quoad magnitudinem, utpote quod in arenosis & siccis vix pollicis transversi altitudinem attingit, in succosis umbrosis ac sylvosis sæpe pedale evadit; ex hisce vero diversas constituit species Botanicorum vulgus.

γ. Hic in diversa planta absque ullo remanente dubio spectare licet sexum separatum, cum aliæ plantæ ex apice pedunculos longos proferant capitula sustinentes, aliæ vero terminentur in stellulas imbricatas purpureas; has feminas diximus, illas vero mares, secuti Cl. Dillenium, qui pulverem in capitulis istarum contentum pro farina genitali habuit, non omne tamen nobis exemit dubium, ob prægnantes rationes a priori petitas. Alteram esse ma-

 rem,

rem, alteram vero plantam feminam, certum videtur. Flores masculinos & femininos, eodem tempore, in eadem specie florere, in omni vegetabili obtinet; quod si non fieret, neque fœcundatio succederet, neque proles produceretur. Fructus (ut proles) est effectus floris (ut copulæ); hinc cum capitula ista longe serius ejiciant suam farinam genitalem putatam, quam flores isti stellati durant, videtur pulvis iste effectus esse, non caussa; ergo fructus, non flos. Sed hæc solum a priori dicimus.

δ. *Lectus* noster apud Novaccolas in Lapponia constabat pellibus leporinis absque ullis pulvinaribus, apud Lappones vero ipsos solis pellibus rangiferinis, in desertis autem e ramis frondosis Betulæ (§ 342). In itinere per fluvios extrahebatur circa vesperam scapha, qua vehebar, in terram continentem, quæ obvertebatur, ut sub ea, instar Diogenis, quiete dormirem defensus a pulicibus & pluviis, nescius naturæ placuisse stragula ibi, in alio quam in volatilium dorso, quærere, quæ tandem & e terra crescere in densissimo deserto a Lapponibus didici. Muscum enim hunc, quem feminam dixi, quærunt Lappones, formam quadratam trium ulnarum in latitudine & totidem in longitudine acie cultri circumscribunt, quo facto levi manu alterum angulum a terra separant elevantque, mox tunicæ instar tenacis extrahunt totum hocce circumscriptum spatium, solutum quatiunt, ut si quæ folia aciformia adsint, vel terra adhæreat, expellantur; quo facto mox alterum exacte priori respondens, eadem methodo, sibi comparant; deinde expanditur altera hæc muscosa tunica sursum verso musco supra terram, cui incumbit lassum corpus, alteram verso deorsum musco sibimet imponunt, ut ramuli omnes corpus respiciant. Mollissimus est hic lectus cujus stragula undique ambiunt corpus & ad illud sese ubique applicant; calidissimus deinde est, & virentis vegetabilis grati odoris, nec pediculos, pulices, cimices,

cimices, ſcabiem, luem, aliudque contagium innocenti corpori adfert, nec plumulis undique obvolitantibus irreſolubilibuſque, cum inſpiratione, pulmones infarcit phthiſinve generat, ſed laſſum corpus molli grataque requie reficit. Hunc lectum itaque ſi non delicatulis aulicis audeam præſcribere, certe duris Martis filiis, quos ſæpe oportet in ſylvis caſtra ſua ponere, hic meus lectus conveniet optime. Evitant Lappones muſcum marem, ne capitulis ſuis pedunculatis titillationem ipſis creet moleſtam, dum linteis carent, ſomnumque eorum turbet. Quæſivi me ſæpius quiſnam Lappones hunc muſci uſum docuerit primus, cum paucis, imo pauciſſimis Botanicis conſtet Muſcum hunc caule ſimplicem, radicibus adeo intertextum & implicatum eſſe, ut vix ſeparari queat, nec alium excogitare potui, quam Lapponum conterraneum Urſum, qui dum longiſſimam ſuam hybernam noctem cimmeriis tenebris involutam dormire debet more Erinacei, Melis & Veſpertilionis, hunc muſcum in vaſta copia colligit, inque eo ſecurus ſine epulis & poculis per dimidium & ultra, annum quieſcit, unde aliquando, ut opinor, aliquis Lappo, qui caſam noctu frigida attingere non potuit, urſi conſilium capturus percepit radices cohærere.

ε. Polytrichum hocce, ut gratum laſſo per deſerta Lapponiæ peregrinatori, ita ruſtico ſeptentrionis noſtri infenſiſſimum & abominabile, utpote quod paſcua ejus lætiſſima integra deſtruit. Prata fertiliſſima apud nos ſunt, quæ terram, ex humo vegetabili, mixtam cum arena & pauca quantitate argillæ pro matre agnoſcunt, ſita in loco declivi & in convallibus. In his facillime luxuriat hic muſcus in tophos & turſas cumulatus, ſterilis, reliqua vegetabilia opprimens, ut ad Nerpis præſertim, in Oſtrobothnia videre licuit triſtiſſimo exemplo. Diſſecui talem turſam ſeu terræ verrucam perpendiculariter in duas partes & vidi eandem ad centrum

 radicis

radicis ſemper cavam, hinc auguror terram hyemali tempore a gelu conſtrictam in rimas frangi, unde elevantur radices plantarum (ut etiam in hortis non raro tempore vernali videre eſt) quæ quaſi ſupra terram poſitæ, gelu hyemali, tandem ſicco aeri vernali, demum calido æſtivo expoſitæ, deſtruuntur, relicto commodo loco huic muſco, ut læte creſcat. Si quis huic malo medicinam minus laborioſam vel ſua operatione non pretioſam admodum detegeret, ſummopere ſibi gratos incolarum devinciret animos.

396. BRYUM *caule erecto, ramis lateralibus brevibus fertilibus.*
Bryum hypnoides. Sp. pl. 1584.
Bryum hypnoides, capitulis plurimis erectis, lanuginoſum. Raj. ſyn. 97.
Muſcus terreſtris vulgari ſimilis lanuginoſus. Moriſ. hiſt. 3. p. 625. ſ. 15. t. 5. f. 7.
Muſcus alpinus ramoſior erectus, flagellis brevioribus lanuginoſis. Pluk. alm. 255. phyt. 47. f. 5.
α. Occurrit communiter in Alpibus noſtris, altis rupibus innatum.

397. BRYUM *caule erecto, foliis reflexis ſeta terminatis, capitulis falcatis.*
Bryum rurale. Sp. pl. 1581.
Bryum erectis falcatis capitulis, trichodes, foliis latiuſculis extantibus, in pilum caneſcentem deſinentibus. Dill. giſſ. 224. Raj. ſyn. 94.
Muſcus capillaris tectorum, denſis ceſpitibus naſcens, capitulis oblongis, foliis in pilum longum deſinentibus. Raj. hiſt. 3. p. 34. Vaill. par. 133. t. 25. f. 3.
Muſcus erectus hirſutus, capitulis oblongis acutis, unguiculis avicularum ſimilibus, vulgatiſſimus. Moriſ. hiſt. 3. p. 628. ſ. 15. t. 6. f. 1.
α. In ſylvis rarius conſpicitur hic Muſcus.

398. BRYUM

398. BRYUM *caule inclinato, foliis arrectis subulatis, capitulis erectiusculis.*

Bryum scoparium. Sp. pl. 1582.

Bryum, erectis capitulis, angustifolium, caule reclinato. Dill. giss. 222. Raj. syn. 95.

Muscus coronatus medius, foliis tenuissimis pallidis longioribus, capitulis erectis acutis. Moris. hist. 3. p. 630. s. 15. t. 7. f. 11.

Muscus coronatus humilis, corniculis longissimis & acutissimis. Moris. hist. 3. p. 631. s. 15. t. 7. f. 13.

Muscus capillaceus, foliis pallidis, pediculis pluribus e communi theca egredientibus. Buxb. cent. 2. p. 8. t. 4. f. 1.

Muscus capillaceus major, pediculo & capitulo tenuioribus. Tournef. inst. 551. Vaill. par. 132. t. 28. f. 12.

α. In desertis sæpius crescit in tophos crassos & per æstatem flavos.

β. Hujus speciei singulare admodum specimen habui in itinere Reuterholmiano per Dalekarliam ad pagum Heden, ubi admodum cauliculis multiplicatum & longum compactissimumque excrevit in magnitudinem nidi Sciuri, & exacte representabat figura ac magnitudine cranium humanum musco obductum.

398*. BRYUM *capsulis erectis ovalibus, pedunculis brevissimis lateralibus, foliis setaceis subsecundis.*

Bryum laterale. Huds. angl. 483. Swartz. nov. act. ups. v. 4. 241.

α. In subhumidis alpinis Lapponiæ legit Swartz.

399. BRYUM *caule adscendente, foliis ovato-oblongis patulis pellucidis.*

Mnium serpyllifolium δ (*undulatum*). Sp. pl. 1578.

Bryum nitidum, foliis oblongis undatis, capitulis cernuis,

mis, arbuſculam referens. Dill. giſſ. 227. Raj. ſyn. 103.
Muſcus polygoni folio. Tournef. inſt. t. 326. f. E. Vaill. par. t. 24. f. 3.
α. Creſcit in pratis Novaccolarum ſubhumidis inter lapides.

400. BRYUM *caule erecto, foliis ſetaceis, capitulis globoſis.*
Bryum pomiforme. Sp. pl. 1580.
Bryum trichoides vireſcens, erectis majuſculis capitulis maliformibus. Dill. giſſ. 224. Raj. ſyn. 97.
Muſcus trichoides minimus ſericeus capillaceus, capitulis ſphæricis. Moriſ. hiſt. 3. p. 628. f. 15. t. 6. f. 6. Vaill. par. 129. t. 24. f. 9. & 12.
α. Crevit copioſe plurimis in locis Alpium noſtrarum, nullibi tamen per totum iter in copia hoc obſervavimus, quam ad cataractam fluvii Dalekarlici Elfcarleby.
β. Color foliorum hujus muſci, præſertim poſt exſiccationem, viride æris refert.

401. BRYUM *foliis ſetaceis, pedunculo reflexo, capitulis ſubrotundis.*
Bryum pulvinatum. Sp. pl. 1586.
Bryum trichoides hirſutie caneſcens, capitulis ſubrotundis reflexis, in perbrevibus pediculis. Dill. giſſ. 226. Raj. ſyn. 100.
Muſcus trichoides hirſutus, capitulis oblongis reflexis pediculis brevibus inſidentibus. D. Doody. Moriſ. hiſt. 3. p. 629. f. 15. t. 6. f. 21. Raj. hiſt. 3. p. 38.
Muſcus capillaceus lanuginoſus minimus. Tournef. inſt. 552. Vaill. par. 133. t. 29. f. 2.
α. Hinc inde in ſylvis obvium eſt.

401*. BRYUM *capſulis pendulis oblongis obliquis incurvis, foliis lanceolatis acutis carinatis.*

Bryum

Bryum fericium. Hudf. angl. 487.
Bryum virens. Swartz. nov. act. upf. v. 4. 241.
α. In fylvis Lapponiæ legit Swartz.

402. BRYUM *foliis fubulatis, pedunculo longiffimo, capitulo reflexo.*
Bryum cæfpititium. Sp. pl. 1586.
Bryum trichoides, capitulis reflexis, pediculis ima medietate rubris, fumma luteo virentibus. Dill. giff. 226. Raj. fyn. 100.
Mufcus trichoides, capitulo parvo reflexo, pediculo ima medietate rubro, fumma luteo viridi. Morif. hift. 3. p. 629. f. 15. t. 6. f. 15.
Mufcus capillaceus minimus, capitulo nutante, pediculo purpureo. Vaill. par. 134. t. 29. f. 7.
α. Ubique in fylvis commune eft.
β. Datur & hujus varietas caule & foliis omnino fanguineo colore tinctis, & hæc communiter fterilis eft.
γ. Nobiliff. Carolus De Geer obfervavit, quod fi pedunculus exaridus vel exficcatus aquâ inferne irroretur, tum retorquetur, fin fuperne, contorquetur potius, quod fingulare admodum.

403. BRYUM *caule erecto ramofo, foliis ovatis undique imbricatis.*
Hypnum illecebrum. Sp. pl. 1594.
Mufcus americanus aureus, foliis cupreffi. Petiv. muf. 273. p. 27.
α. Crevit in fylvis variis in locis.
β. Capitula non vidi, hinc fere incertus hæreo, utrum ad Brya an vero ad Hypna amandari debeat.
γ. Eft mufcus pollicis tranfverfi altitudinis, fere erectus, interdum vero ad bafin decumbens, qui verfus fummitatem utrimque ramulum communiter exferit ipfo caule interjecto breviorem. *Folia* ovata funt, obtufa, fere pellucida, denfiffime imbricata (hinc

(hinc rami & caulis denſus & craſſus conſpicitur), colore pallide flaveſcentia.

δ. Eundem cum Petiveriano eſſe muſcum hunc in phytophylacio Sherardiano Oxoniis colligere licuit.

ε. Videtur, quantum ex figura percipio, proxime accedere ad Hypnum iſtud, quod Vaill. par. tab. xxv. fig. 7. exhibet, at noſtrum majus eſt, craſſius, foliis confertis magis & verſus ſummitatem ramoſum, ſimulque ramis & foliis obtuſioribus conſpicuum.

404. BRYUM *caule procumbente, foliis alternis ovatis pellucidis.*

Mnium ſerpyllifolium α (punctatum). Sp. pl. 1577.

Bryum nitidum, foliis ſerpilli pellucidis ſubrotundis, elatius. Dill. giſſ. 228.

Bryum nitidum, ſerpilli rotundis & minoribus pellucidis foliis, majus. Raj. ſyn. 102.

Bryum nitidum, ſerpilli rotundis & minoribus pellucidis foliis, minus. Raj. ſyn. 103.

Muſcus polytrichoides paluſtris major, ſerpilli latioris folio pellucido. Moriſ. hiſt. 3. p. 627. ſ. 15. t. 6. f. 39.

Muſcus trichomanis facie, foliis utrimque ſplendentibus rotundis. Moriſ. hiſt. 3. p. 627. ſ. 15. t. 6. f. 41.

Muſcus polytrichoides humilior, alternis foliis pellucidis ſubrotundis. Moriſ. hiſt. 3. p. 627. ſ. 15. t. 6. f. 40.

Muſcus polytrichoides humilior, foliis latis ſubrotundis. Pluk. alm. 247. phyt. 45. f. 7.

α. Creſcit in ſpongioſis, ſubhumidis vel umbroſis locis inter graminum radices.

β. Varietates iſtas, limites cum non habeant, conjungo.

405. HYPNUM *ramis proliferis, plano-pinnatis.*

Hypnum proliferum. Sp. pl. 1590.

Hypnum

Hypnum repens filicinum veluti spicatum. Dill. giss. 217. Raj. syn. 86.
Muscus filicinus major. Bauh. pin. 360. Vaill. par. 140. t. 25. f. 1. Buxb. cent. 2. p. 2. t. 1. f. 2.
α. Vulgatissimum est in sylvis Lapponiæ, & in inferiore Suecia, ubi prata ficciora tota devastat & occupat.

405*. HYPNUM *surculis subproliferis plano-pinnatis cuspidatis, pedunculis aggregatis.*
Hypnum delicatulum. Sp. pl. 1590.
α. In Lapponia frequens. *Fl. suec.* 1019.

406. HYPNUM *ramis plano-pinnatis continuatæ serie extensis.*
Hypnum parietinum. Sp. pl. 1590.
Hypnum repens filicifolium ramosum, ramulis appressis & magis complanatis. Dill. giss. 218. Raj. syn. 87.
Muscus filicinus major flavescens ramosus. Vaill. par. 140. t. 28. f. 1 ?
Muscus vulgaris pennatus major. Bauh. pin. 360.
α. Crescit copiose in sylvis mixtum antecedenti.

407. HYPNUM *ramulis plano-pinnatis, pinnis contiguis, apicibus deflexis.*
Hypnum Crista castrensis. Sp. pl. 1591.
Hypnum repens veluti compressum plumam luteo argenteam repræsentans. Cels. ups. 26.
Muscus pennatus major, cauliculis ramosis, in summitate veluti spicatus. Gottsch. pruss. 167. f. 42.
Muscus terrestris repens subflavus, foliis crispis minoribus, ramulisque densius confertis. Vaill. par. 141. t. 27. f. 14.
α. Crescit juxta lapides in desertis nemorosis egregius hic muscus, pennæ instar sericæ nitens.

408. HYPNUM *ramulis pinnatis teretiusculis remotis inæqualibus.*

Hypnum abietinum. Sp. pl. 1591.
Muſcus pennatus minor, cauliculis ramoſis, in ſummitate veluti ſpicatus. Gottſch. pruſſ. 167. fig. 43.
Muſcus paluſtris abietinus. Vaill. par. t. 23. f. 12.
Muſcus paluſtris, foliis & flagellis rigidiuſculis, ſeminibus in foliorum alis. Vaill. par. 141. t. 29. f. 12.
α. In deſertis ſubhumidis ad radices arborum.
β. Hunc a priori muſco omnino diſtinguo, nec ullo modo cum eo conjungi poteſt.

409. HYPNUM *ramis inæqualibus, foliis laxe imbricatis triangularibus acutis.*
Hypnum triquetrum. Sp. pl. 1589.
Hypnum repens, triangularibus majoribus & pallidioribus foliis. Dill. giſſ. 219. Raj. ſyn. 80.
α. *Hypnum repens, triangularibus anguſtioribus (potius minoribus) foliis.* Raj. ſyn. 80.
Muſco denticulato ſimilis. Bauh. pin. 360.
β *Hypnum repens, triangularibus minoribus foliis, pediculis & capitulis brevioribus & tumidioribus, minus.* Raj. ſyn. 80.
γ. *Hypnum ramoſum fluitans pennatum.* Raj. ſyn. 81.
Muſcus denticulatus lucens fluviatilis maximus, ad ramulorum apices adianti capitulis ornatus. Moriſ. hiſt. 3. p. 626. ſ. 15. t. 6. f. 33.
δ. Hi muſci ubique in ſylvis proſtant, eoſque non ſpecie, ſed ſolo loco, indeque producta varietate differre puto. Ultimus (γ) in foſſis, in magnam ſæpe molem excreſcit, & ſub aquis fere ſubmergitur.

409*. HYPNUM *ramulis approximatis brevibus, foliis planis recurvatis.*
Hypnum Halleri. Swartz. nov. act. upſ. v. 4. 242.
α. In alpibus Lapponiæ invenit Swartz.

410. HYPNUM *ramis inæqualibus ſparſis, foliis ovatis imbricatis, capitulis obliquis.*

Hypnum

Hypnum purum. Sp. pl. 1594.
Hypnum terrestre erectum, ramulis teretibus, foliis inter rotunda & acuta medio modo se habentibus. Dill. giss. 220. Raj. syn. 81.
Muscus squamosus cupressiformis. Tournef. inst. 554. Vaill. par. 138. t. 28. f. 3.
α In sylvis & pratis Novaccolarum passim legitur.

411. HYPNUM *caule erecto, superne undique ramoso.*
Hypnum dendroides. Sp. pl. 1593.
Hypnum palustre erectum arbusculam referens, ramulis subrotundis. Dill. giss. 220. Raj. syn. 81.
Muscus dendroides sylvarum erectus, ramulis Kali æmulis, radice repente. Moris. hist. 3. p. 626. s. 15. t. 5. f. 30.
α. *Hypnum erectum arbusculam referens, ramulis subrotundis confertim nascentibus.* Raj. syn. 81.
Muscus squamosus ramosus erectus alopecuroides. Tournef. inst. t. 326. f. B. Vaill. par. t. 26. f. 6.
Muscus dendroides elatior, ramulis crebris, minus surculosis, capitulis pediculis brevibus insidentibus. Moris. hist. 3. p. 626. s. 15. t. 5. f. 31.
β. In subhumidis rarior est muscus.

412. HYPNUM *caule repente, ramis confertis erectis, foliis subulatis, capitulis erectis.*
Hypnum sericeum. Sp. pl. 1595.
Hypnum repens trichoides terrestre luteo-virens vulgare majus, capitulis erectis. Dill. giss. 215. Raj. syn. 84.
Muscus arboreus splendens sericeus. Vaill. par. t. 27. f. 3.
α. Truncis arborum semiputridis arcte adnatus, ut vix integer excerpi queat, in sylvis frequenter reperitur.

412*. MNIUM *foliis capillaceis, capsulis erectiusculis oblongis, operculo conico.*

Mnium

Mnium capillaceum. Swartz. nov. act. upf. v. 4. 241.
α. In Lapponiæ aridis. *Swartz.*

413. MNIUM *caule dichotomo, foliis fubulatis.*
Mnium paluftre. Sp. pl. 1574.

Mas. Femina.

Mnium majus, ramulis longioribus bifurcatis. Raj. fyn. 78.
Mufcus paluftris erectus flavefcens, capillaceo folio. Vaill. par 135. t. 24. f. 1.
Mufcus paluftris, flagellis erectis luteolis raro divifis, capitulis oblongis adianthi. Morif. hift. 3. p. 629. f. 15. t. 6. f. 9.
α. Crefcit ubique in paludibus limo repletis.

414. MNIUM *caule fimplici, geniculis inflexo.*
Mnium fontanum. Sp. pl. 1574.

Mas. (Fem. *J. E. Smith.*)

Mufcus paluftris, adianto aureo affinis, fcapis tenuibus, foliolis brevibus. Raj. fyn. 98.
Mufcus trichoides paluftris erectus coronatus, capitulis fphæricis amplioribus. Morif. hift. 3. p. 628. f. 15. t. 6. f. 8.
Mufcus capillaceus tenuiffimus, pedunculo longiffimo purpurafcente, capitulo rotundiore. Vaill. par. t. 24. f. 10.
Mufcus ftellaris ramofus paluftris, pediculo aureo erecto, capitulo magno fphærico. Buxb. cent. 1. p. 45. t. 65. f. 3.

Femina. (Mas. *J. E. Smith.*)

Mufcus ftellaris ramofus paluftris. Buxb. cent. 1. p. 45. t. 65. f. 2.
α. Ubique in deferto ad fcaturigines fontium frigidorum crefcit pulcherrimus hic mufcus.
β. Quoniam in hac calyptram non vidimus, at alteram plan-

plantam marem, alteram feminam ubique obſervavimus, quæ florem, polytrichi inſtar, ſtellula purpurea exhibet, hunc locum ei conceſſimus, uſque dum certiora innoteſcant.

γ. Fontes calidos ſeu thermas fruſtra in Lapponia frigidiſſima quæſivimus, aquæ autem ſalientes frigidiſſimæ, media licet & calidiſſima æſtate, ubique ſeſe obtulere, copioſiores quam in ulla alia a nobis perluſtrata regione. Fontes Lapponiæ ſunt vel aquæ ex ſuperjacente nive exſtillantes, ut in Alpibus; vel juxta radices montium, quales frequentes in ſylvis; vel & in mediis paludibus, quos fontes frigidos vocant Lappones. Hi fontes frigidi, licet aqua paludoſa undique eos ambiat tepida, in foveola quaſi exhibent lympham iſtam gelidam, quæ licet ſtagnans videatur, celeri tamen agitatur curſu ſub altera aqua paludoſa & calida. Hos fontes ſedulo indagare norunt Lappones & quidem ex hoc Muſco præſertim eos dignoſcunt, qui quaſi arte & cultura læte excretus fontem cingit, coloreque ſuo albo e longinquo facile cognoſcitur.

414*. SPLACHNUM *umbraculo orbiculari hemiſphærico.*

Splachnum rubrum. Sp. pl. 1572.

α. In turfoſis Lapponiæ lulenſis legit Cl. Swartz. *Am. acad. v.* 10. 113.

414**. SPLACHNUM *umbraculo orbiculari plano.*

Splachnum luteum. Sp. pl. 1572.

α. In monte *Snirack* Lapponiæ invenit vir celeberrimus Laur. Montin. *Am. acad. v.* 2. 278.

414***. SPLACHNUM *receptaculo globoſo.*

Splachnum ſphæricum. Am. acad. v. 10. 113. t. 4. f. 1. Nov. act. upſ. v. 4. 240.

α. In turfoſis Lapponiæ lulenſis legit Swartz.

414****.

414****. SPLACHNUM *caulescens, foliis piliferis, pedunculo brevissimo.*

Splachnum angustatum. Am. acad. v. 10. 113. Nov. act. upf. v. 4. 241.

α. In Lapponiæ humidis. *Swartz.*

414*****. SPLACHNUM *subacaule, receptaculo oblongo.*

Splachnum mnioides. Swartz. nov. act. upf. v. 4. 241.

Phascum pedunculatum. Syst. veg. 13. 794. Oed. dan. t. 192.

α. In alpibus Lapponiæ. *Swartz.*

415. SPHAGNUM *ramis reflexis.*

Sphagnum palustre. Sp. pl. 1569.

Sphagnum cauliferum & ramosum palustre molle candicans, reflexis ramulis, foliolis latioribus (& angustioribus). Dill. giff. 229. Raj. fyn. 104.

Muscus palustris, terrestri similis. Scheuch. alp. p. 43. t. 5. f. 4.

Muscus palustris in ericetis nascens floridus noster. Pluk. phyt. 101. f. 1. Vaill. par. t. 23. f. 3.

Muscus palustris. Dod. pempt. 472.

Muscus palustris candidus baccifer. Lind. wikf. 25.

Muscus palustris mollis candidus rangiferorum, quo rangiferi avide vescuntur. Brom. goth. 69.

Muscus palustris mollis & delicatulus. Scheff. lap. 303.

Muscus IV. Scheff. lap. 361.

Muscus albus. Till. ab. 46.

Rypster-derphe. Lapponibus, id est, Muscus ruber.

Manna-derphe. Lapp. aliis, id est, Muscus infantum.

α. Ubique in humidis copia tanta occurrit, ut integras paludes, tam in sylvis, quam in Alpibus, eodem musco tectas, albasque videas.

β. Variat foliis scilicet ovatis, ubi majór est Muscus; & linea-

& linearibus acutis, ubi minor. Variat etiam colore, dum alius exacte niveus, alius, licet rarior, incarnato colore suffusus est.

γ. Errant, qui muscum hunc pro pabulo rangiferorum hyemali exhibent.

δ. Feminis lapponicis maxime notus est hic muscus; hunc enim, linteis cum destituantur, infantibus, dum cunis suis continentur, undique circumponunt, qui & pulvinaris & tegmenti vices servat, urinam acrem absorbet, calorem conservat, sericisque stragulis gratior est tenellis; mutatur deinde vesperi & mane, dum purus & recens substituitur in prioris locum. Mollis quidem satis per se est, nihilominus, infante recenter nato, deciduos sponte molliusculosque crines rangiferinos musco superimponunt, corporique infantis proxime admovent, ut adhuc magis delicata sint stragula hæcce.

ε. Hoc etiam musco catamenia excipere abstergereque feminas lapponicas mihi relatum fuit. Naturam æque hic ac alibi sibi similem esse feminasque in Lapponia ac alibi legibus menstrualibus obedire, dubium nullum est, licet hæ cruoris minorem fundant copiam innocentissimæ. Fuere & feminæ plures hic, quas vidi, per totam suæ vitæ periodum ab hac lege exceptæ, licet hæ maritatæ steriles persistant. Novi & juvenculas, quæ non hyeme, sed sola modo æstate has observabant crises; imo & alias, quæ semel in anno purgabantur, & hæ, quotquot vidi, pedes œdematosos habebant.

416. LYCOPODIUM *caule repente, ramis triquetro planis.*

Lycopodium complanatum. Sp. pl. 1567.

Lycopodium sabinæ facie. Rupp. jen. 1. p. 328.

Muscus terrestris ramosus pulcher. Bauh. hist. 3. p. 759.

Muscus squamosus montanus repens, sabinæ folio. Tournef. inst. 553.

Muſcus clavatus, foliis cupreſſi. Bauh. pin. 360.
Jæmna. Suecis.

α. Creſcit paſſim in ſylvis ſiccioribus.

β. Ruricolæ Weſtrobothnienſes muſcum hunc & folia Betulæ (§ 341) circa finem menſis Junii collecta coquunt ſimul, eiſque varia e lana confecta flavo imbuunt colore.

417. LYCOPODIUM *caule repente, ramis tetragonis.* Tab. XI. fig. 6.

Lycopodium alpinum. Sp. pl. 1567.
Muſcus clavatus, foliis cupreſſi. Raj. hiſt. 120. deſcript.
Muſcus terreſtris cupreſſinus nanus ſtyrienſis. Bocc. muſ. 161. t. 108. fig. peſſima.

α. Creſcit in Lapponia noſtra tantum in Alpibus & in montibus ſummis, nec unquam eundem muſcum in ſylvis vidimus, uti antecedentem, qui per Sueciam vulgatiſſimus eſt.

β. *Caulis* depreſſus repit per terram ſpithamæus vel pedalis.

Rami alternatim per ſpatia pollicaria e caule egrediuntur erecti, dichotomi, ſinguli rami primarii terminantur ſæpe dichotomia in viginti vel triginta ramulos, quaſi faſtigiatos, longitudine digiti humani.

Foliola imbricata ſunt, craſſiuſcula, in formam tetragonam obtuſam undique veſtientia ramos.

Pedunculus hinc inde ramum aliquem terminat vix duarum vel trium linearum altitudinis, bifurcatus, foliolis minoribus tectus, totidem ſpicas gerens.

Spicæ ovatæ, nec manifeſte oblongæ ſunt, fere glabræ.

γ. Hæc planta a maxima parte Botanicorum confunditur cum antecedenti, neceſſe itaque nobis viſum eſt tanto accuratius eas diſtinguere, ſuiſque limitibus eaſdem circumſcribere.

Ante-

Antecedentis defcriptionem qualemcunque dedit *J. Bauhinus*, hujus autem *Rajus* licet non fufficientem.

Rami in *hac* perpendiculares breves & quafi in fafciculum collecti funt. In illa vero magis fparfi & procumbentes.

Ramuli foliis veftiti in *hac* exacte tetragoni funt, angulis licet obtufis; in *illa* vero plani funt, parte fupina parum convexi, lateribus acutiffimi.

Pedunculus in *hac* vix manifefte a ramis diftinguitur; in *illa* vero plus quam uncialis eft.

Spicæ in *hac* ovatæ funt, in *illa* oblongæ.

Hæc in folis Alpibus, *illa* in folis fylvis habitat.

418. LYCOPODIUM *caule repente, foliis patulis, pedunculis fpica gemina terminatis.*

Lycopodium clavatum. Sp. pl. 1564.

Lycopodium clavatum, pediculis foliofis. Dill. giff. 230.

Mufcus terreftris clavatus. Bauh. pin. 360.

Mufcus clavatus. Till. ic. 143.

α. In fylvis fæpius obvium eft.

β. Vidi aliquando, grato fpectaculo, pueros Lapponum ex hoc mufco ferta confeciffe capitique fuo eadem impofuiffe, horrentibus undique fpicis difstichis, hirfutie Faunis & Satyris fimiles.

419. LYCOPODIUM *caule erecto, fpica glabra terminato.*

Lycopodium annotinum. Sp. pl. 1566.

Lycopodium elatius, foliis juniperinis, clavis fingularibus fine pediculis. Celf. upf. 32.

Lycopodium alterum, foliis juniperinis reflexis, clavis fingularibus, five pediculis nudis. Rupp. jen. 1. p. 328.

Mufcus fquamofus, foliis juniperinis reflexis. Tournef. inft. 553.

α. In fylvis rarius occurrebat.

420. LYCOPODIUM *caule erecto dichotomo.*
Lycopodium Selago. Sp. pl. 1565.
Selago foliis & facie abietis. Rupp. jen. 1. p. 330.
Muscus erectus ramosus saturate viridis. Bauh. pin. 360.
Muscus terrestris, species altera. Scheuch. alp. 44. t. 6. f. 2.

α. In desertis rarius crescit.

β. Solent rustici, boves vel sues phthiriasi laborantes decocto hujus musci lavare, quo facto intra aliquot dies a molestis hisce insectis liberantur.

γ. Reperitur etiam, rarius licet, in officinis quibusdam pharmaceuticis Sueciæ sub nomine Musci cathartici & sub forma decocti ad vomitum excitandum præscribitur in robustis corporibus, ut vocant, debet tamen refracta admodum dosi exhiberi, alias convulsiones excitat, observante *Rothmanno.*

421. LYCOPODIUM *caule repente, ramis spica foliis patula instructis.*
Lycopodium Selaginoides. Sp. pl. 1565.
Selaginoides foliis spinosis. Raj. syn. 106.
Muscus terrestris repens, clavis singularibus foliosis erectis. Scheuch. alp. 43. t. 6. f. 1.
Muscus terrestris repens humilior, tenuissimis foliis, clavis foliosis erectis. Moris. hist. 3. p. 624. s. 15. t. 5. f. 11. (pessima.)

α. Juxta ripas fluviorum hocce musco nullus alius est frequentior in Lapponia.

β. Singulares sunt spinæ istæ ad marginem foliorum & optimam subministrant differentiam, sed tam parvæ, ut visum fere fugiant.

ALGÆ.

A L G Æ.

422. MARCHANTIA *calyce communi decempartito, laciniis linearibus.*
Marchantia polymorpha. Sp. pl. 1603.
Marchantia capitulo ſtellato, radiis teretibus. Mich. gen. 2. t. 1. f. 2.
Marchantia ſtellata. Marchant in act. pariſ. 1713. p. 307. t. 5.
Lichen petalodes polymorphos. Dill. giſſ. 210.
Lichen petræus ſtellatus. Bauh. pin. 362.
Hepatica officinarum. Vaill. par. 97.
α. Hinc inde in ſylvis lociſque ſterilibus, attamen ſubhumidis vel umbroſis obſervatur.

423. MARCHANTIA *calyce communi octopartito, laciniis plano-convexis.*
Marchantia polymorpha γ. Sp. pl. 1603.
Marchantia capitulo non diſſecto. Mich. gen. 2. t. 1. f. 5.
Lichen petræus umbellatus. Bauh. pin. 362.
α. Creſcit mixta ſemper cum antecedenti, ut cam judicarem omnino eandem eſſe plantam, niſi contrariam ſententiam ſtrenue defenderet Clariſſ. Michelius, præſertim cum eadem obtineat facies in reliquis partibus, uti in antecedenti; nec me in hac ullos floſculos ſub calyce manifeſtos obſervaſſe memini.

424. MARCHANTIA *calyce communi quinquefido hemiſphærico.*

 Marchan-

Marchantia hemifphærica. Sp. pl. 1604.
Hepatica media, capitulo hemifphærico. Mich. gen. 3. t. 2. f. 2.
Lichen pileatus parvus, foliis crenatis. Raj. fyn. 114.
α. Paffim in fylvis, locis umbrofis, fubhumidis.

425. JUNGERMANNIA *foliis imbricatis ferie duplici, fuperioribus fubrotundis convexis obtufis quadruplo majoribus.*
Jungermannia tamarifcifolia. Sp. pl. 1600.
Mufcoides fquamofum faxatile nigro purpureum furculis anguftioribus, foliis circinatis minoribus. Mich. gen. 10. t. 6. f. 5.
Hepaticoides furculis & foliis thuyæ inftar compreffis minor. Vaill. par. t. 19. f. 10.
Lichenaftrum imbricatum minus. Raj. fyn. 111.
α. In fylvis lapidibus & arboribus innafcitur.

426. JUNGERMANNIA *caule ramofo, furculis compreffis, foliis imbricatis ferie duplici, ovato-acutis, ciliatis.*
Jungermannia ciliaris. Sp. pl. 1601.
α. Antecedenti, cui mixta, admodum fimilis, fed paulo major.

426*. JUNGERMANNIA *furculis teretibus, foliolis undique imbricatis, floribus pedunculatis.*
Jungermannia julacea. Sp. pl. 1601.
α. In Lapponia Suecica legit Swartz. *Act. holm.* 1789. p. 50.

426**. JUNGERMANNIA *furculis teretibus, foliolis fubulatis fecundis.*
Jungermannia rupeftris. Sp. pl. 1601.
α. In Lapponia Suecica legit Swartz. *Act. holm.* 1789. p. 50.

427. JUNGERMANNIA *caule ſimplici, foliis ovatis, margine reflexis undique laxe imbricatis.*
Jungermannia concatenata. Fl. ſuec. mſſ. Afzel.
α. Flores hujus videre non licuit, ſemper tamen flava perſiſtit, & caules numeroſos ſimplices, digiti longitudinis in cæſpitem conjunctos producit.
β. Creſcit rarius in ſylvis.

427*. JUNGERMANNIA *ſurculis teretibus, foliolis ovatis patentibus, calycibus imbricatis.*
Jungermannia alpina. Sp. pl. 1601.
α. In Lapponia Suecica obſervavit Swartz. *Act. holm.* 1789. p. 50.

428. LICHEN *caule ſimplici, calyce turbinato, margine tenui.*
Lichen pyxidatus. Sp. pl. 1619.
Lichenoides tubuloſum pyxidatum cinereum. Dill. giſſ. 204. Raj. ſyn. 68.
Lichen pyxidatus major. Tournef. inſt. 549. t. 325. f. D. Vaill. par. 115. t. 21. f. 8.
Muſcus pyxidatus. Bauh. hiſt. 3. p. 759.
Muſcus pyxoides terreſtris. Bauh. pin. 361.
α. *Lichen pyxidatus major rugoſus.* Vaill. par. 115. t. 21. f. 7.
β. Tegit hic muſcus integros convexos campos & exſuccos, nec non petris planiuſculis integris album inducit colorem.

429. LICHEN *caule ſimplici, calyce turbinato, margine carnoſo colorato prolifero.*
Lichen cocciferus. Sp. pl. 1618.
Lichenoides, tubuloſum pyxidatum, tuberculis amœne coccineis, proliferum. Dill. giſſ. 205. Raj. ſyn. 69, 70.
Lichen pyxidatus oris coccineis & tumentibus. Vaill. par. 115. t. 21. f. 4.
Muſco-fungus pyxidatus, calyce altero alteri innato,

apicibus nonnunquam coccineis. Moriſ. hiſt. 3. p. 632. ſ. 15. t. 7. f. 4.
Muſcus pyxidatus, labellis ſaturate croceis. Bocc. muſ. 2. p. 142. t. 104.
α. Cum antecedenti per Lapponiæ deſerta frequentiſſimus.

430. LICHEN *caule ſimplici, calyce turbinato, margine acuto prolifero.*
Lichen fimbriatus. Sp. pl. 1619.
Lichen pyxidatus, margine prolifero ſcabro. Vaill. par. t. 21. f. 9.
α. Etiam hic ubique in lapidibus, pauca terra obductis, creſcit.

431. LICHEN *caule ſimplici, calyce turbinato, centro ſimpliciter prolifero.*
Lichen pyxidatus β. Sp. pl. 1619.
Lichenoides pyxidatum cinereum elatius, ramulis pyxidatim deſinentibus. Raj. ſyn. 69.
Lichen pyxidatus prolifer. Vaill. par. 115. t. 21. f. 5.
Muſco-fungus pyxidatus norvegicus, tubo longiore. Moriſ. hiſt. 3. p. 632.
α. Cum antecedentibus, rarius occurrit.

432. LICHEN *caule ſimplici, calyce turbinato, centro multipliciter prolifero.*
Lichen cornucopioides. Sp. pl. 1619.
Muſcus pyxoides. Barr. ic. t. 1278. f. 2.
α. Etiam hic cum antecedentibus reperitur, ſed rarius.

433. LICHEN *caule ſimplici apice acuto aut calyce turbinato terminato.* Tab. XI. f. 5.
Lichen deformis. Sp. pl. 1620.
Lichenoides tubuloſum minus ramoſum, cauliculis craſſioribus difformibus. Raj. ſyn. 68.
α. Et hic in ſylvis admodum vulgaris eſt.

434. LI-

434. LICHEN *caule ſimplici ſubulato, rarius bifido.*
Lichen cornutus. Sp. pl. 1620.
Lichen cinereus proboſcideus & corniculatus, ut plurimum non ramoſus. Mich. gen. 81.
Lichenoides tubuloſum cinereum non ramoſum. Dill. giſſ. 204. Raj. ſyn. 68.
Muſco-fungus petræus corniculatus, cornibus indiviſis & incurvatis. Moriſ. hiſt. 3. p. 633. ſ. 15. t. 7. f. 4.
Muſcus fiſtuloſus corniculatus. Barr. obſ. 1286. t. 1277. f. 1.
α. Cum antecedentibus ubique vulgaris eſt.
β. Variat caule tenui recto ſimplici & craſſiori rugoſo nutante, ſæpius bifido.

434*. LICHEN *fruticuloſus, lævis ſubramoſus, ramis diffuſis, tuberculis ſparſis.*
Lichen vermicularis. Am. acad. v. 10. p. 119. Swartz. act. nov. upſ. v. 4. p. 248. Dickſ. crypt. faſc. 2. 23. t. 6. f. 10.
α. In alpibus Lapponiæ inter gramina & muſcos primus innotuit Swartz.

435. LICHEN *caule erecto dichotomo, ramis ſubulatis.*
Lichen ſubulatus. Sp. pl. 1621.
Lichenoides tubuloſum cinereum minus cruſtaceum, minuſque ramoſum. Dill. giſſ. 203. Raj. ſyn. 67.
Muſcus corniculatus. Bauh. hiſt. 3. p. 759.
α. Eſt frequentiſſimus per deſerta Lapponiæ.
β. Synonymon Bauhini ad Acroſtichum ſeptentrionale pertinere mihi videtur. *J. E. Smith.*

436. LICHEN *caule inordinate ramoſo, ramis in calyces turbinatos margine carnoſos deſinentibus.*
Lichen digitatus. Sp. pl. 1620.
Lichenoides coralliforme, apicibus coccineis. Raj. ſyn. 68.

α. Et

α. Et hic in ſylvis vulgatiſſimus eſt.
β. Specierum hujus generis enumeratarum tot tamque infinitæ dantur varietates, quot fere individua, quorum numerus redactus eſt ad longe majorem, quam qui fuerat primitus; ſtudii, quod parciores adfert fructus, limites potius coercendos, quam amplificandos hic monetur ſummo cum jure, uſque dum quis vel minimam inde deducat utilitatem.
γ. Si vero quis curioſitatis luxuriantis gratia magnum numerum varietatum prædictarum colligere vellet, illi Lapponiam, præ omni alia regione, commendarem.

437. LICHEN *caule erecto tereti ramoſiſſimo, alis perforatis filiformibus.*
Lichen rangiferinus. Sp. pl. 1620.
Lichen coralloides tubuloſus major candidus ramoſiſſimus, receptaculis florum rufeſcentibus perexiguis. Mich. gen. 79. t. 40. f. 1.
Lichenoides tubuloſum ramoſiſſimum fruticuli ſpecie candicans. Dill. giſſ. 202. Raj. ſyn. 66. *corniculis rufeſcentibus*, ibidem.
Coralloides corniculis candidiſſimis. Tournef. inſt. 565.
Muſco-fungus montanus corniculatus. Moriſ. hiſt. 3. p. 632. ſ. 15. t. 7. f. 9.
Muſcus coralloides ſive cornutus montanus. Bauh. pin. 361.
Muſcus coralloides cornutus montanus. Lind. wikſ. 25.
Muſcus montanus candidus. Ol. Magn. 341.
Muſcus candidus. Scheff. lap. 333.
Muſcus ſecundus. Scheff. lap. 361.
Weiſſe-Mooſſ. Schell. botn. 31.
Viſte. Lapponibus.
Reen-moſſa. Succis, id eſt, Muſcus rangiferinus.
α. Lichen hic eſt primarium vegetabile, quod in tota Lapponia proſtat, hinc ejus hiſtoriam & uſum apud Lappos noſtros paucis commemorare tenemur.

β. Nullum vegetabile in tota Lapponia tanta in copia reperitur ac hæc Lichenis ſpecies, & quidem primario in ſylvis, ubi campi ſteriles arenoſi vel glareoſi, paucis Pinis conſiti; ibi enim non modo videbis campos per ſpatium unius horæ, ſed ſæpe duorum triumve milliarium, nivis inſtar albos, ſolo fere hocce Lichene obductos. Sic natura ſeptentrionis quaſi inclinat in albedinem, frigoris amaſiam.

γ. Dum ſylvæ fulminantis Jovis ira accenduntur, integræque comburuntur, remanet ſicca & nuda terra, mox ubi aliud vegetabile creſcere recuſat, ubi alia planta nutrimentum non reperit, luxuriat hic Lichen rangiferinus, elapſis aliquot annis integros hos occupat campos & poſt ſex vel plurium annorum decurſum juſtam acquirit altitudinem.

δ. Hi Lichene obſiti campi, quos terram damnatam diceret peregrinus, hi ſunt Lapponum agri, hæc prata eorum fertiliſſima, adeo ut felicem ſe prædicet poſſeſſor provinciæ talis ſteriliſſimæ, atque lichene obſitæ. Lapponum non eſt difficile regere aratrum; aut certa ſemina Cerealia incertæ & infidæ ſæpe terræ committere, multo minus hic locorum, cum nulla nocte a frigoris ſævitia ſecurus ſatis vel media in æſtate dormiat; ille itaque ſelegit ſibi beatiſſimam iſtam, a veteribus adeo laudatam vitam paſtoriam, quam ſuæ œconomiæ maximam adferre utilitatem agnoſcit. Rangiferi ſeu Rhenones ſunt ejus pecora, ejus grex, qui ſi bene valet & ille valet. Rangiferi hi caloris ſunt impatientiſſimi, at frigoris amantiſſimi, dum pili eorum adeo denſe conſiti ſunt, ut fere erecti circa æſtatem adſurgant, quos ſi digito a ſe invicem removeas, vix ullibi punctum nudatæ cutis reperire potes; conceſſit itaque iis Conditor ſummus ſeptentrionales has ut inhabitent provincias, Lapponiam puta, Iſlandiam, Groenlandiam, &c. quibus & in his locis convenienti nutrimento proſpexit. Victitant itaque Rangiferi hi per æſtatem communiter e graminibus,

minibus, deſeruntque tum libenter calidas ſylvarum convalles, vento expoſitas ac nive æterna obductas Alpes petunt, ut ibi medium & calidiſſimum diem in montibus nivoſis tranſigant, utque pecoribus ſuis proſpiciant Heri, Lappones, eorum cauſa Alpes per æſtatem quoque inhabitant; at ingruente bruma ex hiſce frigoris ſedibus deſcendere coguntur & Lappones & Rangiferi, illi ob ſævitiam frigoris, hi ob defectum alimenti. Pabulum primarium per longam iſtam hyemem Rangiferis eſt hic Lichen, quem pecora hæc proprio marte norunt ſibi comparare, nunquam enim tegit hyems terram tam alta nive, quin Rangifer, ſuis inſtar, ſciat eum inveſtigare, ut non modo ex exſucco hocce Lichene alimentum habeat ſufficiens, ſed & per hyemem ſæpe pingueſcat. Cutis rangiferi, quæ frontem, nares & pedes ejus obveſtit, tam dura, tam arcte adfixa hæret corpori, ut vix eam mactato animali detrahere queant, quo ſulcos imprimens minori exponatur lacerationi, minuſque curet minima, acutaque ſtramina vel pruinæ ac glaciei fragmenta. Hinc nec opus habet paſtor, ut domos exſtruat pro grege ſuo, in quibus per noctes incarcerabitur calidus; non opus habet per æſtatem, ut plantas omnes diſſecet, exſiccet, colligat, domum reportet, conſervet, cum Rangiferi vix ac ne vix fœnum guſtent; ſed neceſſe eſt, ut noctes dieſque ſub dio, cuicunque tempeſtati omnique frigori expoſitus, verſetur inter gregem ſuum, ne Urſi, Lupi, Gulones, ſimileſque ejus hoſtes, bona ſua auferant vel devaſtent, aut ne pars gregis diſcedat, deſertaque petat, ubi ſero vel nunquam eam reperiet; nullis enim cingitur ſepibus, nullis foſſis, ſed ubique patet aditus, nec quidquam diſceſſum prohibet. Tum

Pellibus & ſutis arcent mala frigora braccis
Oraque de toto corpore ſola patent.—Ovid. Triſt.

Ex regionis natura œconomiam Lapponum eſſe optime inſtitutam judico: Pecora enim eorum bene per-

perferunt clima iſtud; habent ſufficiens alimentum; reddunt paſtori & veſtimenta & alimenta. Ubinam hic haberes ſufficiens pabulum pro equis & bobus per tam longam & perpetuam hyemem? Ubinam hic velles ſerere in terra omni frigori expoſita? Novaccolæ poſſunt quidem hic habere alimentum, ſed ſi a Lapponibus per commercia, ex aqua per piſcaturam, ex venatu in ſylvis, non ſolidiora lucrari poſſent bona, quam ex propria agricultura, miſerrimam eorum pronunciarem vitam.

ε. Norunt & Novaccolæ (quibus vita eſt omnino ruſtica) in uſum ſuum vertere hunc Lichenem; tempore enim pluvioſo corradunt furca multiplici & inflexa hocce vegetabile, quod tum tenax eſt, facile a terra ſecedit (contra vero tempeſtate ſicca fragile eſt & in pulverem vertitur), in acervos colligunt & hyemali tempore irrigatum pauca quantitate aquæ bobus inde pabulum parant optimum.

ζ. In ſylvis igne devaſtatis, ſi terra admodum ſterilis eſt, facile creſcit Lichen; ſin quodammodo fœcunda, facile multiplicatur Betula vulgaris, ſub qua minus læte propagatur Lichen, at ſub Pinu optime.

η. Lichen noſter in Botanicorum ſcriptis delineatus quodammodo convenit cum eo, qui in campis arenoſis & ſiccioribus creſcit; ſed datur & varietas quædam major, quam a nullo depictam obſervavi, niſi a ſolo *Wormio* in ſuo muſæo, qui figuram optime repræſentat in campo ſeu tabula nigra, eumque Lichenem ſe ex Norvegia, ex fodina quadam habuiſſe, me quondam legiſſe memini. Dum campum aliquem in Lapponia ſylveſtri vides Lichene noſtro vulgari obſitum, hinc & inde prominentes quaſi tophos obſervabis, qui conſtant Muſco reliquis altiori. Hæc varietas major, *Lichen rangiferinus major* vulgo dictus, creſcit ad altitudinem digiti, ſpithamæ, immo & pedis, & a vulgari Lichene prædicto differt: 1. Determinata magnitudine, cum naturalis raro digito altior ſit. 2. Rami hujus,

quo

quo apici ipsius vegetabilis propiores, eo confertiores, densiores, ac si fasciculum præcedentis Lichenis referrent, cum contra vulgatior magis ad cornu cervini figuram accedat. 3. Maxime manifesta nota differt, quod scilicet rami coalescant hinc inde cum proximis, ut nullum habere quis queat separatum ramulum, quin simul fragmentum alterius secedat & laceretur. 4. Quod caulis vix a ramis, paulo supra basin distingui possit.

8. Ut Lichen rangiferinus vulgatissimus est per Lapponiam sylvestrem, ita non adeo frequens per Alpes lapponicas; Alpes vero Dalekarlicæ fere teguntur hocce Lichene, Lichene (§ 446). Empetro, Betula foliis orbiculatis & Arbuto foliis crenatis; sed Lichen iste in Alpibus Dalekarlicis est varietas ista major (η), quæ in minori copia occurrit in Lapponia. Notabile dein est in majori ista varietate (η), quod sudum cælum per diem Lichenem hunc exsiccans eum adeo fragilem reddat, ut vix ac ne vix eum attingere queas, quin in frustula & pulverem fatiscat, inferior tamen ejus pars semper madida & humida persistit, quod in vulgari non adeo manifeste observatur.

ι. Plures Lichenis nostri varietates dantur, alia enim individua apicibus albis, alia rubris, alia fuscis; alia reperies caule nudo simplici, alia ramosissimo; alia colore niveo, alia rufescente, alia fusco, immo & cinereo-atra collegi & servavi.

438. LICHEN *caule ramoso, alis perforatis, ramis brevissimis acutis.*

Lichen uncialis. Sp. pl. 1621.

Lichen coralloides tubulosus albidus minor & mollior, caulibus crassioribus minus ramosis, receptaculis florum perexiguis rufescentibus. Mich. gen. 79.

Lichenoides tubulosum, cauliculis mollioribus & crassioribus, minus. Raj. syn. 67.

α. Cres-

α. Crefcit in fylvis & Alpibus paffim, ad antecedentem quamproxime, dempta magnitudine, accedit.

439. LICHEN *caule ramofo folido, foliolis cruftaceis tecto.*
Lichen pafchalis. Sp. pl. 1621.
Lichen cinereus fruticofus faxatilis, racemulis feminum undique obductus, receptaculis florum nigricantibus. Mich. gen. 78. t. 53. f. 5.
Lichen alpinus glaucus ramofus botryoides. Scheuch. alp. 137. t. 19. f. 4.
Lichenoides non tubulofum cinereum ramofum totum cruftaceum. Raj. fyn. 66.
Corallina alpina valde crifpa. Petiv. gaz. t. 65. f. 7.
Mufco-fungus coralloides fruticofior & lignofior. Morif. hift. 3. p. 633. f. 15. t. 7. f. 12.
Mufco-fungus coralloides terreftris denfe ramificatus cinereus & veluti incruftatus norvegicus. Morif. hift. 3. p. 633.
Mufcus cupreffiformis ramofus. Gottfch. pruff. 168. f. 48.
α. Nullus hocce, excepto rangiferino ifto (§ 437), eft vulgatior in Lapponiæ campis arenofis & eundem ufum ac effectum œconomicum præftat, ac verus ifte Lichen rangiferinus.

440. LICHEN *erectus ramofiffimus, ramis teretibus nudis filiformibus obtufis.* Tab. XI. fig. 4.
Lichen fragilis. Sp. pl. 1621.
Lichenoides non tubulofum ramofiffimum fruticuli fpecie cinereo fufcum. Raj. fyn. 65.
α. Crefcit fatis frequens in lapidibus depreffis petrifque latis.

441. LICHEN *foliis planis fubrotundis lobatis obtufis, calyce plano, lacinula propria adnato.*
Lichen caninus. Sp. pl. 1616.

Lichen

Lichen pulmonarius ſaxatilis digitatus. Vaill. par. 116. t. 21. f. 16.

Lichen pulmonarius maximus e cinereo rufeſcens inferne ſubrufus, receptaculis florum rubris plano-orbiculatis. Mich. gen. 84.

Lichenoides peltatum terreſtre cinereum majus, foliis diviſis. Dill. giſſ. 208. Raj. ſyn. 76.

Muſco-fungus terreſtris latifolius cinereus, hepaticæ facie. Moriſ. hiſt. 3. p. 632. ſ. 15. t. 7. f. 1.

α. Lectus fuit in Lapponia Norvegica juxta Finmarkiæ limites ſemel, qui per Sueciam vulgatiſſimus eſt.

442. LICHEN *foliis planis ſubrotundis lobatis obtuſis, calyce plano ovali, lacinula propria adnato, niveus.*

Lichen arcticus. Sp. pl. 1616.

α. Creſcit ubique in ſylvis Lapponiæ, frequentius adhuc per totam Norlandiam, Angermanniam puta, Weſtrobothniam & Oſtrobothniam ubique in ſylvis obvius, at in Suecia infra Norlandiam a me non obſervatus.

β. Quod ſit una eademque ſpecies cum antecedenti nec adſirmare, nec negare ſuſtineo; figura enim eſt fere eadem, magnitudo, locus naſcendi, facies quodammodo conveniunt, differunt autem in eo, quod hic totus ſuperne & inferne niveo ſaturatiſſimo ſuperbiat colore, exceptis radiculis capillaribus (velleris inſtar ſubtus exſertis per totum diſcum, ſi regionem margini proximam excludas) atris; differt etiam, quod hic magis planus ſit, tenuior, nec adeo denſus ac coriaceus, ut ille; pelta eodem modo enaſcitur in hocce ac in illo & carnei coloris eſt. Forte locus hunc album reddit, uti Lagopodes, Muſtelas, Lepores, Vulpes alpinas, quæ animalia ſemper per hyemem apud nos adeo alba ſunt, ut ne unicum eo, quo per æſtatem nitet colore, tum temporis obtinere queas. Vix ulla eſt planta flore cæru-

cæruleo vel purpureo, quæ hic non aliquando album induat colorem; vix ulla avis, quæ non aliquando in ſua ſpecie, licet ſolitaria, alba obſervata fuerit, uti Corvus, Cornix, Pica, Hirundo, Parus, Motacilla, &c. Antecedens enim ſpecies juxta mare, & ubi regio temperatiſſima erat, a me, ſemel ut dixi, obſervata fuit.

443. LICHEN *foliis ſubrotundis planis, leviſſime inciſis, calycibus orbiculatis diſco folii adnatis planis.* Tab. XI. fig. 3.

Lichen croceus. Sp. pl. 1616.

α. Creſcit & hic ubique in ſylvis, inque campis maxime ſterilibus.

β. Cum novam, quantum conſtat, tradam ſpeciem & brevem ejus deſcriptionem exhibere conabor.

Folia plana fere ſunt, terræ incumbentia, ſubrotunda, verſus baſin paulo anguſtiora, latitudine & longitudine diametri ultimi articuli pollicis humani, per marginem aliquot inciſuris hinc inde notata, remanentibus lobis obtuſis, margine alias fere integro, interdum & parum crenato. Folia ejuſmodi tria, quatuorve, plura vel pauciora, quaſi in orbem, abſque ullo tamen regulari ordine poſita ſunt, quorum quæ iis intermedia ex ſenio corrupta communiter obſervantur. In parte prona unicum alterumve orbiculatum calycem planum fuſcum adnatum gerunt, margine vix manifeſto cinctum, latitudine fere lineæ unius ad ſummum duarum in diametro. Foliorum color in parte ſupina e viridi cinereus, ſeu obſolete viridis eſt, at in prona ſeu terram reſpiciente ſaturatiſſime croceus, ibique parum ſecundum longitudinem ſulcata videntur.

γ. Solo colore ſubtus croceo ab adfinibus ſuis primo intuitu dignoſcitur.

443*. LICHEN *foliaceus repens ſubrotundus, peltis depreſſis ſubtus ſaccatis.*

 Lichen

Lichen saccatus. Sp. pl. 1616.

α. In alpibus Lapponicis versus Norvegiam invenit Tych. Holm. *Sp. pl.* 419.

444. LICHEN *foliis oblongis divisis, superficie reticulata & punctata.*

Lichen pulmonarius. Sp. pl. 1612.

Lichen arboreus sive Pulmonaria arborea. Bauh. hist. 3. p. 751.

Lichenoides peltatum arboreum maximum. Raj. syn. 76. *platyphyllum.* Dill. giss. 208.

Muscus pulmonarius. Bauh. pin. 361.

Pulmonaria. Fuchs. hist. 637.

α. Raro admodum in Lapponia obvius fuit, uti ad Kengis & paucis aliis in locis.

445. LICHEN *foliis oblongis laciniatis, marginibus conniventibus ciliatis.*

Lichen islandicus. Sp. pl. 1611.

Lichen terrestris, foliis eryngii. Buxb. cent. 2. p. 11. t. 6. f. 1.

Lichen arboreus, Jacobææ cinerareæ folio similis. Pont. comp. 22.

Lichen pulmonarius minor angustifolius, spinis tenuissimis ad margines ornatus, receptaculis florum transverse oblongis rubris vel ex rubro-ferrugineis. Mich. gen. 85. t. 44. f. 4.

Lichenoides rigidum, Eryngii folia referens. Raj. syn. 77.

Muscus catharticus. Borrich. act. hafn. 1671. p. 126.

Muscus pulmonarius terrestris, sanguineus Breynii. Valent. mus. 2. p. 94. t. 15. f. 2. & 3.

α. *Lichen terrestris, foliis eryngii, minor.* Buxb. cent. 2. p. 11. t. 6. f. 2.

β. Et hic Lichen est inter tritissimos in Lapponiæ sylvis siccioribus.

γ. Variat

γ. Variat magnitudine, unde ambæ iſtæ differentiæ Buxbaumii.

δ. In Iſlandia ex eo juſculum confici & medicamenti vel alimenti titulo adſumi refertur, & ſane ſi aliquod nutrimentum laudabile ab eo obtineri poſſet, maxime neceſſarius eſſet Lapponum ſylvaticorum latranti ſæpe ſtomacho, cum abſque ulla difficultate, ullo ſudore in copia ubique haberi poſſet. Mihi autem dubium quoddam movet effectus hujus Lichenis purgans, non enim bene percipio, quomodo unum idemque ſimul & chylum auferat & nutriat, niſi præparatione effectus iſte laxans obtunderetur; dein omnia purgantia diuturno nimis uſu ſuſpecti quid fovent, niſi per conſuetudinem, ut alteram naturam, iſte effectus ceſſaret. Quidquid demum ſit, videmus in Suecia plures phthiſicos juſculo ex hoc muſco parato, ſe per longum tempus ſuſtentare abſque incommodo & fere abſque manifeſto laxandi effectu; & ſi aqua, durante coctione Lichenis hujus, aliquoties adfunderetur nova, adhuc magis etiam effectus iſte purgans enervaretur, & ſi in Iſlandia corpora incolarum aleret, idem ſane & in Lapponia præſtaret. Boves vernali tempore in paſcuis gramine recenti avide adſumpto purgantur & tamen pingueſcunt. *Boerhaave.*

446. LICHEN *niveus, ſinibus dædalis laciniatus, ramis erectis, calyce orbiculato.* Tab. XI. fig. 1.
Lichen nivalis. Sp. pl. 1612.

α. Lichen hic per omnes Alpes noſtras, earumque juga, diſperſus jacet, tanta in copia, ut remote conſtitutus fere albas a ſolo eo muſco Alpes videas, licet ſingula hujus fragmenta tam parva ſint, ut quis vix diceret eſſe Lichenis ſpeciem.

β. Lichenem hunc prima vice legimus Upſaliæ in monte, qui ab Arce nomen habet, ubi in ipſo ſabulo, radicibus vix terræ infixis, ſed liber egregie creſcit, mox eundem Lichenem vidimus in adjacentibus

 monti-

montibus, ut in tumulis ſepulcralibus Upſaliæ antiquæ, Wakſaliis monticulis & circumjacentibus, dein vix per totum iter in conſpectum prodiit, niſi donec Alpes Lapponiæ conſcendebamus.

γ. Licet Lichenem hunc in tanta ubique obtinuerimus copia, nullibi tamen peltas ejus in Lapponia reperire potuimus. Anno autem 1732. in itinere Dalekarlico, impenſis magni *Gubernatoris* prov. Dalekarliæ Generoſiſſ. Baronis Nic. Reuterholm, ſuſcepto, Dalekarlicas Alpes nobis conſcendentibus occurrebat hic tanta in copia, ut nullum vegetabile hocce eſſet vulgatius, & longe majus quam antea ullibi idem obſervabamus; hic etiam, raro licet, deſiderati iſti flores & peltæ prodiere, quæ Lichenem noſtrum valde adfinem reddebant alteri ſpeciei vulgatiſſimæ, ubique arboribus, præſertim Fraxinis inſidenti, quæ dicitur *Lichenoides arboreum ramoſum majus.* Raj. ſyn. 75.

δ. Lichen hic conſtat folio terræ incumbente fere plano, niveo, diviſus eſt inæqualiter vel fere pinnatim in plures partes, ſingulis laciniis in minores diſſectis, ultimis tandem acuminatis inæqualibus, margines parum ſuperiora verſus flectuntur, laciniæ vero recta fere adſcendunt & compreſſæ quaſi, unde criſpus evadit totus hic Lichen; diſcus folii variis excavationibus in parte ſupina videtur inæqualis, apicem folii terminat pelta plana elliptica, latitudine piſi majoris tranſverſim diſſecti, pallide incarnati coloris, margine fere integro plano.

ε. Ex hoc Lichene æque bonum, ſi non præſtantiorem pulverem cyprium ac ab alio ullo præparari poſſe omnino perſuaſus ſum, cum vix alia ſpecies albidior detur, ſi modo neceſſarius foret ejus uſus in noſtra Lapponia, cum Lappo per æſtatem vix ſufficiat excutiendis e facie undique ſibilantibus culicibus; & per hyemem abſque ullo adhibito artificio, quamprimum exit e caſa ſua, conſperguntur crines

crines ejus pruina, quæ ipſo pulvere cyprio longe candidior, &

Sæpe ſonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet induto candida barba gelu.

ζ. In Scotiâ primus invenit D. Robertus Townſon, anno 1790. *J. E. Smith.*

447. LICHEN *foliis planis acute laciniatis æruginoſo-albidis.*
Lichen omphalodes. Sp. pl. 1609.
Lichen nigricans omphalodes. Vaill. par. 116. t. 20. f. 10. optima.
Lichen pulmonarius tinctorius, foliis eleganter & tenuiter diviſis, inferne nigricantibus & cirroſis, ſuperne purpureis & lacunatis, receptaculis florum concoloribus. Mich. gen. 90. t. 49. f. 2.
Lichenoides ſaxatile tinctorium, foliis piloſis purpureis. Raj. ſyn. 74.
Muſcus tinctorius cruſtæ modo petris adnaſcens. Raj. hiſt. 116.

α. Ad littora maris Norvegici aliquoties viſus fuit, nullibi autem in majori per totum iter copia ſeſe obtulit, quam in Alandia.

β. Tota fere Alandia Inſula pro fundamento agnoſcit petram e ſpato opaco rufo compoſitam, paucis admodum heterogeneis particulis immixtis, quam *Saxum ſpatoſum rubrum* in S. N. diximus. Super hanc petram, ubi nuda eſt & mari proxima, immenſa in copia luxuriat hic Lichen.

γ. Mulierculæ Alandicæ hocce Lichene pannos ſuos tingunt flaveſcente colore, coquendo ſcilicet Lichenem abſque ſalibus, & immergendo pannos; aliæ fæculas fructuum Mitellæ Americanæ maximæ tinctoriæ Tournef. (Bixæ Orellanæ Linn.) in parva copia addunt prædicto Licheni, ut color ſaturatus magis conſpiciatur.

448. LICHEN *foliis planis multifidis obtuſis, laciniis linearibus, calycibus concavis.* Tab. XI. fig. 2.

Lichen centrifugus. Sp. pl. 1609.

α. Nullus eſt Lichen in ſaxis frequentior hocce, qui & in ſylvis & in Alpibus fere ubique proſtat, cum alii Lichenes lapidibus innaſcentes longe rariores ſint in hac, quam in ulla alia a nobis viſa regione.

β. Eſt Lichen, qui e centro undique, adhærens cruſtæ inſtar lapidi, excreſcit & quaſi denſos ſuos diſpergit radios, qui folia ſunt; in medio ſeu verſus centrum gerit flores ſuos depreſſos, concavos, hemiſphæricos, interne fuſcos, externe albos. Folia ejus nivea ſunt, & diviſa multifariam juxta longitudinem, lacinia ſingula lineari, obtuſa, marginibus parum deflexis; folia in parte averſa ſeu prona, æque ac in ſupina, nivea ſunt. In Lichene hoc adoleſcente, pereunt antiqua folia & flores centro proximi relinquentes lapidem, cui inſedebant, fere nudum vel furfure obductum, ut videas quaſi latum circulum ruditer a pictore in lapide depictum.

449. LICHEN *foliis planis multifidis obtuſis, laciniis verſus apices latioribus.*
Lichen olivaceus. Sp. pl. 1610.
Lichen cruſtæ modo arboribus adnaſcens olivaceus. Vaill. par. t. 20. f. 8.
α. Creſcit rarius in lapidibus, ſæpius in arboribus.

450. LICHEN *foliis planis laxis flaccidis inæqualiter laciniatis, ſuperne albidis, ſubtus atris.*
Lichen furfuraceus. Sp. pl. 1612.
? *Lichenoides arboreum folioſum cinereum & ſinuatum, inferne ſcabrum.* Raj. ſyn. 75.
α. Creſcit ubique in corticibus Betulæ vulgaris.

451. LICHEN *fulvus, ſinibus dædalis laciniatus.*
Lichen juniperinus. Sp. pl. 1614.
Lichenoides, cruſta folioſa ſcutellata, flaveſcens. Dill. giſſ. 206. Raj. ſyn. 72. (ad L. parietinum potius ſpectant hæc ſynonyma. *J. E. Smith.*)
α. Creſcit ſat copioſe, præſertim in Junipero.

452. LICHEN *folio orbiculato peltato, margine fere integro, undique glaber.*
Lichen deustus. Sp. pl. 1618.
Lichen pulmonarius saxatilis e cinereo fuscus minimus. Vaill. par. t. 21. f. 14.
Lichenoides saxatile, foliis minus divisis cinereo fuscis. Raj. syn. 73. (vix eadem species. *J. E. Smith.*)
α. Ubique in petris conspicitur.

453. LICHEN *folio orbiculato peltato, margine fere integro, superficie subtus lacunata.*
Lichen pustulatus. Sp. pl. 1617.
Lichen crustæ modo saxis adnascens verrucosus cinereus & veluti deustus. Vaill. par. t. 20. f. 9.
α. Crescit cum antecedenti, a quo an specie, re ipsa, differat, vix pronunciare audeo.

453*. LICHEN *foliaceus umbilicatus, peltis turbinatis truncatis perforatis.*
Lichen proboscideus. Sp. pl. 1617. Hudf. angl. 551.
Lichen crinitus. Lightf. scot. 860.
α. In rupibus Lapponiæ. *Sp. pl.*
β. Synonymon Dillenii in Sp. pl. excludendum, atque hoc inserendum est. *Lichenoides corneum, marginibus eleganter fimbriatis.* Dill. musc. 218. t. 29. f. 116.

454. LICHEN *folio subrotundo peltato, margine fere integro, subtus maxime hirsutus.*
Lichen velleus. Sp. pl. 1617.
α. Crescit rarius in petris atque præcipitiis, præsertim ubi sylva densissima & umbrosissima.
β. Cum duobus antecedentibus maximam habet adfinitatem, a quibus tamen distinctissimus est.
γ. Folium spithamam in latitudine æquat, planum, versus margines vero parum fimbriatum seu undulatum, superficies supina cinereo-albicans parum glutinosa, plana & lævis; prona vero seu saxum spectans

ſpectans ſuperficies pilis inſtructa nigris, duas lineas longis, tam denſe confertis, ut recti extendantur, velleris inſtar denſiſſimi. Radices hos crines non facile eſſe dicerem, cum nullibi adhæreant; differt deinde hæc ſpecies ab antecedentibus, craſſitie ipſius folii triplo denſioris, corii inſtar.

δ. Prima vice hanc ſpeciem in monte Brewikbergel prope Pithoam antiquam, juxta nidum maximi cujuſdam Bubonis inveni, dein in Lapponiæ ſylvis, aliquibus tantum in locis, eandem legi.

455. LICHEN *foliolis cruſtaceis, calyce convexo foliis majori.*

Lichen ericetorum. Sp. pl. 1608.

Lichen terreſtris ericetorum baſi muſcoſa, capitulis fungoidibus carnei coloris. Rupp. jen. p. 350.

Lichen cruſtaceus terreſtris, cruſta granuloſa ex albo ſubcinerea, receptaculis florum rotundis carneis pediculo inſidentibus. Mich. gen. 100. t. 59. f. ult.

Funguli incarnati coloris, minuti, muſco innati. Mentz. pug. t. 6.

α. Ubique in paludibus Sphagno (§ 415) ſupernaſcitur, ac ſi leproſus eſſet muſcus. Nonnunquam etiam nudæ terræ inſidet in ſylvarum deviis.

455*. LICHEN *cruſtaceus albicans ſuffruticuloſus; ramulis breviſſimis confertis, peltis marginatis teſtaceis.*

Lichen frigidus. Am. acad. v. 10. p. 117. t. 5. f. 4. Swartz. nov. act. upſ. v. 4. p. 247. & act. holm. 1789. p. 50. Dickſon's dried plants, faſc. 2. no. 49.

α. In alpibus Lapponiæ prope culmina nivium primus omnium detexit Swartz.

456. LICHEN *ramis filiformibus ramoſis pendulis alis compreſſis.*

Lichen jubatus. Sp. pl. 1622.

Lichen

Lichen capillaceus longiſſimus, ex fago & abiete pendens. Tournef. cor. 40.
Conferva arborea fuſco-virens, jubæ ad inſtar e ramis arborum denſe dependens, mollis. Dill. giff. 200.
Muſcus arboreus barbatus. Bauh. hiſt. 3. p. 756.

α. Eſt per totam Lapponiam ſylveſtrem vulgatiſſimus e Betula, Pinu & Abiete dependens.

β. Colore variat; alius enim niveus, alius ater, alius, licet rarius, incanus eſt.

γ. Eſt ſylva vaſta, quæ undique diſtinguit Lapponiam ſylveſtrem ab adjacentibus provinciis, in qua raro vel rarius habitant aliqui homines, & hæc ſylva conſtat terra ſteriliſſima, tecta niveo iſto Lichene rangiferino & obſita denſis arboribus, e quibus dependet hic barbatus nigerque Lichen; cum prima vice intrarem Lapponum regionem, & pervenirem ad ſylvas haſce atras, atras ob denſitatem arborum, magis atras vero ob barbas iſtas nigras, quibus quaſi tegebantur, & adhuc magis ſpecioſas ob terram ſubſtratam Lichene albo nivis inſtar tectam, fere obſtupui facile intelligens me longe aliam, quam cui adſuetus eram, intraturum terram. Cum in itinere Dalekarlico Elfdaliam relinqueremus, Sernam tendentes per longum & vaſtum deſertum, iterum prodiit exacte ejuſmodi ſylva, quam non dubito eſſe continuationem prædictæ, licet per centum milliaria remota ſit hæc verſus auſtrum; ſylva ejuſmodi atra undique ambit Alpes noſtras & Lapmarkiam ab altera parte, & Alpes ab altera includit; dicerem itaque facile Sernam Dalekarliæ eſſe partem Lapponiæ, ſecundum limites naturæ.

Quodſi hyems accedat cum pluvia & gelu, terramque dura cruſta glaciali, antequam nix deciderit, obducat, eheu quanta tum imminet miſeria genti, agitur enim tunc de eorum ſalute, divitiis & bonis omnibus. Rangiferi Lapponum pecora ſunt, ſimulque omnes eorum divitiæ, eſt ideo receptum in Lapponia, cum de alicujus bonis agatur, interrogare quanta ſit hujus

hujus vel illius *poteſtas rangiferorum;* ſi tum reſponſum habetur, quod ad millenarium adſcendat numerum, ditiſſimus judicatur, ſin infra centenarium perſiſtat, dives vix reputatur. Divitiæ licet hic nullum faciant vel nobiliorem vel honeſtiorem, vel ſapientiorem, nec alterum altero inferiorem, immo ne quidem pilcum alterius moveant, tamen & hæ interdum conſiderandæ veniunt, pauperi enim ſponſo vix datur dives puella, nec dives ſponſus pauperem quærit puellam; naturæ enim, ut & educationis dona minus hic conſiderantur, quam fortunæ. Hic quærit procus tantum, an valeat rangiferis virgo, & quanta rangiferorum gaudeat copia. Hic non datur ſponſa marito, niſi numerata prius pecunia, vel æquivalente pretio dato pro opulentia parentum. Uno verbo rangiferi Lapponum ſunt primariæ merces, primaria bona; conglaciata, ut diximus, terra, ſuperſtrata deinde nive, rangiferi Lichenem ſuum alimentum hybernum eruere nequeunt, hinc vel fame perire debent ad maximam partem, vel etiam neceſſarium omnino eſt, ut herus ſylvam petat inſtructus ſecuri, arboreſque veteres Lichene hocce obſitas cædat; hic quidem Lichen rangiferorum palatis æque bene arridet, ac ullus alius; ſed ſi grex Lapponis vaſtus ſit, parum ſufficit hæc ſpecies tot gulis.

456*. LICHEN *filamentoſus ſubramoſus decumbens implicato-flexuoſus.*

Lichen chalybeiformis. Sp. pl. 1623. Oed. dan. t. 262.

α. In alpibus Lapponiæ Norvegicæ vulgaris. *Oeder.*

457. LICHEN *ramis filiformibus ramoſis pendulis confertis.*

Lichen plicatus. Sp. pl. 1622.

Muſcus arboreus, Uſnea officinarum. Bauh. pin. 361. Raj. ſyn. 64.

Muſcus

Muſcus arboreus villoſus. Bauh. hiſt. 3. p. 755.

α. Cum penultimo (§ 456) in arboribus frequens, a quo utrum ſpecie, an vero varietate tantum differat, in medio relinquo.

β. Excoriatis per longum iter pedeſtre partibus imponunt hunc Lichenem Lappones.

457*. LICHEN *filamentoſus ramoſiſſimus decumbens implexus nitidus.*

Lichen pubeſcens. Sp. pl. 1623. Fl. ſuec. n. 1126.

α. In alpibus Lapponicis. *Fl. ſuec.*

458. ULVA *tubuloſa ſimplex.*

Ulva inteſtinalis. Sp. pl. 1632.

Ulva marina tubuloſa inteſtinorum figuram referens. Raj. ſyn. 62.

Fucus cavus. Bauh. pin. 364. Bauh. hiſt. 3. p. 791.

α. Ad radices Alpium lapponicarum in mare ſeptentrionale deſinentes, in littore frequenter rejecta conſpicitur.

459. FUCUS *filiformis ſimplex.*

Fucus Filum. Sp. pl. 1631.

Fucus chordam referens teres prælongus. Raj. ſyn. 40.

Fucus ſetaceus niger longiſſimus non ramoſus. Moriſ. hiſt. 3. p. 649.

Fucus ſive Filum maritimum germanicum. Bocc. muſ. 1. p. 271. t. 7. f. 9.

Filum maritimum germanicum. Bauh. prod. 155.

Alga nigro capillaceo folio. Bauh. pin. 364.

Linum marinum. Act. haff. 1671. p. 118. f. 8.

α. Copioſiſſime ad littora Alpes lapponicas ambientia rejicitur e mari.

459*. FUCUS *ramoſiſſimus lineari-filiformis compreſſus: marginibus lateralibus denticulis alternis erectis.*

Fucus

Fucus aculeatus. Sp. pl. 1632. Oed. dan. t. 355.
α. In Oceano Norvegiæ borealis. *Oeder. Gunner.*

460. FUCUS *caule tereti brevissimo, folio maxime ensiformi, sæpius simplici.*
Fucus saccharinus. Sp. pl. 1630.
? *Alga latifolia coriacea.* Bauh. pin. 364.
α. Vulgatissimus est ad littora Alpium lapponicarum, seu Finmarkiæ, ubi per undas huc illuc motitatur lapidibus arcte adhærens, ejectus omnia littora fere replet.
β. Caulis pennam anserinam communiter æquat sua crassitie, vixque digito longior, mox dilatatus in folium, sex ad duodecim pedum longitudinis, duorum vel trium latitudinis, planum, lubricum, crassum, coriaceum, nigricans, communiter integrum; non raro duo vel tria folia parallela ex eodem caule prodeunt.
γ. *Urack Nortmannorum* seu septentrionalium vel Norvegicorum *Lobelio* dictus fucus, incertus nobis est. Wrak enim in Finmarkia & Suecia vocatur omne e mari rejectaneum & quod nullius valoris.
δ. Relatum nobis fuit pauperes Norvegiæ interdum ex hoc fuco sibi parare panem & cibum, cujus nulla tamen exempla vidimus.
ε. Deficiente pabulo bovibus exhibetur in Finmarkia.

460*. FUCUS *caule brevi, folio simplici plano bifurco.*
Fucus bifurcatus. Am. acad. v. 7. 477. Gunn. norv. 312.
α. In sinu maris *Ofoten* alluentis Norlandiæ. *Gunner.*

461. FUCUS *folio plano-ensiformi, caule pinnato.*
Fucus esculentus. Mant. 135.
Fucus pinnatus. Gunn. norv. 61.
Fucus membranaceus purpureus latifolius pinnatus. Raj. syn. 47. (vix. *J. E. Smith.*)

α. Cum

α. Cum antecedenti vulgatiſſimus eſt.
β. Differt ab antecedenti, folio longe breviori & caule foliis obtuſis pinnato.

461*. FUCUS *caule tereti, fronde palmata: foliolis enſiformibus.*
Fucus digitatus. Mant. 134.
Fucus hyperboreus. Gunn. norv. 61. t. 3.
α. In mari Norlandiam & Finmarkiam alluente. *Gunner.*

462. FUCUS *folio plano dichotomo ſerrato laciniato.*
Fucus ſerratus. Sp. pl. 1626.
Fucus ſive alga latifolia major dentata. Moriſ. hiſt. 3. p. 648. ſ. 15. t. 9. f. 1.
α. Creſcit cum antecedentibus ſat vulgaris.

463. FUCUS *caule tereti ramoſiſſimo, pedunculis alternis, veſiculis oblongis acuminatis.*
Fucus ſiliquoſus. Sp. pl. 1629.
Fucus anguſtifolius, veſiculis longis ſiliquarum æmulis. Raj. ſyn. 48.
Fucus maritimus alter, tuberculis pauciſſimis. Bauh. pin. 365.
Fucus marinus quartus. Dod. pempt. 480.
α. Cum antecedentibus in eodem loco frequens.

463*. FUCUS *fronde dichotoma tereti uſcula filiformi faſtigiata.*
Fucus caprinus. Am. acad. v. 7. 477. Gunn. norv. 311.
Gjete-Tang. Norlandis.
α. In Oceano Norlandico. *Gunner.*
β. Capris gratus eſt, hinc nomen apud Norlandos. *Gunner.*

464. FU-

464. FUCUS *caule tereti compresso dichotomo, foliolis oppositis minimis, vesicula in media parte singuli rami.*
Fucus nodosus. Sp. pl. 1628.
Fucus maritimus nodosus. Bauh. pin. 365.
Fucus marinus, vesiculis majoribus singularibus per intervalla dispositis. Moris. hist. 3. p. 647. s. 15. t. 8. f. 2.
Fucus marinus tertius. Dod. pempt. 480.
α. Est & hic cum congeneribus admodum frequens, qui eadem cum congeneribus amat loca.

464*. FUCUS *dichotomus linearis: axillis divaricatis.*
Fucus excisus. Sp. pl. 1627. Gunn. norv. 314.
α. In rupibus marinis Norvegiæ borealis. *Gunner.*

465. FUCUS *foliis planis dichotomis integris, apicibus bifidis vesiculosis.*
Fucus ceranoides. Sp. pl. 1626.
α. Eodem loco cum antecedentibus gaudet.
β. Synonymon Morisoni, prout erroneum, proprio ausu delevi. *J. E. Smith.*

466. FUCUS *folio dichotomo integro, caule per medium folium transcurrente, vesiculis verrucosis terminato.*
Fucus vesiculosus. Sp. pl. 1626.
Fucus sive alga marina latifolia vulgatissima. Raj. syn. 40.
Fucus maritimus vel quercus maritima vesiculas habens. Bauh. pin. 365.
α. Crescit & hic cum antecedentibus satis copiose.

467. FUCUS *folio dichotomo integro, caule per medium folium transcurrente inferne nudo, vesiculis verrucosis terminato.*
Fucus spiralis. Sp. pl. 1627.

Fucus

Fucus spiralis maritimus major. Tournef. inst. 568. Raj. syn. 41.

α. Cum antecedentibus vulgatissimus.

β. *Spiralis* dicitur, quod contorqueat se in spiram, nec facile, si exsiccatur, in planum extendi possit.

468. FUCUS *folio bifido, laciniis ovato-lanceolatis inflatis, ad apicem divisis.*

Fucus inflatus. Sp. pl. 1627. Sm. plant. ic. t. 75.

α. Cum anteccdentibus reliquis frequentissimus.

β. Fucus hic est spithamæus, constans *folio* ultra dimidiam partem bifido, infra divisionem angustiore & lineari, singula lacinia ovato-oblonga, compressa, aere tumida & cava, margine integro, apice in duas, trcs vel quatuor lacinias obtusas terminato, obtuso. *Caulis* instar nervi crassioris per partem mediam folii, ejusque laciniarum excurrit. Contrahitur & hic Fucus in spiram oblique adscendentem.

γ. In Cornubiæ littoribus hanc speciem anno 1790 invenit Franciscus Boronc. *J. E. Smith.*

468*. FUCUS *purpureus, caule brevissimo, foliis inæqualibus profunde fissis, laciniis inferne angustatis, apice hinc fissis illinc dentatis.*

Fucus ovinus. Am. acad. v. 7. 477. Gunn. norv. 310.

Sou-föll, Norlandis, quia ovibus gratissimus. *Gunner.*

α. In oceano Norlandico. *Gunner.*

469. CHARA *vulgaris.* † Sp. pl. 1624.

Chara vulgaris fœtida. Vaill. act. 1719. p. 17. t. 3. f. 1. Raj. syn. 132.

Hippuris fœtida. Dill. giss. 105.

Hippuris aquatica fœtida polysperma. Pont. anth. 116.

Hippuris vel Hippuroides. Vaill. par. 104.

Equisetum fœtidum sub aqua repens. Bauh. pin. 16. prod. 25. Bauh. hist. 3. p. 724.

α. Intra

α. Intra limites ipsius Lapponiæ quidem hanc speciem non vidi; at in fluvio, qui ex Lapponia currit, Calicensi quibusdam in locis copiose.

470. LEMNA *foliis petiolatis.*
Lemna trisulca. Sp. pl. 1376.
Lemna foliis oblongis. M. C. 33.
Lenticularia ramosa monorrhiza, foliis oblongis pediculis longioribus donatis. Mich. gen. 16. t. 11. f. 5.
Lenticula aquatica trisulca. Bauh. pin. 362. Bauh. hist. 3. p. 777. 2.
α. Semel modo in Lapponia Umensi a me visa fuit.
β. Aquæ communiter in Lapponia puræ sunt, raro admodum planta quadam aquatica ornatæ.

FUNGI.

Fungorum Lapponicorum intrans familiam pauca lectorem Botanicum monere oportet.

1. Excusabit me facile L. B. quod synonyma hic non adposuerim; is certe, qui considerat, Fungos non ut herbas facile exsiccari, in parvum fasciculum compingi, domum duci, servari posse; dein libros botanicos, qui hic si alicubi requirebantur maxime, mecum ducere per deserta, per rupes scopulosque adituque carentia saxa, quaque erat difficilis, quaque via nulla, impossibile fuisse mihi, qui solus per devia incidebam, unico cum comite seu viæ duce Lappone; tum quod post exsiccationem, quæ hic difficillima erat, vix eundem liceat dignoscere fungum; tandem quod autumnus, eo quo in Lapponia versabar anno, fuerit valde calidus, ut omnes hos, quos recenseo, ipse videre non potuerim Fungos.

2. Cele-

2. Celeberrimus *Rudbeck*, dum ſuum iter inſtituit lapponicum, & ſocios & pictorem ſecum habuit, præterquam quod ipſe in arte pictoria excelluerit, ex profeſſo Fungos collegit, vivis coloribus delineavit, eoſque in hunc diem ſervat. Hoſce inſpiciendi ſæpiuſque examinandi licentia ab eo benevole mihi conceſſa, ex quibus ſelegi omnes iſtos, quos quoad partes ſuas rimari manifeſte licuit, eoſdemque meis interpoſui, ut fere duplo plures invenias enumeratos, quam quos ipſe viderim.
3. Cum nullus, ut puto, adhuc, niſi lynceus iſte in plantis ad cryptogamiam pertinentibus Cl. *Micheli*, varietates Fungorum a ſuis ſpeciebus vere & certe diſtinguere poſſit, redegi hos meos ex colore ad ſpecies, cum meliori via in tali loco conſtitutus incedere non potuerim.
4. Divido itaque Agaricos meos in

Agaricos	petiolatos, pileo	albo,	lamellis albis	(§ 471-481.)
			rubris	(§ 482.)
			nigris	(§ 483.)
		rubro,	—— rubris	(§ 484.485.)
			albis	(§ 486-492.)
		luteo,	—— luteis	(§ 493-495.)
			albis	(§ 496-498.)
		fuſco,	—— fuſcis	(§ 499-502.)
			nigris	(§ 503.504.)
			albis	(§ 505-509.)
			rubris	(§ 510.)
		—— maculato,	ſuperficie alba	(§ 511.)
			lutea	(§ 516.)
			rubra	(§ 515.)
			cinerea	(§ 512-514.)
	ſeſſiles, pileo perenni, abſque petiolo			(§ 517.)

5. Nemo ægre feret, me genere conjungere Fungos iſtos annuos *Amanitas* & *Agaricos* perennes, iſtos qui in petiolo peltatum gerunt pileum, & hos pe-

tiolo destitutos & dimidiato pileo gaudentes. Fateor divisionem istam receptam posse locum habere, quoad usum & facilitatem dignoscendi a se invicem hos tam multos, tam infinitos; attamen cum viderim unam eandemque speciem ligno insidentem evasisse Agaricum, alterum vero individuum ex eodem semine Amanitam, ex eadem specie diversa non constitui genera. Dein datur & in Lapponia & in Suecia Fungus quidam vulgatissimus, qui omnibus proprietatibus reliquis gaudet Agarici, at petiolo & capitulo Boleti. Tandem nec hanc conjunctionem ex principio fructificationis petitam rejicere videntur observata & detecta Micheliana.

471. AGARICUS *caulescens albus parvus, petiolo longo, pileo plano pellucido, margine multifido.*
Agaricus umbelliferus. Sp. pl. 1643.

472. AGARICUS *caulescens albus minimus, petiolo angusto, pileo plano venoso, margine octofido.*
Agaricus androsaceus. Sp. pl. 1644.

473. AGARICUS *caulescens, albus, petiolo cylindraceo ad basin globoso, pileo magno plano.*
Fl. suec. n. 1194.

474. AGARICUS *caulescens, petiolo fusco, pileo albo plano.*
Fl. suec. n. 1197.

475. AGARICUS *caulescens albicans, petiolo longo sensim attenuato membrana cincto, pileo convexo.*
Agaricus pratorum. Retz. prod. n. 1531. Fl. dan. t. 600. Afzel. act. holm. 1788. p. 177. Fl. suec. n. 1198.

476. AGARICUS *caulescens albidus parvus, petiolo*

tiolo longo, pileo convexo, umbilico prominente, lamellis niveis.
Fl. ſuec. n. 1199.

477. AGARICUS *caulescens albidus parvus, petiolo longo, pileo hemiſphærico, lamellis niveis.*
Fl. ſuec. n. 1200.

478. AGARICUS *caulescens albus, petiolo breviſſimo, pileo hemiſphærico.*
Fl. ſuec. n. 1201.

479. AGARICUS *caulescens albus parvus, petiolo longo, pileo hemiſphærico.*
Fl. ſuec. n. 1202.

480. AGARICUS *caulescens albus, petiolo longiſſimo, pileo conico.*
Agaricus extinctorius. Sp. pl. 1643.

481. AGARICUS *caulescens albus, petiolo cylindraceo, pileo conico.*
Agaricus extinctorius. Sp. pl. 1643.

482. AGARICUS *caulescens, petiolo ſordido lacero, pileo albo membranaceo, lamellis rufeſcentibus.*
Agaricus campeſtris. Sp. pl. 1641.

483. AGARICUS *caulescens, petiolo longiſſimo membranula obducto albo, pileo hemiſphærico albo, lamellis nigris.*
Fl. ſuec. n. 1204.

484. AGARICUS *caulescens, petiolo longo carneo, pileo plano carneo, lamellis rufis.*
Agaricus lactifluus. Sp. pl. 1641.

485. AGARICUS *caulescens, petiolo brevi craſſiuſculo*

usculo albo, pileo convexo purpurascente, lamellis rufis.
Agaricus viscidus. Sp. pl. 1642.

486. AGARICUS *caulescens, petiolo albo, pileo plano concavo purpureo, lamellis albis.*
Agaricus integer. Sp. pl. 1640.

487. AGARICUS *caulescens, petiolo crassiusculo albo, pileo plano sanguineo, lamellis albis.*
Agaricus integer β. Sp. pl. 1640.

488. AGARICUS *caulescens, petiolo cylindraceo albo, pileo plano violaceo, lamellis convexis albis.*
Fl. suec. n. 1227.

489. AGARICUS *caulescens, petiolo humili crassiusculo albo, pileo convexo purpurascente, lamellis niveis.*
Fl. suec. n. 1231.

490. AGARICUS *caulescens, petiolo attenuato pallido, pileo convexo purpurascente viscido, lamellis albis.*
Agaricus purpurascens. Scop. carn. ed. 2. tom. 2. 424. Afzel. act. holm. 1788. p. 177.

491. AGARICUS *caulescens minimus, petiolo flavo crasso, pileo conico sanguineo, margine lacero, lamellis albis.*
Fl. suec. n. 1233.

492. AGARICUS *caulescens, petiolo brevi albo, capite semiovato sanguineo, lamellis albis.*
Fl. suec. n. 1234.

493. AGARICUS *caulescens fulvus, petiolo brevissimo, pileo concavo, margine reflexo, lamellis erectis.*
Agaricus Chantarellus. Sp. pl. 1639.

494. AGA-

494. AGARICUS *caulescens flavus, pileo plano.*
Agaricus cinnamomeus. Sp. pl. 1642.

495. AGARICUS *caulescens, petiolo cylindraceo, pileo convexo sordide fulvo, lamellis flavescentibus.*
Agaricus dentatus. Sp. pl. 1640. Fl. suec. n. 1206.

496. AGARICUS *caulescens, petiolo crassiusculo, pileo plano sulphureo, lamellis albis.*
Agaricus Georgii. Sp. pl. 1642.

497. AGARICUS *caulescens, petiolo cylindraceo membrana duplici cincto, pileo hemisphærico sulphureo, lamellis albidis.*
Fl. suec. n. 1208.

498. AGARICUS *caulescens, petiolo longissimo albo, pileo conico fulvo, lamellis albis.*
Fl. suec. n. 1209.

499. AGARICUS *caulescens, petiolo attenuato sordido, pileo semiovato sordido, margine inflexo, lamellis fuscis.*
Fl. suec. n. 1217.

500. AGARICUS *caulescens, petiolo cinereo ad basin crassiusculo, pileo semigloboso fusco, lamellis violaceo-fuscis.*
Fl. suec. n. 1223.

501. AGARICUS *caulescens, petiolo cylindraceo, pileo plano sordido, umbilico prominente, lamellis pallidis.*
Agaricus mammosus. Sp. pl. 1642.
α. Esculentus est.

502. AGARICUS *caulescens, petiolo cylindraceo,*

pileo convexo ſordido, margine inflexo, lamellis pallidis ad baſin remotis.
Agaricus equeſtris. Sp. pl. 1642.

503. AGARICUS *caulefcens, petiolo longiſſimo albo, pileo conico cinereo, lamellis nigris, margine lacero.*
Agaricus fimetarius. Sp. pl. 1643.

504. AGARICUS *caulefcens petiolo cylindraceo albo, pileo ſemiovato conico ſordido, margine integro, lamellis nigris.*
Agaricus ſeparatus. Sp. pl. 1643.

505. AGARICUS *caulefcens, petiolo craſſiuſculo, pileo plano ſordido, lamellis albis.*
Fl. ſuec. n. 1221.

506. AGARICUS *caulefcens, petiolo longo cylindraceo albo, pileo hemiſphærico ſordido, umbilico prominente, lamellis albis.*
Agaricus clypeatus. Sp. pl. 1642.

507. AGARICUS *caulefcens, petiolo longo, pileo conico cinereo, lamellis albis.*
Agaricus campanulatus. Sp. pl. 1643.

508. AGARICUS *caulefcens, petiolo longo cinereo, pileo convexo cinereo, lamellis albis.*
Fl. ſuec. n. 1214.

509. AGARICUS *caulefcens, petiolo anguſto albo, pileo convexo fuſco, umbilico prominente, lamellis niveis.*
Fl. ſuec. n. 1224.

510. AGARICUS *caulescens, petiolo crassiusculo brevi, pileo hemisphærico nigro, lamellis carneis.*
Fl. suec. n. 1225.

511. AGARICUS *caulescens, petiolo longo albo tunicato, pileo convexo albo, maculis albis & croceis adsperso, lamellis albis.*
Fl. suec. n. 1237.

512. AGARICUS *caulescens, petiolo ad basin crassiusculo, pileo convexo cinereo, verrucis & lamellis albis.*
Agaricus verrucosus. Hudf. fl. an. 613. Lightf. fl. scot. 1012. Afzel. act. holm. 1788. p. 178.

513. AGARICUS *caulescens, petiolo cylindraceo albo ad basin crassiusculo, pileo plano fusco, verrucis albis, lamellis sulphureis.*
Fl. suec. n. 1240.

514. AGARICUS *caulescens, petiolo albo rugoso, pileo convexo pallido, verrucis albo-fuscis, lamellis albis.*
Fl. suec. n. 1239.

515. AGARICUS *caulescens, petiolo albo ad basin globoso, pileo sanguineo, verrucis & lamellis albis.*
Agaricus muscarius. Sp. pl. 1640.

516. AGARICUS *caulescens, petiolo longo sensim attenuato cinereo, pileo conico croceo, verrucis albis & croceis, lamellis albis.*
Fl. suec. n. 1238.

517. AGARICUS *acaulis, utrimque planiusculus.*
Fl. suec. n. 1243.

α. Crescit hic ultimus in pino & abiete, perennat in arbori-

arboribus, dum incipiunt emori vel tabeſcere; reliqui cauleſcentes & annui variis in locis, vario tempore, præſertim Auguſto ingruente, prodeunt, mox pereunt.

β Fungorum in menſa delicias, τὸ βρῶμα τῶν θεῶν, non niſi exteri in Sueciam introduxerunt, qui cibus anceps nec in hunc uſque diem Lapponibus notus.

γ. Fungi magis conveniunt alendis muſcis, quam hominibus, in Fungis enim deponuntur communiter Muſcarum ova, in his excluduntur, per hos occiduntur, præſertim apud Lappones. Pauciſſimis itaque recenſebo Muſcarum ſpecies vulgatiſſimas per Lapponiam, ut clarius innoteſcat earum noxa in hiſce oris; reliquas ſpecies V. D. in ſpeciali, de inſectis Sueciæ, opere deſcribam, in quem finem plus quam mille diſtinctas ſpecies in ſola Suecia collegi.

Muſcarum ſub nomine intelligo inſecta Gymnaptera, aiis tantum duabus inſtructa, ſub quibus ſingulis ſtilus capitulo inſtructus, ſquamula munitus collocatur, vulgo diviſa in Tabanos, Muſcas & Culices.

a. *Muſca atra villoſa oblonga, pedibus longis, femoribus rubris;* in Lapponia Lulenſi deprehenſa, minus frequens.

b. *Muſca æneï coloris major.* Vide Goed. met. 1. p. 132. f. 53. ſatis vulgaris.

c. *Muſca minima atra ſanguiſuga, alis albis; Culex equinus.* Fn. ſuec. 1894. eſt inſectum magnitudine pediculi, totum atrum, alis albis, corpore rotundato tenaci. Eſt vulgatiſſima per Lapponiam, præſertim equis (apud concionatores, alii enim equos non alunt) & bobus moleſta, currens continuo inter pilos citiſſime, tam parva, ut extra eos vix promineat, diſtenta ſemper ſanguine hauſto.

d. *Muſca domeſtica.* Fn. ſuec. 1833. Vid. Jonſt. inſect. tab. 8. & Aldr. inſ. tab. 2. f. 10. In Lapponia

ponia minus nota, at in Finmarkia mari ſeptentrionali adjacente, fere replet domos & tegit feneſtras menſe Julio, & vix permittit homini commodam ciborum adſumptionem. Hæc fugatur & occiditur Agarico (§ 515), qui in fruſtula conſciſſus, lacti miſcetur & in feneſtra exponitur, cujus unica guttula adſumpta, arſenici inſtar, pereunt muſcæ.

e. *Oeſtrum bovinum, cauda alba; Aſilus gibboſus.* Fn. ſuec. 1909. eſt muſca magna, Tabano ſimilis, oblonga, teretiuſcula, atra, villoſa, in ventre duobus annulis caudæ proximis albis inſtructa, alæ pallide teſtaceæ, frons barbata albida.

f. *Oeſtrum bovinum, ventre croceo;* antecedenti quoad ſtructuram exacte ſimile eſt, ſed venter maxima ex parte fulvus, reliquo corpore atro. Hoc & antecedens Oeſtrum vexat per æſtatem boves Novaccolarum, deponit ſua ova in dorſo pecudum, quæ ſub cute accreſcunt in magnitudinem glandis, per hyemem ſubſiſtunt, ſequente Junio ex aurelia ſua prodeunt evolantque. Macer bos pluribus oneratur, quam pinguis, & morbus inde ortus dicitur Suecice Broemſkula.

g. *Oeſtrum rangiferinum lapponicum, ventre fulvo, Oeſtrus Tarandi.* Fn. ſuec. 1731. forma gaudet exacte Bombylii, ejuſdemque magnitudine, totum quantum hirſutie obſitum. *Caput* villoſum, oculi atri magni nitidi, regio oculis interjecta nigra & villoſa eſt, ſub oculis flava. *Collare* ſat magnum & villoſum, antice & poſtice flavum media parte nigrum, cinguli inſtar. *Venter* ovatus, ad baſin flavus, totus deinde fulvus ſeu e flavo rufeſcens. *Alæ* albæ, diaphanæ, dorſo incumbentes, duæ. *Femora* nigra, tibiæ & pedes pallidi, qui quinque internodiis conſtant, armati unguibus duobus acutis, quibus ſingulis ſquamula ſubjicitur. Caudam pro lubitu exſerit teleſcopii inſtar, quæ variis conſtat articulis, debilis nullo vulne-

vulnerante inſtrumento munita. Aurelia ovata eſt, alba, verſus os nigra. Hæc muſca notiſſima eſt rangiferis, ex quorum dorſo prodit circa initium Julii, tumque deponunt rangiferi crines, qui omnes in dorſo fere erecti conſpiciuntur; inſectum hoc volitat per totum diem ſupra dorſum Rhenonis cauda exſerta, in cujus apice, parum incurvata cauda, tenet parvulum album ovum, vix magnitudine ſeminis ſinapis, cumque in perpendiculari linea ſupra dorſum rangiferi quieſcentis exſiſtit, dejicit ovulum, quod uſque ad cutem inter ſurrectos tum crines delabitur, quo cum pervenerit, calore naturali & tranſpiratione rangiferi excluditur, excluſum lente rodit, uſque dum intra cutem perveniat, ubi in loco aptiſſimo inter gradum frigoris & caloris medio vivere poteſt, perſiſtit per totam hyemem, accreſcit in magnitudinem glandis quercinæ & redeuntibus diebus canicularibus prodit & evolat. Hiſce onerantur præſertim pulli poſt primam hyemem, ſingulis ſæpe inſident ſex, octo vel plures, quæ continuo rodendo, ſuccumque in ſuum nutrimentum attrahendo, ita emaciant pullos, ut tertia fere pars eorum ex hiſce inſectis moriatur. Adultiores licet rarioribus minuſque confluentibus tuberculis contaminentur, mire tamen læduntur, excrucianturque. Poſtquam evolavit ſemel œſtrum, contrahitur quidem foraminulum, attamen ſemper retinet foveolam & cicatricem, quibus coria contaminata ubique videre licet. Obſtupui ſane cum viderem magnam iſtam antipathiam & ſympathiam inter rangiferum & œſtrum, quam poſuit Summus Artifex. Ovulis enim prægnans œſtrum tota die per montes, præcipitia, convalles & Alpes ſequitur rangiferum, unice intentum ut ova ſua in dorſum rangiferi deponat; & ne frigore in frigidis hiſce Alpibus periret, totum hirſutie obduxit Creator.

Rangi-

Rangiferi contra, ſi vel mille in uno eodemque ſint collecti grege, continuo calcitrant, ſternutant, & jactant corpus, dum unica modo inermis debilis minima talis ſupervolitat muſca, nec quieſcunt ullo momento, niſi poſt illius diſceſſum, ut ſi quoddam ovum in ipſorum dorſum decideret, mox idem ejicerent; per integros dies æſtivos petunt nive perennante obductos montes, incedunt, ſi abſque cuſtode oberrant, ſemper vento contrario citiſſime, ne muſca hæc proſequatur eos; vix audent per integrum diem calidum edere, ſed ſemper auribus erectis, oculiſque attentis, num adſit muſca, obſervant. Muſca vero eos, quamdiu poteſt, proſequitur, uſque dum præ laſſitudine in ipſam ſæpe nivem decidat, at ibi cum quieverit, viridem lectum, ſi queat, petit, mox ad priores amores vertit animum. Heu quam diverſis vulnerat Cupido ſagittis, quam diverſis effectis & exacte iiſdem, quibus quondam, ut

Ovidius, Metam. lib. 1. *v.* 468.

Déque ſagittifera, prompſit duo tela, pharetra
Diverſorum operum: facit hoc, fugat illud amorem,
Quod facit auratum eſt & cuſpide fulget acuta,
Quod fugat obtuſum eſt & habet ſub arundine plumbum.
Protinus *alter amat, fugit altera* nomen amantis.

Quæ noxa ab hocce inſecto producatur in Lapponia, patet inde.

Rangiferorum juniorum tertia vel quarta pars perit per Erucas hujus Inſecti, morbo Lapponibus dicto *Curbma.*

Laceſſit dein rangiferos, ut vix per æſtatem edere poſſint; alias maxime pingueſcerent & accreſcerent. Unde nec tantis oneribus trahendis ſufficiunt rangiferi caſtrati ſeu tauri, nec tantam copiam lactis præbent feminæ rangiferorum.

Coria

Coria tandem mire læduntur & contaminantur hiſce verrucis.

Ne deſtruant rangiferos œſtra per æſtatem, debent Lappones omnes petere Alpes, præcipue diebus canicularibus, licet remoti ab illis habitarent per viginti milliaria Suecica.

Falſum eſſe, quod retulit Z. P. quondam Lindero, vide ejus tr. de luc venerea, p. 11. quod nempe rangiferi omni anno laborarent variolis, patet ex data hiſtoria.

h. Oeſtrum rangiferinum lapponicum, ventre nigro; Oeſtrus naſalis. Fn. ſuec. 1732. antecedenti ſimillimum, at totum nigrum, minus hirſutum, pectore flavo; rarius occurrit.

i. Tabanus vulgaris griſeus, inciſuris dorſi macula trigona albicante notatis. Tabanus bovinus. Fn. ſuec. 1882. vide Jonſt. tab. 8. Ald. tab. 2. figura inter 2 & 3. In Finmarkia vulgaris. Cum cornua rangiferorum vernali tempore polypi inſtar mollia excreſcant, vulnerantur ab hoc inſecto, ut ſanguis guttatim exſtillet, unde ſæpe rami monſtroſi evadunt in iiſdem cornibus adultis.

k. Tabanus flavus, Tabanus tarandinus. Fn. ſuec. 1884. rarior eſt.

l. Tabanus cinereus nebuloſus, Tabanus cæcutiens. Fn. ſuec. 1888. Muſca bipennis pulchra, alis maculis albis amplis pictis. Raj. inſ. 272. ſatis vulgaris eſt.

m. Culex vulgaris, Culex pipiens. Fn. ſuec. 1890. quem Swammerdam egregie adumbravit; magnitudine eſt grani ſecalini, colore cinereo-nigricante, pedes ejus longi ſetarum inſtar tenues, roſtrum prominet ſtyli inſtar, alæ pallidæ, nitidæ venis ſubtiliſſimis. Crederem hanc ſpeciem nullibi terrarum in tam immenſa copia proſtare, ac in ſylvis Lapponiæ, ubi de multitudine vel cum pulvere terræ certat, circumvolitans continuo quodam tinnitu & tædioſo, faciem, pedes & manus

manus hominum infestans; necesse tamen ipsi est, antequam sanguinem hauriat, parum obambulare porumque quærere, ut rostrum inserere possit, quo labore dum occupatur frustraque varia loca tentat, abigitur facilius. Vix requiem concedit hæc species peregrinanti per noctes tædioso alarum suarum sono, nec de die calidissimo, nisi ventus sit adversus, quocum difficilius luctari potest; si manum nudam exseras, mox legio adest, quæ eam occupans nigro tegit colore, quam si abstergas manu altera totamque cohortem occidas, vix abstersisti, quin totidem alii in priorum jam successerint locum; vix tibi datur respiratio libera, nares enim & fauces intrant. Novaccolæ, qui sub dio laborare coguntur, secum semper ducunt cornu bubulum, cingulo adpensum, in quo pix liquida cum cremore lactis mista servatur, unguenti instar, qua manus & faciem inungunt omnes, Viri, Feminæ, Virgines atro licet cosmetico, ut ab hisce solis culicibus sese defendant. Lappo in deserto constitutus semper Agaricum (§ 517.) foco suo imponit, qui ignem retinet & absque flamma copiosum fumum per casam undique dispergit. Immo fungi ejusdem fumus abigit & œstra a rangiferis, hinc videbis in sylvis bis de die redeuntes ad casam rangiferos, se in terram prosternere, dum pastor mox fungos hos accensos collocat ab ea regione, unde ventus oritur, quo fumus dispergatur per gregem; rangiferi placide hunc fumum excipiunt, ruminant (licet hoc neget Schefferus) & fere obdormiunt, qui alias continuo quatiunt caput, ne muscæ cornua mollia adhuc perforent, attamen observabis, adhibito licet omni studio, punctis sanguineis notata cornua, seu tenuibus foraminulis perforata ab insectis, atque stillantem sanguinem ex hirsutis tum cornibus.

n. *Culex alpinus*; *Culex pipiens.* Fn. suec. 1890.

ante-

antecedenti ſatis ſimilis, eodem autem longe major, æquans magnitudine granum tritici, corpore eſt cinereo nigricante, cinctus quaſi ſex vel octo faſciis a prona ventris parte dorſum verſus adſcendentibus; alæ ejus albidæ ſunt, vaſis cinereis inſtructæ, nitentes & luci objectæ rubedinem quandam reflectentes; pectus præſertim a parte prona villoſum eſt, & femora ac tibiæ annulis albis cinctæ. Hæc muſca primariam ſuam ſedem in Alpium convallibus & ad latera earundem poſuit, licet & in ſylvis Lapponiæ & in Suecia non ignota ſit. Minor tamen ubique copia earum obſervatur, nec tanto commilitonum numero ſtipata impetus facit, attamen antecedenti longe audacior & promptior; non enim quærit poros hæc, ſed mox, & quidem pedibus in cutem nondum bene infixis, vulnerat & aciculæ inſtar pungit, faciemque magis infeſtat, nec adeo facile abigi poteſt.

o. *Culex lapponicus minimus. Culex pulicaris.* Fn. ſuec. 1892. *Knort* Lulenſibus; *Swidknotten* Novaccolis. *Meckere* Lapponibus. Eſt muſca minima, vixque ſemine ocymi major, longitudine vix lineam æquans, anguſta, pectus cinereo-cæruleſcens, frons albicans, oculi nigri, alæ pellucidæ, venter oblongus cinereus, pedes nigri, at ſecundus a femore articulus albus; poſtica pars pectoris a tergo albicat, cornua ſimplicia, tenuiſſima, ala altera alteri incumbit, ut incedentem ſi videas, unica modo in conſpectum cadat, quæ parum verſus apices dehiſcunt. Circa occaſum ſolis in pratis humidiuſculis vel juxta fluvios videbis horum gregem e longinquo conſtitutus, ac ſi eſſet denſa nebula, ſique ad eos perveneris, vix ſpiritum attrahere poteris, quin iſti cum aere nares & fauces repleant. Minus quam antecedentes in pugnam proni ſunt, attamen moleſti curſu continuo & titillante per faciem atque

atque manus, & quodſi mordeant, licet minus ſentiatur, relinquunt poſt ſe maculam rubram, quaſi a morſu pulicis productam. Præcedentes muſcas motu continuo manuum abigere quodammodo poſſumus, has autem nullo modo, tam ob copiam, quam quoniam fere viſu deſtituuntur; ſi quis lintea candida veſte indutus incedat, iſta mox ab harum obſeſſione nigra erit; ſi nigræ vero ſint veſtes, eas minus curant. Has muſcas fumo Tabaci, ut & antecedentes duas, abigunt Lappones. Plures enumerare ſuperſedeo, in ſolo noſtro ſeptentrione pluſquam ſeptuaginta diſtinctas ſpecies muſcarum collegi & deſcripſi, de his & iis forte alibi plura.

Linder de venenis p. m. 177. illud equidem de Lapponibus, gente per veneficia ſua quondam infami, a Cel. Rudbeckio in peregrinatione lapponica obſervatum, nil aliud in ſceleribus ſuis componendis adhibere illos præter Fungos quoſdam rubeos variegatos (§ 515.) lacteſcentes, qui pro ea, quam omnis fere lacteſcens planta continet, acredine, ſuam videntur facile indolem prodere. *Hæc ille.* De qua obſervatione aliquoties quæſivi Cel. Rudbeckium, qui autem nihil ejus ſibi notum eſſe reſpondit. Creditur per totum fere terrarum orbem, nullam gentem lapponica magis veneficam exſiſtere, nullamque magis arte incantandi inſtructam hac ſimpliciſſima. Ego autem, ſi mihi fides ſit, ſancte adſevero, me nullam gentem lapponica vidiſſe magis innocentem. Lappones eandem de exteris fovent opinionem, ac nos de ipſis, longeque magis noſtra timent incantamenta, quam nos iſtorum. Origo hujus famæ videtur adſcribenda moribus & generi vivendi, quod Lapponibus cum orientalibus gentibus, a quibus abſque controverſia originem duxerunt, commune; promovit vita ſylveſtris hanc ſuſpicionem, auxit eandem idolo-

idololatria quondam in Lapponia recepta, confirmarunt tympana Lapponum magica dicta, quæ tesserarum instar vel fortis, superstitiosi magis quam maligni, consulunt venatum piscatumve ituri.

Agaricus (§ 487.) autumno colligitur & exsiccatur, e quo frustulum laquearibus, quæ per hyemem capiendis sciuris exponuntur, inserunt, quo sciuri prædæ instar allecti occiduntur, quibus nihil hocce fungo gratius. Pelles sciuri per æstatem rubræ sunt & vilipenduntur, per hyemem autem cinerei coloris & exoptatæ, quæ hic majori in copia adquiruntur, quam facile in ulla alia provincia & divenduntur sub nomine *gråwærk*, qui laquearibus vel arcu & sagittis obtusis occiduntur.

518. BOLETUS *magnus augusti mensis*. Dill. giss. 188.
Boletus bovinus. Sp. pl. 1646.
α. In sylvis, licet minus frequens.

519. BOLETUS *caulescens, pileo utrimque planiusculo, perennis*.
Boletus perennis. Sp. pl. 1646.
α. In sylvis frequens.
β. Est totus grisei vel testacei coloris; *petiolus* crassitie pennam anserinam æquat, quatuor vel sex lineas altitudine; *pileus* planus est, & totus testacei obsoleti coloris, diametro unciam unam, crassitie vix lineam attingens, subtus porosus. Hic, ut alii caulescentes, non fugax est, sed per integrum annum durat, rigidus & tenax instar Agarici Dillenii. Si radicem quæras, communiter sub terra reperies ramuli arboris frustulum putridum, e quo enascitur singularis hæc species.

520. BOLETUS *luteus.* Sp. pl. 1646. Dill. giff. 188. Raj. fyn. 10.
α. Et hicce in fylvis non raro obvius.

521. BOLETUS *acaulis, ſuperne convexus inæqualis, betulæ inſidens.*
Boletus igniarius. Sp. pl. 1645.
α. Ubique in antiquis betulis obfervatur, magnitudine fæpe capitis humani.
β. Hoc etiam fungo ad fumum per cafam excitandum, quo fugant culices, utuntur non raro Lappones fylvatici.

522. BOLETUS *acaulis, ſuperne lævis, ſalici inſidens.*
Boletus ſuaveolens. Sp. pl. 1646.
α. Rarius occurrit hic in falicibus & odore eximio fuaviffimoque pollet.
β. Adolefcentes hunc inventum follicite fervant in marfupio ante pubem pendulo, ut gratiorem odorem fpirantes nymphis fuis placeant. O ridicula Venus, tibi, quæ in exteris regionibus uteris caffea & cocholata, conditis & faccharatis, vinis & bellariis, gemmis & margaritis, auro & argento, ferico & cofmetico, faltationibus & conventiculis, mufica & comœdiis, tibi fufficit hic folus exfuccus fungus.

523. HYDNA *caulefcens, pileo imbricatim tuberculato.*
Hydnum imbricatum. Sp. pl. 1647.
Erinaceus pileolo ampliſſimo fuſco imbricato. Celf. upf. 20.
Fungus echinatus maximus, umbraculo ampliſſimo obſcuro & nigricante. Rupp. jen. 1. p. 353.
α. In fylvis denfiffimis occurrit.

524. HYDNA *caulefcens, pileo dimidiato.*
Hydnum auriſcalpium. Sp. pl. 1648.

Erinaceus minimus auriſcalpium referens. Celſ. upſ. 20.
Fungus erinaceus eſculentus parvus, pediculo longiore, auriſcalpium referens, buxei coloris, in ſtrobilis pini eveniens. Kram. tent. 146.
Fungus erinaceus parvus, pediculo longiore, auriſcalpium referens, buxei coloris, in ſtrobilis abietis proveniens. Buxb. hall. 129. t. 129.

α. Creſcit in ſylvis denſiſſimis inter folia decidua pini & abietis ſemicorrupta, copioſius adhuc per Weſtrobothniam.

β. Negat hic fungus diviſionem fungorum genericam in iſtos, qui arboribus pileo dimidiato inſident ſeſſiles & cauleſcentes; hic enim durus eſt, ut Agaricus, & caule gaudet, ut Erinaceus Dill.

525. LYCOPERDON *ſubrotundum laceratum dehiſcens.*
Lycoperdon Boviſta. Sp. pl. 1653.
Lycoperdon vulgare. Tournef. inſt. 563.
Boviſta officinarum. Dill. giſſ. 196.
Fungus rotundus orbicularis. Bauh. pin. 374.
Fungus pulverulentus, dictus Crepitus lupi. Bauh. hiſt. 3. p. 832.

α. In Alpibus & ſylvis varia magnitudine ſeſe offert.

526. LYCOPERDON *ſolidum.*
Lycoperdon cervinum. Sp. pl. 1653. conf. Afzel. in act. holm. 1787. p. 266.
Tubera. Bauh. pin. 376. hiſt. 3. p. 833.

α. Hoc obſervavi inter Lule & ipſam Lapponiam in pago *Swartlö.*

527. BYSSUS *perennis capillacea cinerea tenax petræ innaſcens.*
Byſſus cryptarum. Sp. pl. 1638.

α. Inſolitum hocce vegetabile, licet non intra Lapponiæ fines obſervatum, tamen in itinere meo lapponico

nico inventum commemorare liceat; nobis ſeſe obtulit in Medelpadiæ quadam ſpelunca Brudnæſberget dicta, quod olim latrones receperit, famigeratiſſima, ubi ipſi petræ arcte adnaſcebatur.

β. Conſtabat filis tenuiſſimis, mollibus, cinereis, parum ad viridem colorem accedentibus, tophi inſtar laxe diſpoſitis, longitudine uncialibus, & adeo tenacibus, ut vix digitis detrahi poſſent fibræ.

528. BYSSUS *perennis pulverulenta rubra, lapidibus innaſcens.*
Byſſus Jolithus. Sp. pl. 1638.
Byſſus germanica minima ſaxatilis aurea violæ martiæ odorem ſpirans. Mich. gen. 210. t. 89. f. 3.
Jolithos ſeu lapis violaceus. Schwencf. ſilec. 382.
Vioeſten vulgo.

α. In ſylvis, non adeo rara.

β. Prodit ſe facile, cum ruber ſit lapis, cui innaſcitur & ſanguine quaſi oblinitus, qui ſi teratur alio quodam duro corpore violæ martiæ odorem ſaturatum ſpargit, qui a ſolo hoc fungo nec a lapide ipſo manat.

529. BYSSUS *membranacea aquatica.*
Byſſus Flos aquæ β. Sp. pl. 1637.
? *Byſſus latiſſima papyri inſtar ſuper aquam expanſa.* Raj. ſyn. 57.

α. Occurrit in rivulis exſiccatis, ubi lapides tegit & levi adhibita manu ab iis facile diſcedit inſtar fruſtuli papyri niveæ, minuſque tenacis.

530. BYSSUS *gelatinoſa fugax terreſtris.*
Tremella Noſtoc. Sp. pl. 1625.
Noſtoch ciniflonum & Paracelſi. Geoffr. act. par. 1708. p. 228. & Reaum. act. par. 1722. p. 121.
Linkia terreſtris gelatinoſa membranacea vulgatiſſima ex pallido & vireſcente fulva. Mich. gen. 126. t. 67. f. 1.

Ulva terrestris pinguis & fugax. Raj. syn. 64.
Butyrum magicum & fragmentum nimbi. Suecis.
α. Crescit circa simeta Novaccolarum.

531. BYSSUS *gelatinosa fugax, junipero innascens.*
Tremella juniperina. Sp. pl. 1625.
α. Post pluvias eam juniperis insidentem sæpe reperi in Lapponiæ sylvis; obscure fulva est, sæpe ramosa, gelatinæ instar mollis, ut vix digitis tangi queat fragilis, at post aliquot dies, si cœlum siccum & calidum sit, in crustam atram membranaceam & nigram fatiscit.
β. De hujus mirabili usu in sopiendis variis doloribus, arthriticis præcipue, consulas Ephem. nat. curios. annos primos.

532. BYSSUS *farinacea virescens, aquæ inspersa.*
Byssus Flos aquæ. Sp. pl. 1637.
α. In lacubus, & præsertim aquis stagnantibus emergit hæc byssus diebus canicularibus e fundo, sese aquæ miscet ejusque summam regionem petit, farinæ instar grossioris viridis. Tali modo sæpe integer lacus viridi tingitur colore, & Sueci dicunt aquam eo tempore florere, Byssusque hæc vocatur *flos aquæ;* ut ante penultima species aliis, *flos cœli.*

533. BYSSUS *filamentosa, fugax, alba, putrescentibus innascens.*
Mucor crustaceus. Sp. pl. 1656.
Botrytis non ramosa alba seminibus rotundis. Mich. gen. 212. t. 91. f. 3.
Mogel. Suecis.
α. Ubique in rebus domesticis putridis.

534. MUCOR *granulis filamentosis fugacibus, putrescentibus innatus.*
Mucor septicus. Sp. pl. 1656. Afzel. obs. 11.

Mucor

Mucor vulgaris capitulo lucido per maturitatem nigro, pediculo griseo. Mich. gen. 215. t. 95. f. 1.

α. Vide figuram *Sterb. de fungis*, tab. 31.

β. Cum antecedenti vulgatissimum est vegetabile, eodemque apud nos nomine gaudet.

γ. Fuere & aliæ hujus generis species plures, quas examinare omnes, nec oculi, nec otium, nec tempus mihi permisere.

LITHOPHYTA.

535. SPONGIA *ramis teretibus obtusis.*
Spongia lacustris. Syst. nat. v. 1. 1299.
Spongia ramosa fluviatilis. Raj. syn. 30. hist. 81.

α. In fluvio Tornoensi copiose, intra ipsos tamen Lapponiæ fines visa nobis non fuit.

536. SERTULARIA *ramis teretibus, articulis cylindraceis lapideis, æqualibus.*
Corallina. Bauh. hist. 3. p. 799. 2.
Muscus coralloides, squamulis loricatus. Bauh. pin. 364.

α. Ad littora maris septentrionalis concharum & cochlearum testis innata rejicitur.

β. Sub aqua tenax est, & arcte cohærentibus constat articulis, qui mediante nervo articulos perforante connexi; at siccata fragilis fit nervus, singulique articuli non cohærentes amplius a se invicem recedunt ad attactum digiti.

537. ISIS *nuclei juglandis figura.*
α. Copiose ad littora maris septentrionalis rejecta legitur.
β. Est magnitudine & figura nuclei juglandis, nivea, tuberculis prominentibus undique, & obtusis obvallata.

ANIMUS AD SYLVAS ET SUA LUSTRA REDIT.

INDEX.

I N D E X.

Numerus Paragraphum denotat.

INDEX.

Caryo-

Draba

Gra-

Hype-

Prunella.

Spar-

Nomina

NOMINA PEREGRINA.

D d Hæſt-

Sylen-

ERRATA.

P. 224, deleatur totum 264*, & illius in loco inferatur fequens.

264*. CHEIRANTHUS *foliis lanceolatis denticulatis fubpubefcentibus, pubefcentia ftellari, caule fimplici.*

Cheiranthus erysimoides. Sp. pl. ed. 1. 661. ed. 2. 923.

α. In Herbario Linnæano e Lapponia.

β. *Caulis* fimplex, vix ramofus.

Folia radicalia ovalia, petiolata.

Flores fulphurei.

Differt a Ch. *alpino* Linnæi, *erysimoide* Jacquini & *alpino* Jacquini, qui omnes fpecie inter fe diftincti funt, pubefcentiâ ftellari, nec e pilis fimpliciffimis, parallelis, adpreffis conftante. *J. E. Smith.*

P. 282. No. 349, lege 346.

CLA-

CLARISSIMO VIRO

CAROLO LINNÆO,

MEDICINÆ DOCTORI,

SOCIO ACADEMIÆ CÆS. NATURÆ CURIOSORUM

DIOSCORIDIS SECUNDI AGNOMINE,

POPULARI OPTIMO, AMICO SINE PARI,

CUM

FLORAM LAPPONICAM

EDERET.

CESSENT Hefperidum facunda infomnia, ceffent :
Linnæus faciem detegit hofpitii.
Urbica quos plangit luxata fuperbia Lappos
Hos monftrat Flora luxuriante frui.
Occipis, o *Nofter*, vafti moliminis aufus
Naturæ boreæ regna ferire oculo.
Per niveos montes cumulatos montibus illuc
Itur ubi Chloris delicias pofuit.
Scandis, fed feffum quando errat poplite corpus
Vis animi infracto robore fuftineat.
Infanos fuperas colles ; mox limina calcas ;
Pergis ad aras hinc adproperare Deæ.

Elysiis campis lætaris; lumina carpis
   Solis inoccidui; fallitur uda quies.
Atque inter nivei surgentia littora saxi
   Gaudes multiplicis carbasa ferre Deæ
Unicus hos primos ignoti flaminis ausus
   Qui stupet is Lappus Ductor & alter adest.
Munera, amice, refers hæc acris hospitis olim;
   Illa sed ignaro quam pretiosa refers.
Sed feret a Doctis meritum sua præmia plausu,
   Nec minor ille foris, nec erit ille domi.
Quid Floram accuses, hæc quæ Tibi serta paravit
   Queis vel in orbe unus principe flore nites?
Quid lauros dabunt (sed plurimus has canat alter)
   Quas Pan, quas Pluton, quas Medicina Tibi?
Ne Batavas inter Musas & pulpita spernes
   Longas longinquæ blanditias patriæ.
Nos procul Amstelia cum Tu compesceris unda
   Dimidium quam animæ poscimus usque Deos!
Multus Adonis non, non naris copia nobis;
   Est Tua quo placeat usque Fahluna tamen.

Suo gratulatur suus

JO. BROWALLIUS.

Dab. Fahlunæ in Suecia
1736. Nov. 24.

T A-

TABULA I.

1. DIAPENSIA *(lapponica)* § 88. p. 57.

2. ANDROMEDA *(polifolia)* foliis alternis lanceolatis, margine reflexis. § 163. p. 131.

3. ANDROMEDA *(hypnoides)* foliis aciformibus confertis. § 165. p. 134.

4. ANDROMEDA *(tetragona)* foliis triquetre imbricatis obtusis, ex alis florens. § 166. p. 135.

5. ANDROMEDA *(cærulea)* foliis linearibus obtusis sparsis. § 164. p. 133.

Jacet

Jacet extra ſidera tellus,
Extra anni ſoliſque vias, ubi cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Virg. Æneid.

T A-

TABULA II.

1. SAXIFRAGA *(oppositifolia)* foliis ovatis quadrangulato-imbricatis, ramis procumbentibus; *apicibus foliorum cartilagineis.* § 179. ε. p. 148.

2. SAXIFRAGA *(Cotyledon)* foliis radicalibus in orbem positis, serraturis cartilaginosis. § 177. p. 146.

3. SAXIFRAGA *(stellaris)* caule nudo simplici, foliis lanceolatis dentatis; *coma foliolosa.* § 175. γ. p. 144.

4. SAXIFRAGA *(cernua)* foliis palmatis, caule simplici unifloro. § 172. p. 140.

5. SAXIFRAGA *(nivalis)* caule nudo simplici, foliis elliptico-subrotundis crenatis, floribus capitatis. §. 176. *varietas* 4. p. 145.

6. SAXIFRAGÆ antecedentis (5) *varietas* 1. § 176. γ. n. 1. p. 145.

7. SAXIFRAGA *(rivularis)* foliis radicalibus quinquelobis, florali ovato. § 174. p. 142.

Venti

Venti Alpini.

Alpeſtres Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc,
Eruere inter ſe certant.

TABULA III.

1. RANUNCULUS *(glacialis)* caule bifloro, calyce hirſuto. § 233. p. 196.

2. RANUNCULUS *(nivalis)* caule unifloro, foliis radicalibus palmatis, caulinis multipartitis ſeſſilibus. § 232. p. 195.

3. RANUNCULUS pygmæus, antecedentis (fig. 2) varietas. § 232. γ. p. 196.

4. RANUNCULUS *(lapponicus)* caule unifolio, & unifloro, foliis tripartitis. § 231. p. 194.

5. RANUNCULUS *(reptans)* foliis linearibus, caule repente. § 236. p. 198.

6. RANUNCULI generis nectarium ad unguem petali. § 228. p. 193.

Campi Alpini.

Adſpiceres nudos ſine fronde, ſine arbore campos.
Heu loca felici non adeunda viro!

Ovid. Triſt. iii. *c.* 10.

T A-

TABULA IV.

1. PEDICULARIS (*lapponica*) caule ſimplici, foliis lanceolatis ſemipinnatis ſerratis acutis. § 242. p. 205.

2. PEDICULARIS (*flammea*) caule ſimplici, foliis ſemipinnatis obtuſis, laciniis imbricatis crenatis. § 244. p. 210.

3. PEDICULARIS (*hirſuta*) caule ſimplici, calycibus villoſis, foliis linearibus dentatis crenatis. § 245. p. 211.

4. & 5. SCEPTRUM CAROLINUM Rudbeckii. § 243. p. 206.

a. Folium radicale.
b. Summa pars caulis.
c. Flos.
d. Fructus.
e. Semina.

Cenſori rigido.

Men Du ſom tadlar alt, kom hær læt tig be-
haga
at ſe the hoege bærg, the ſkogar, træſk och
haf
ſom mig ſo hafwa moedt, ſkrif ſedan po min
graf
Om jag ock moedan ſpardt eller gifwet ſegn
foer ſaga.

Rudb.

T A-

TABULA V.

1. RUBUS *(Chamæmorus)* caule bifolio & unifloro, foliis ſimplicibus. § 208. p. 173.

2. RUBUS *(arcticus)* caule unifloro, foliis ternatis. § 207. p. 170.

3. CORNUS *(ſuecica)* herbacea. § 65. p. 38.
a. Planta florens.
b. Planta fructum ferens.
c. Semen tranſverſim diſſectum.
d d. Rami.

Non

Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis.

Ovid. Triſt. i. *c.* 10.

TABULA VI.

1. AZALEA *(lapponica)* maculis ferrugineis ſubtus adſperſa. § 89. p. 59.

2. AZALEA *(procumbens)* ramis diffuſis procumbentibus. § 90. p. 60.

3. ARBUTUS *(Uva urſi)* caulibus procumbentibus, foliis integerrimis. § 162. p. 129.

Uva urſi Cluſ. hiſt. 63. Tournef. inſt. 599. De ſynonymis nullum dubium poſt hac erit; contuli enim nuper Suecicam cum ſpeciminibus ex Anglia, Gallia & Helvetia miſſis.

4. BETULA *(nana)* foliis orbiculatis crenatis. § 342. p. 274.

a. Folium naturali magnitudine ex alpibus.
b. Folium naturali magnitudine ex deſerto.
c. Folium naturali magnitudine ex horto.

Quam

Quam ſæpe ut hæc qualiacumque colligerem,
per montium anfractus,
calleſque non ante tritos,
de capite ipſo dimicavi!
quas anguſtias adii, bone Deus!
quam diruptas ac præcipites!
quoties in lubrico prolapſus!
quoties effuſa repente tempeſtate
vento atque imbribus afflictus!
quoties ſiti atque æſtu intolerabili pene
confectus!

Obſervantur adhuc animo impendentium montium altitudines,
fœdæ rupes,
prominentia ſaxa,
arrecti ſcopuli,
latebroſæ valles,
ſylvarum horror ac ſilentium.

TABULA VII.

1. SALIX *(reticulata)* foliis integris glabris ovatis ſubtus reticulatis *mas.* § 359. p. 296.

2. SALIX antecedentis *femina.*

3. SALIX *(herbacea)* foliis ſerratis glabris orbiculatis *mas.* § 355. p. 294.

4. SALIX antecedentis *femina.*

5. SALIX *(glauca)* foliis integris, ſubtus tenuiſſime villoſis ovatis. § 363. p. 299.

6. SALIX *(myrſinites)* foliis ſerratis glabris ovatis. § 353. p. 293.

7. SALIX *(lanata)* foliis integris utrimque lanatis ſubrotundis acutis. § 368. p. 302.

Plantis

Plantis Alpinis.

Non omnibus volupe eſt
anhelos aereoſque conſcendere,
vel etiam ſuperare nives,
multa pati rerum
ipſius quoque ſanitatis
ac vitæ diſcrimina;
vincere famem
frigus
æſtum
pluviam
nivem
ſaxa
laſſitudinem
quæ omnia ſæpe uno eodemque die
in hac excurſione ſeſe exhibuerunt
haud ſemel guſtanda.
Hinc certa ſpe fretus
tanto gratiorem fore Floram meam
quo plus conſtiterit ſudoris
& laboris.

Scheuchz. alp.

TABULA VIII.

a. SALIX *amygdalina* § 348. p. 289.
b. SALIX *fragilis* § 349. p. 290.
c. SALIX *phylicifolia β*. § 350. p. 291.
d. SALIX *phylicifolia* § 351. p. 291.
e. SALIX *tenuifolia* § 352. p. 292.
f. SALIX *myrsinites* § 353. p. 293.
g. SALIX *hastata* § 354. p. 293.
h. SALIX *herbacea* § 355. p. 294.
i. SALIX *myrtilloides* § 357. p. 295.
k. SALIX *myrtilloides* § 357. p. 295.
l. SALIX *reticulata* § 359. p. 296.
m. SALIX *arbuscula* § 360. p. 297.
n. SALIX *depressa* § 361. p. 297.
o. SALIX *arenaria* § 362. p. 298.
p. SALIX *glauca* § 363. p. 299.
q. SALIX *arenaria* § 362. p. 298.
r. SALIX *fusca* § 364. p. 299.
s. SALIX *caprea* § 365. p. 300.
t. SALIX *lapponum* § 366. p. 300.
u. SALIX *caprea β*. § 367. p. 301.
x. SALIX *lanata* § 368. p. 302.
y. SALIX *aurita* § 369. p. 303.
z. SALIX *pentandra* § 370. p. 303.

Itineri

Itineri Lapponico.

Nec cœlum patior, nec aquis aſſuevimus iſtis;
  Terraque neſcio quo non placet ipſa modo.
Non domus apta ſatis, non hic cibus utilis ægro;
  Nullus Apollinea qui levet arte malum.
Non qui ſoletur; non, qui labentia tarde
  Tempora narrando fallat, amicus adeſt.
Laſſus in extremis jaceo populiſque lociſque:
  Heu quam vicina eſt ultima terra mihi!

Ovid. Triſt. iii. 3.

TABULA IX.

1. ASTRAGALUS *(alpinus)* alpinus minimus. § 267. p. 226.

2. CARDAMINE *(bellidifolia)* foliis ſimplicibus ovatis, petiolis longiſſimis. § 260. p. 222.

3. ASTER caule unifloro, foliis integerrimis, calyce villoſo ſubrotundo. § 307. p. 250. Erigeron *uniflorum.*

4. VERONICA *(alpina)* caule floribus terminato, foliis ovatis crenatis. § 7. p. 7.

5. CAMPANULA *(uniflora)* caule unifloro. § 85. p. 55. *florens.*

6. CAMPANULA eadem (5) *fructum ferens.*

Alpibus

Alpibus Lapponicis.

Tu neque ver ſentis cinctum florente corona,
Tu neque meſſorum corpora nuda vides.
Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas;
Cuncta ſed immodicum tempora frigus habent.
Rara, nec hæc felix, in apertis eminet arvis
Arbor; & in terra eſt altera forma maris.
Non avis obloquitur, ſylvis niſi ſi qua remotis
Æquoreas rauco gutture potet aquas.

Ovid. Pont. iii.

TA-

TABULA X.

1. SCHEUCHZERIA *(paluſtris)* § 133. p. 103.

2. JUNCUS *(campeſtris β)* foliis planis, culmo paniculato, ſpicis ovatis. § 127. p. 96.

3. ANTHERICUM *(calyculatum)* ſcapo nudo capitato, filamentis glabris. § 137. p. 106.

4. JUNCUS *(ſpicatus)* foliis planis, culmo ſpica racemoſa nutante terminato. § 125. p. 95.

5. JUNCUS *(triglumis)* gluma triflora culmum terminante. § 115. p. 88.

Hyemi

Hyemi Lapponicæ.

At cum triſtis hyems ſquallentia protulit ora,
  Terraque marmoreo candida facta gelu;
Dum patet & Boreas & nix jactata ſub arcto:
  Tum liquet has gentes axe tremente premi.
Nix jacet & jactam nec ſol pluviæve reſolvunt:
  Indurat Boreas, perpetuamque facit.
Tantaque commoti vis eſt Aquilonis, ut altas
  Æquet humo turres, tectaque rapta ferat.
Pellibus & ſutis arcent mala frigora braccis:
  Oraque de toto corpore ſola patent.
Sæpe ſonant moti glacie pendente capilli,
  Et nitet inducto candida barba gelu.

Ovid. Triſt. iii. 10.

T A-

TABULA XI.

1. LICHEN *(nivalis)* niveus, ſinibus dædalis laciniatus, ramis erectis, calyce orbiculato. § 446. p. 355.

2. LICHEN *(centrifugus)* foliis planis multifidis obtuſis, laciniis linearibus, calycibus concavis. § 448. p. 357.

3. LICHEN *(croceus)* foliis ſubrotundis planis, leviſſime inciſis, calycibus orbiculatis diſco folii adnatis planis. § 443. p. 353.

4. LICHEN *(fragilis)* erectus ramoſiſſimus, ramis teretibus nudis filiformibus obtuſis. § 440. p. 351.

5. LICHEN *(deformis)* caule ſimplici apice acuto aut calyce turbinato terminato. § 433. p. 344.

6. LYCOPODIUM *(alpinum)* caule repente, ramis tetragonis. § 417. p. 338.

Terræ Lapponicæ.

Ulterius nihil eſt, niſi non habitabile frigus.

Ovid. Triſt. iii. 4.

Vidi equidem, vidi his oculis puerilibus olim,
Nec res fallit.

TA-

TABULA XII.

1. CUCUBALUS caule ſimpliciſſimo unifloro corolla incluſa. § 181. p. 150. Lychnis *apetala.*

2. PINGUICULA *(villoſa)* ſcapo villoſo. § 13. p. 12.

3. PINGUICULA *(alpina)* nectario conico petalo breviore. § 12. p. 11.

4. LINNÆA *(borealis)* floribus geminatis. *Gronovii.* § 250. p. 214.
   a. Flos.
   b. Corolla aperta cum ſtaminibus & piſtillo.
   c. Calyx germinis ſeu fructus calyx.
   d. Capſula.
   Figura ex Rudbeckianis.

5. CYPRIPEDIUM *(bulboſum)* folio ſubrotundo. § 319. p. 257.



Viro Clarissimo Joanni **BURMANNO**, *M. D. & Professori Botanices in Horto Amstelodamensi.*



Viro Amplissimo Balthaz: HUYDECOPER, Texilæ Prætori, aggerumque ejusdem insulæ Præfecto.





Viro Clarissimo Jacobo Philippo D'ORVILLE, J. U. D. & Professori Histor. Eloquent. et Linguar in athenaeo Amstelaedamensi



Viro Clarissimo Cornelio Hugoni VONK, *S.S. Theol. D. & Professori Linguar. et Antiquit. orientalium in athenaeo Amsteledamensi.*

V.







Viro Consultissimo Danieli van der LIP, *J.V.D.*



Viro Consultissimo Petro D'ORVILLE, *J.U.D.*


VII.
z
h
1
2
4
3
p
f
x
5
6
7
Viro Consultissimo Hermanno NOORDKERK. J.U.D.



Viro Spectatissimo Thomæ **HEGER** *Mercatori celebri.*

IX.



Viro Spectatissimo Abrahamo BURMANNO *Mercatori insigni.*

X.



D.M. Caspari COMMELINI C.F. M.D. animæ, dum viveret, Candidissimæ.



D.M. Petri VLAMINGII, Poëtæ insignis.



XII.
Viro Clarissimo Carolo LINNÆO. M.D.
Aeterno frutices LINNÆUS in ære comantes
Amstelicæ posuit gratus Amicitiæ.
At Dea, plantarum soboles cui credita, Mystæ
frondibus his titulum subdidit ipsa sui.
Jac. Phil. D'ORVILLE.
1
2
3
4
5
a
b
c
d

